2. Tom. 1. u. 2. f.

SAM. FRID. NATHAN. MORI

THEOL. QVONDAM DOCTOR. ET PROFESSOR. ORDIN.
IN ACADEMIA LIPSIENSI

SVPER

HERMENEVTICA
NOVI TESTAMENTI

ACROASES ACADEMICAE

EDITIONI APTAVIT

PRAEFATIONE ET ADDITAMENTIS

INSTRVXIT

HENR. CAROL. ABR. EICHSTÄDT

PHILOS. DOCTOR ET PROFESSOR EXTRAORDIN.
IN ACADEMIA LIPSIENSI

VOLVMEN PRIMVM

LIPSIAE

SVMPTIBVS C. F. KOEHLERI

cIↃIↃCCXCVII

VIRIS MAGNIFICIS

AC

SVMME VENERABILIBVS

IOHANNI GEORGIO ROSENMÜLLERO

THEOL. DOCTORI ET PROFESSORI ORDINARIO IN ACADEMIA LIPSIENSI, ECCLESIAE CATHEDRAL. MISEN. CAPITVLARI, SENATVS ECCLESIAST. ASSESSORI, AD D. THOM. PASTORI, CIVITATIS DIOECESEOSQVE LIPSIENSIS SVPERINTENDENTI

FRANCISCO VOLKMARI REINHARDO

THEOL. DOCTORI, SERENISS. PRINCIP. ELECT. SAXONICI ORATORI SACRO AVLICO PRIMARIO, SENATVS SACRI ET SVPREMI CONSISTORII, QVOD DRESDAE FLORET, CONSILIARIO

IOHANNI AVGVSTO NOESSELTO

THEOL. DOCTORI ET PROFESSORI PRIMARIO IN ACADEMIA FRIDERICIANA ET SEMINARII REGII THEOLOGICI DIRECTORI

HERMENEVTICAE N. T.

DISCIPLINAE

AB ERNESTIO REFORMATAE

ET AD ARTEM REDACTAE

A MORO EXCVLTAE

ET DILVCIDIVS EXPLICATAE

INTELLIGENTISSIMIS AESTIMATORIBVS

MORI QVONDAM AMICIS

LABORISQVE IN EXEGESI SACRA GLORIOSE

CONSVMPTI

ADHORTATORIBVS, SOCIIS, AEMVLATORIBVS

HANC

HERMENEVTICES EXEGETICAM PARTEM

PIETATIS ET OBSERVANTIAE CAVSSA

DICAVIT

HENR. CAR. ABR. EICHSTÄDT.

HENR. CAR. ABR. EICHSTÄDT

LECTORI DOCTO ET AEQVO SALVTEM.

Amplius triennium eſt, quum libri huius edendi provinciam ſuſcepi. Adeo tum fervebant civium meorum ſtudia, lectiones SAMVELIS FRIDERICI NATHANAELIS MORI academicas ad notitiam publicam celebrandi, ut, quod alii in exegeticis, dogmaticis item ac moralibus, praeſtituros ſeſe oſtendiſſent, id ſi pari conarer ſtudio in hermeneuticis efficere, nulla mihi invidia reprehenſionis videretur eſſe pertimeſcenda. Neque enim levius harum acroaſium eſſe pretium arbitrabar, utilitatem vero, quae ſperari inde poſſet, maiorem etiam atque ampliorem. In quo iudicio num fuerim verus, an me fefellerit vel temporis illius, in ſcholis optimi doctoris inſigni olim cum fructu transacti, iucunda recordatio, vel ipſius diſciplinae

hermeneuticae cum iis ſtudiis, quibus vitam conſecravi, cognatio atque neceſſitudo, nunc non quaeram, et poſtea clarius intelligetur. Sed hoc non dubito affirmare, maximaque aſſeveratione teſtificari, ſi, quorſum omne ſtudium, promulgandi iſtas lectiones, brevi eſſet evaſurum, illo tempore praevidiſſem, me ad alium potius quemcunque laborem, quam ad hunc, ſpecie levem, re difficilem multorumque nunc obnoxium criminationibus, animum fuiſſe applicaturum. Nihil enim minus putaram, quam fore, qui, quicquid de cathedra beati MORI privata fluxiſſet, in publicum auderent protrudere, ne iis quidem exceptis, quae et iuvenis olim, necdum in Theologorum collegium cooptatus, in ipſis academici muneris initiis praelegiſſet. Non credideram, veneratione quosdam atque admiratione magni doctoris eo abreptum iri, ut verba eius ſe non annumerare lectoribus putarent oportere, multo minus appendere, ſed, prout ore prodierant, ita redderent, nihil curantes diſcrimen, quod illorum inter, qui olim audierant, et horum, qui nunc legunt, rationes intercederet; nihil penſi habentes cathedrarium dicendi flumen atque libertatem, quae multa praeter neceſſitatem productiora feciſſet, latinis etiam germanica vocabula per-

perſpicuitatis aut brevitatis cauſſa interpoſuiſſet, citationes parum accuratas, repetitiones, excurſiones et alia huius generis ſibi indulſiſſet; nihil denique advertentes loquendi genus, quod ad ſcholae magis conſuetudinem, quam elegantiae rationem compoſitum, ab orationis, qua beatus Auctor in ſcriptis ſuis fuiſſet uſus, vehementer abhorreret. Omnium autem minime praeſagieram, totum hoc tam utile inſtitutum brevi ceſſurum eſſe in quamdam lucri cupiditatem, ut indignam homine ingenuo, ita diſcipulis tam liberalis magiſtri foediſſimam atque ignominioſiſſimam. Verum ſemper, ut ille ait,

γενήσεται πόλλ᾽, ὧν δόκησις οὐκ ἔνι.

Iſta igitur atque alia quum animo conſiderarem, coeptumque illud divulgandarum e privatis ſchedis lectionum paene in contemptionem adduci viderem: cohibui manus, operi iamiam impoſitas, et, quamquam librarii efflagitatu ſaepius ſollicitatus, tamen a ſuſcepto labore diu refugi. Effluxit annus unus, itemque alter: nihil profeceram. Ac parum aberat, quin omne conſilium, cuius me iampridem poenituiſſet, abiicerem, niſi et reputaviſſem, viri boni eſſe, datam publice fidem ſervare, et tum a librario, tum ab amicis cognoviſſem, exortum eſſe extra urbis huius moenia, qui, quam detrectare rem, certe

in longum protrahere viderer, eius extemplo perficiundae auctorem ſeſe offerret. Iſtum ego noram; et quum in me doctrinae paratae copiam deſiderarem, ab illo ne ſtudium quidem ac voluntatem afferri intelligebam. Proinde ſatius exiſtimavi, redire ad intermiſſum officium, eoque religioſe adminiſtrando tum utilitati lectorum, tum famae beati Auctoris, quantum in me eſſet, conſulere. Quae quum ita ſint, ſi aperte atque ingenue confiteor, me meis ingratiis et paene coactum feciſſe, quod alii ſponte ſua et voluntate inſtituerunt, non vereor, ne quis hanc profeſſionem vanitati attribuat, neu me cenſeat iudicum ſeveritatem mitigare voluiſſe et quodammodo deprecari excuſatione neceſſitatis.

Nec ſane eſt, quod ſeveritatem reformidem illorum, qui conſilium magis noſtrum, quam eius exſequendi rationem reſpiciant. De hac exponam poſthac. Ad illud quod attinet, vere tueri me poſſum conſcientia honeſtiſſimi conſilii, quo hoc egi, certe agere volui, ut iuvenes liberalis Theologiae ſtudioſos revocarem ad hermeneutices ſtudia, ad quae pauci et raro [a]), in

a) Ipſe MORVS ὁ μακαρίτης non niſi quinto fere aut ſexto quoque anno hermeneuticas ſcholas aperire ſolebat.

in hac quidem Academia, publica magiſtrorum inſtitutione convertuntur; ut in manus iis traderem librum, qui, quotquot in hoc genere prodierunt, omnes praecipiendi et ſubtilitate et ubertate vincit; ut allicerem denique, ſi poſſem, et excitarem tali exemplo alios ad diſciplinam hanc ornandam magis, noſtraeque aetatis ingenio accommodandam. Sed hoc totum, quale ſit, quo facilius perſpiciatur, et quo iuſtius his MORI acroaſibus pretium conſtituatur, ante, quam de opera qualicunque mea, in iis collocata, referam, totius diſciplinae hiſtoriam, ab initiis inde ſuis usque ad noſtra tempora contextam, breviter perſequemur.

Hermeneutica, quoniam cum exegeſi tam arcte coniugata, ex eaque apta eſt, ut eius etiam nomen interdum tulerit [b]), non potuit neque naſci prius, neque celerius progredi, quam haec ſtudiis doctorum hominum nutrita, uſuque interpretationis et ipſa velut praxi exculta atque firmata, ad maturitatem quamdam perveniſſet [c]).

b) Vid. p. 21. notam noſtram §. IX. ſubiectam.

c) Patet, Hermeneutices hiſtoriam ſine perpetuo ad hiſtoriam Exegeſeos ſacrae reſpectu commode tradi non poſſe. Illam neque ERNESTIVS, neque MORVS attigit; huius partes quaedam Sect. II. Cap. IX. quod eſt

Quapropter ſi antiquiora tempora, Patrum eccleſiaſticorum ſcriptis nobilitata [d]), reſpicimus, mirari non debemus penuriam librorum in hoc genere, utpote quorum ſcribendorum materia et fundus deeſſent.

Nam primis duobus poſt Chriſtum natum ſaeculis eccleſia ab eo conſtituta non ſequebatur, nec ſequi facile poterat, aliam interpretandae Scri-

eſt *de interpretibus Novi Teſtamenti eorumque uſu*, breviter adumbratae ſunt. Studui itaque hoc loco coniunctim tradere, quae Hermeneutices aliquod prooemium efficerent. — Caeterum ſacrae Exegeſeos hiſtoria deſcripta eſt multis, noviſſime IO. GEO. ROSENMÜLLERO in Programmatibus *de fatis interpretationis ſacrarum litterarum in Eccleſia chriſtiana*, quorum nuper Pars XV. prodiit. Hermeneutices ſacrae hiſtoriam, certe ſingulas eius partes, tractatas reperies in IO. FRANC. BVDDEI *Iſagoge hiſtorico-theologica ad theologiam univerſam*, To. II. (Lipſ. 1730. 4.) p. 1242. ſqq. IOACH. EHRENFR. PFEIFFERI *Inſtitutt. hermeneuticae ſacrae* p. 30. ſqq. IO. SAL. SEMLERI *Apparatu ad liberalem N. T. interpretationem* p. 6. ſqq. Ej. *Vorbereitung zur theologiſchen Hermeneutik* I. p. 85. ſqq. Ej. *Inſtitutione breviori ad liberalem eruditionem theologicam*, I. p. 36. ſqq G. I. PLANCK *Einleitung in die theolog. Wiſſenſchaften* II. p. 127. ſqq.

d) De his vide DAN. WHITBY *de ſacrarum litterarum interpretatione ſecundum Patrum commentarios*, Lond. 1714. 8. IOH. DALLAEVS *de uſu patrum*, 1743. 4.

Scripturae rationem, quam quae ex Iudaismo vel haesisset Iudaeis, vel ad Paganos transisset. Allegorias sectari, typos venari, vaticinia ubivis expiscari, id vero rectum videbatur atque ingeniosum, certe vindicandae religioni eiusque repellendis adversariis quam maxime consentaneum. Ad quam quidem interpretationem nec regulis utebantur, nec, si essent usi, eas ordine disponere et ad artem redigere poterant. Sumebant enim, ut Arnobius ait, res certas a dubiis, atque unum adiungebant allegoricum sensum dicto, quod per modos poterat innumeros expositionum talium varietate deduci.

ORIGENES autem, tertio saeculo, postquam princeps saluberrimo instituto coepisset interpretationem grammaticam inducere, non illam quidem exemptam omnibus commentis allegoricis, sed multo tamen meliorem ac saniorem, quam quae vel antehac esset dominata, vel posteris etiam saeculis adhiberetur: sua graviter auctoritate docuit, sine linguarum atque historiarum accurata cognitione omnem interpretandi artem inanem esse atque irridendam. Non patiebatur ratio illorum temporum, neque admittebat cultiorum ingeniorum consuetudo talem emersurae religionis statorem, qui sui semper arbitrii, iudiciis aequalium pervicacius adversaretur. Itaque

que Origenes et retinuit multa e myſtico et allegorico genere, ita tamen, non ut dogmata inde erueret, ſed ut πρὸς οἰκοδομὴν converteret, etiam propter cabbaliſticas Iudaeorum explicationes, et quodammodo philoſophari inſtituit de omni arte interpretandi. Monuit enim [e]), indoctos homines ſubſiſtere in communi et hiſtoriali intellectu debere, quem σῶμα nuncupavit; ſi qui aliquantum proficere coepiſſent et poſſent amplius aliquid intueri, iis quaerendam eſſe Scripturae ψυχήν, quae referatur ad doctrinam de emendatione et vita Chriſtianorum; doctis denique et perfectis etiam πνεῦμα eſſe inveſtigandum, ſeu myſticum ſenſum, quo iudaica antiquitas et hiſtoria ad res futurae vitae accommodetur.

Poſt Origenem quamvis nonnulli a tractatione veterum ſcriptorum ad ſacros accederent, ingeniumque illorum lectione ſubactum ad explicanda divina oracula afferrent: tamen in hoc ipſo melioris exegeſeos ſtudio nemo inventus eſt,

e) In libris περὶ ἀρχῶν IV, 2. p. 168. ed. *de la Rue.* Cfr. PETR. DAN. HVETII *Origeniana*, praemiſſa editioni Commentariorum, IO. LAVR. MOSHEMII *Comment. de rebus Chriſtianorum* p. 629. I. S. SEMLER *Vorbereitung zur theor. Hermeneutik* I. p. 95. ſqq. IO. AVG. ERNESTI *de Origene, interpretationis librorum ſacrorum grammaticae auctore*, in Ejus *Opuſcul. philol. crit.* p. 288. ſqq.

eſt, qui hermeneutices haberet illam ſcientiam, e qua artem nondum repertam produceret. Atque illi etiam ſanioris exegeſeos in eccleſia graeca propagatores, Euſebius, Diodorus Tarſenſis, Theodorus Mopſueſtenus, Chryſoſtomus, Iſidorus Peluſiota et Theodoretus ab allegoricis atque myſticis ineptiis ſibi parum caverunt, eo tamen laudandi, quod et de ſtilo ſcriptorum N. T. diligentius monerent, et nonnulla adſpergerent de οἰκονομία illorum, accommodantium ſeſe ad vulgare loquendi genus vulgaresque iſtius aevi opiniones. Nec dubium eſt, quin illi multo plus praeſtituri fuiſſent in explicando Codice, ad certioresque totius artis regulas perventuri, niſi exarſiſſent iſtis temporibus tot controverſiae cum Arianis, Neſtorianis, Eutychianis atque Pelagianis, quae animos ab exegeſeos ſobriae ſtudio ad polemicam inveſtigandi, ſive potius detorquendi ac depravandi ſenſus rationem avocarent.

Ad latinam eccleſiam quod attinet, ne in hac quidem defuerunt, qui explicandarum litterarum ſacrarum facultate pollerent, *Hieronymus* [f]), *Augu-*

f) Eius huc potiſſimum pertinet Epiſtola CI ad Pammachium *de optimo genere interpretandi.* Confer et Epiſtolam LXXV. ad Suniam et Fretellam: tum et Praefationes in Prophetas XII. ad Paullam et Euſtochium: in Ioëlem: in IV Evangelia ad Damaſum etc.

Augustinus, *Pelagius*, *Cassianus*, alii: modo ab linguarum, quibus consignati isti libri sunt, cognitione instructiores fontem interpretandi N. T. limpidissimum adire potuissent. Verum et hi, tamquam pervulgari artem suam nollent, scientiam interpretandi tradere libris neglexerunt. Nam posteaquam aliquid ex hoc genere prodiisset, expositis primum a TICONIO *Afro*, nimis arguto saeculi quarti scriptore, *Regulis septem ad investigandam et inveniendam intelligentiam Scripturarum sacrarum* [g]): perdiu nulli fuerunt, qui longius progressi, ista artificiose digesta generatim componerent, novisque praeceptis et observationibus adaugerent. Et qui Ticonii regulas servavit, AVGVSTINVS [h]), quamquam libris suis, quos *de doctrina christiana* scripsit, passim nonnulla inspersit, hermeneuticae sacrae inservientia: tamen in universum consilio meliore quam eventu laboravit, et ultimum librum, ab

g) Reperiuntur in *Bibliotheca Patrum maxima*, Tom. VI. p. 49.

h) In libro *de doctrina christiana* III. cap. 30. Hos libros Augustini una cum opere eius *de fide et symbolo*, itemque *Vincentii Lirinensis Commonitorio* edidit *Geo. Calixtus*, Helmst. 1655. Caeterum *Institutionem Hermeneutico-homileticam ex Augustini libris IV. de Doctrina Christiana conquisitam, illustratam, atque ad usum accommodatam* edidit IOACH. IVSTVS BREITHAVPT.

ab eo quod tractandum fufceperat argumento abductum, ad inftituendum oratorem facrum comparavit. Tum faeculo quinto et fexto *Adrianus* i); *Iunilius*, *Caffiodorus* et alii quidam k) fucceflerunt, quos Buddeus et Pfaffius l nominarunt. Sed tantum afuit, ut in his reperiretur, qui fparfas et diffipatas regulas atque obfervationes conglutinaret et ratione quadam componeret, ut multi etiam ab omni confilio hermeneutices longiffime aberrarent. Quod factum conftat Marco Aurelio Caffiodoro, qui non tam inftitutionem huius artis fcripfit, quam eos recenfuit, qui in fingulos Codicis facri libros commentati effent.

Ab hoc faeculo usque ad decimum fextum rectae exegefeos vix tenue veftigium; hermeneutices ne umbra quidem. Nam polemica ars dominationem fuam atque tyrannidem exercuit in dogmaticam: quae libris divinis contineri puta-

i) Huic tribuitur *Isagoge in facram Scripturam*, edita cum aliis huius generis fcriptionibus a *Dav. Hoefchelio*, Aug. Vind. 1602. 4., inferta etiam *Criticis facris*, To. VIII. *edit. Londin.*

k) Sed EVCHERIVM eximendum effe horum numero, *Planckius* l. c. p. 148. monuit.

l) Ille in *Isagoge ad Theolog. univerfam* p. 1242. feqq., hic *Hermeneuticae facrae* pag. 30.

putabantur, dogmata iam conclufa erant fyftemate, facrofanctae Ecclefiae auctoritate firmato. Quo magis Epifcopi, ecclefiae quafi perfonam gerentes, ingenuam libertatem docendi fcribendique, qua uti antea presbyteri folebant, circumfcripferunt, et quo feverius prohibuerunt, ne quisquam fententias dogmaticas ex fuo amplius intelligendi modo defcriberet: eo minus aut quaerere in litteris facris licebat, quae formulae receptae parum viderentur congruere, aut invenire, quae illi manifefte repugnarent. Obmutuit itaque hermeneutica: identidem repetitae funt explicationes, quas a Patribus olim orthodoxae fidei propofitas, ecclefiae decreta ftabiliverant: nulla nec linguarum, nec antiquitatis, nec hiftoriarum cognitio: nulla omnino praefidia ad interpretandum: vulgata Verfio propemodum pro textu germano et ipfa veritate divina habita eft: Gloffa ordinaria vim normae ac legis accepit, quam fequi in explicando doctorem oporteret.

Interea Scholaftici prorfus fpernebant interpretandi lucem, in philofophiae fuae umbraculis fecure delitefcentes, donec, faeculo duodecimo prope exeunte, commoti a Bernardi affeclis, qui myfticae interpretationis novi praecones et vindices magna in monafteriis auctoritate pollerent,

reverti

reverti ad neglectam artem cogerentur. Ac reverterunt ſane ad eam, ſed ita, ut ſatius fuiſſet, ab ſacris litteris omnino abſtinere. Rediit enim ſimul iudaicus tractandarum illarum abuſus, isque vel temporum diuturnitate, vel hominum vecordia gravior factus atque inſolentior. Exſtitit allegorizandi non conatus, ſed peritia; detorquendi ſenſus non lubido, ſed furor: contextus ſcriptorum, conſilii, ingenii, ſcribendi generis nulla usquam obſervatio, regularum hermeneuticarum impudentiſſima neglectio.

Talis autem tamque perverſa ratio non erat admonitionis lenitate elevanda, ſed contentione et impetu frangenda. Parum igitur profuit auctoritas NICOLAI LIRANI et PAVLLI BVRGENSIS, excellentium virorum, qui quarto decimo ſaeculo grammaticum atque hiſtoricum Scripturae ſenſum vindicare conarentur. Ac licet paullo ante Reformationis aevum *Erasmus* aliique coepiſſent melioris interpretationis exempla proponere, Scholaſticorum auctoritatem et docendi genus impugnare, ſuperſtitionisque et ſervitii fulcra, ex latina bibliorum verſione per infeſtas temporum tenebras a callidis inſciisque hominibus efficta ſummovere et labefactare: omne tamen illud ſtudium tam arctis fuit limi-

tibus ſeptum, ut et fructus eius perventuri ad paucos, nec diu duraturi viderentur. Poſtea vero opera et contentione illorum, qui religionis noſtrae inſtaurare puritatem inſtituerunt, factum eſt, ut reiectis falſarum opinionum terriculamentis, revocata in uſum grammatica interpretatione, vindicata litteralis ſenſus indagatione, conſulto denique et explicato loquendi uſu, nova lux tum univerſae theologiae, tum in primis exegeticae, accenderetur. Inde exorti ſunt, qui hermeneuticam diſciplinam, pro ſua quisque facultate, tractandam excolendamque ſuſciperent. Lentum fuit negotium et controverſiarum iteratione non ſemel retardatum: progreſſus tardi, at progreſſus tamen.

Sustulit ſignum MATTHIAS FLACIVS, *Illyricus*, vir ſua aetate longe doctiſſimus. Is tomo ſecundo *Clavis Scripturae ſacrae* m) varios inſeruit *tractatus*, complectentes regulas n) de ratione vacandi ſacris litteris earumque genuinam ſententiam feliciter ſcrutandi aliisque proponen-

m) Primum prodiit Baſil. 1567. fol. Eminet editio, quae a. 1575. f. Ienae *cum praefatione Io. Muſaei* emiſſa eſt; tum et Lipſienſis cum eadem praefatione et *ex recenſione Theod. Suiceri* 1695. f.

n) Poſui ipſas capitum inſcriptiones.

ponendi; de lectione ſacrarum litterarum deque variis earum proprietatibus ac modis loquendi; de agnoſcendis tractandisque hebraismis; de tropis et ſchematis perpetuis; de ſermone et multiplici rerum tractatione ſacri voluminis. Tota haec pars Clavis Flacianae ſicut ad cognoſcendam rationem, quam ſequuta ſit quaelibet aetas in interpretando, apprime facit: ita etiam praecepta hermeneutica continet, auctoris inſigne acumen et eruditionem teſtantia, traditaque ſic, ut opus pro prima hermeneutices in artis quamdam formam redactae inſtitutione merito habeatur. Ipſe autem MARTINVS LVTHERVS, quum de aetate ſua inſequutisque ſaeculis egregie meruiſſet germanica verſione ſacri Codicis atque explicatione uberiore non modo integrorum librorum, ſed ſingulorum quoque locorum: lites et controverſiae, ſuper illa verſione a Pontificiis motae, eum impulerunt, ut rationis ſuae cauſſas defenderet, eoque interpretandi etiam quasdam leges litteris mandaret. Celebratiſſimus eſt liber, quem de interpretatione ſacri codicis (*Vom Dollmetſchen*) compoſuit: in quo permulta ſane declarantur veriſſime et intelligentiſſime. Caeterum ut Lutherus ſaepe nimium ſeſe applicuit ad Auguſtini explicationes, Hieronymum et alios interpretes grammaticos

propemodum publice adſpernatus: ita ſectatores eius, ſi Melanthonem, Camerarium, Strigelium, Chytraeum paucosque alios excipias, a recta interpretandi via multo crebrius rixis et concertationibus theologicis abducti ſunt. Ad quas ſedandas quum Formula Concordiae doctrinam publicam ſanxiſſet: multi etiam argumenta doctrinae, quae in ſingulorum ineſſent interpretatione locorum, iſtius libri auctoritate ſimul ſancita, neque ullo pacto deſerenda exiſtimaverunt.

At iſtiusmodi qui erant opinionibus imbuti, turbisque perpetuis et controverſiis distracti, hermeneuticam artem (qua quidem et noſtra et reformata Eccleſia, quamquam Dordraceno mox concilio ſimilem fortunam experta, romanam longe ſuperabat,) excolere et perficere minime potuerunt. Nam et publicis criminationibus, et principum interdum legibus, et doctorum imperitorum exiſtimatione et publice et privatim liberalioribus ingeniis impedimenta obiecta ſunt. Litteralis ſenſus, ſeu grammaticus, verbis commendabatur, re deferebatur, regnante ubivis et ferocius ſeſe efferente arbitrio Dogmaticorum. Quorum dominationem et illius et decimi ſeptimi ſaeculi interpretes tanto minus detrectare atque excutere poterant, quanto alieniores erant tum

ab

ab notionibus iuſtis de ſenſu hiſtorico per interpretationem eruendo, tum a linguae graecae, praeſertim eius, quae eſt in N. T. hebraismis infecta, ſubtiliore cognitione. Proinde adverſarios quidem ſuos nactus eſt *Cocceius*, qui initio ſuperioris ſaeculi denuo replere omnia allegoriis, typis, tropis, vaticiniis aggrederetur: oppugnati ſunt et exploſi *Ianſeniſtae*, qui practicam ubivis utilitatem iactarent; ſed eodem fere tempore quum *Arminiani*, duce magno Grotio, auderent paulo liberius ſentire, interpretationes novas, uſu philologiae profanae culti, proferre, ſcriptorumque cuiusvis aetatis ingenium et linguam perſcrutati, dogmaticos errores redarguere: etiam contra hos agmen ſurrexit novorum graviſſimorumque obiurgatorum.

Effecit tamen haec erectiorum ingeniorum libertas, ut, quae hucusque dogmaticis et homileticis cancellis incluſa fere fuiſſet, Hermeneutica per *Geo. Calixtum*, *Rich. Simonem*, alios, ad maiora et ampliora ſpatia traduceretur. Atque ex hoc rectioris interpretationis novo quaſi diluculo prodiit SIXTINI AMAMAE, Profeſſoris quondam Franequerani, *Antibarbarus biblicus*, qui totus in eo verſatur, ut linguarum originalium neglectum et inſanum allegorizandi pruritum tamquam barbariem exprobret et reiiciat.

 Con-

Constat autem, ex ultima quidem editione o), libris quatuor: quorum primo septem errores generales, ut totidem omnis, quae superioribus saeculis sacras litteras foedavit, barbariei fontes magna cum libertate ostenduntur, reliquis crassissimi aliquot errores et ineptae interpretationes, quae ex istis fontibus manarunt, secundum ordinem librorum V. T. docte et accurate confutantur. Eodem diluculo nata sunt VOLGANGI FRANZII p), AVG. PFEIFFERI q), IO. CONR. DANHAVERI r), IO. GVIL. BAIERI s), IO. HENR. MAII

o) *Accesserunt variae dissertationes et orationes, nec non responsio ad censuras D. Martini Marsenni, Theologi Parisiensis, accessit et huic editioni eiusdem Commentariolus de Decimis Mosaicis.* Haec huius inscriptionis editio prodiit Franequerae a. 1656. 4.

p) V. FRANZII *Tractatus theologicus novus et perspicuus de interpretatione sacrarum litterarum maxime legitima,* Viteb. 1619. (edit. quinta 1708.) 8.

q) A. PFEIFFERI *Hermeneutica sacra,* sive *Tractatio luculenta de interpretatione sacrarum litterarum,* Dresd. 1684. auctius edita cum praefatione *Benedicti Carpzovii* sub titulo: *Thesaurus hermeneuticus* etc. Lips. 1690. 4.

r) I C. DANHAVERI *Idea boni interpretis* (Argentorati 1752.) describit dotes interpreti sacro necessarias. Idem V. D. edidit *Hermeneuticam sacram seu Methodum exponendarum sacrarum litterarum,* Argentor. 754. 8.

s) IO. G. BAIERI *compendium theologiae exegeticae,* post auctoris obitum editum, 1758.

MAII t), aliorum u), hermeneutica ſcripta: ad illud referenda quoque ſunt et exigenda merita SALOM. GLASSII x), IOHANNIS GERHARDI,

t) I. H. MAII *Introductio ad ſtudium philologicum, criticum et exegeticum brevis et perſpicua, in qua ſimul Io. Clerici ars critica* et *Marci Meibomii novum ſpecimen biblicarum emendationum et interpretationum examinatur*, ſubnexa eiusdem *repetito examini hiſtoriae criticae textus N. T. Richardi Simonis*, 1710.

u) Horum nomina et ſcripta brevi nota complectar. Nam de ſingulis ſingulatim dicere, vix operae pretium eſt. Pertinent igitur huc ABR. CALOVII Prolegomena in Geneſin; ut et Praelect. general. in Biblia illuſtrata Tom. I. *de cauſſis* παρερμηνειῶν; IOACH. IVST. BREITHAVPTI *Inſtitutio hermeneutico - homiletica*, ſupra pag. XIV. memorata; IO. GVIL. BAIERI *Compendium theologiae exegeticae:* quod eſt opus poſthumum; IO. OLEARII *Elementa hermeneuticae ſacrae in uſum ſtudioſorum iuvenum Academiae Lipſienſis, cum praxi hermeneutica in quibusdam exemplis* (Lipſ. 1699. 12.); FR. WERNERI *Praecepta theologiae exegeticae de Hermeneutica Sacra, ſeu legitima Scripturae ſacrae interpretatione — in ſtudioſorum uſum edita*, Lipſ. 1708. 12. *Olearius* mediocriter, *Wernerus*, decem concinnatis interpretationis regulis illarumque illuſtratione per varia exempla tentata, inepte rem egit.

x) In *Philologia Sacra — aucta et his temporibus accommodata a* IO. AVG. DATHIO, Lipſ. 1776. 8. *Poſt primum volumen, Dathii opera in lucem emiſſum, continuata et in novi plane operis formam redacta a* GEO. LVD. BAVERO, To. II. Sectio prior, *Critica Sacra* (Lipſ. 1795.

DI [y]), et IO. OLEARII [z]), qui in amplissimis operibus, quibus disciplinam exegeticam complecterentur, etiam hermeneuticis praeceptis locum fecerunt. Sed isti propemodum omnes Flacianae Clavis exemplum sequuti, praecipiendi ἀκρίβειαν minime assequuti sunt. Leges interpretandi scripserunt bonas, veras, utiles, exemplis etiam copiosissimis instructas, sed iusto latiores, ambitusque tam parum finiti, ut, tamquam habenas, et adducere eas posses, quantum velles, et, si luberet, remittere. Neque enim admodum curae fuit historicus sensus, et ad grammaticam interpretationem adminicula parum certa adhibita sunt.

Posthac sub initium saeculi nostri nova interpretandi ratio novam hermeneuticae tradendae me-

1795. 8.) Altera sectio *Hermeneutica Sacra Veteris Testamenti* (Lips. 1797. 8.). Res ad summam argumenti pertinentes, nostraeque aetatis usui aptas, Bauerus ex aliis libris utiliter congessit, suo salubriter interposito iudicio, novisque solerter prolatis opinionibus.

y) Tum in aliis scriptis, tum potissimum in celeberrimo *Locorum theologicorum* opere: quod *denuo edidit, variique generis observationes adiecit* IO. FRID. COTTA, Tubing. 1762-89. XXI. Tomi, 4.

z) In Theol. Univers. Systém. III. *de Theologia Exegetica*; quae et seorsum excusa est.

methodum procreavit. Nam Pietiſtarum ſecta, ad litterarum ſacrarum male ſedulam lectionem reverſa, fanaticos magis errores, quam doctrinam elegantem et accuratam oſtendit. Preſſit ſingulas litteras, rimata eſt praegnantes ſenſus, luſit emphaſibus. Atque huic tam pravae vel doctrinae vel conſuetudini, cui VALENT. ERN. LOESCHERVS[a]) atque MART. CHLADENIVS[b]) fortiter ſeſe oppoſuerunt, ratiunculas ſuggeſſit vana quaedam ſubtilitas, quae grammaticis et etymologicis obſervationibus miſere abuteretur. Nihilo tamen ſecius praeter HERMANN. AVG. FRANCKIVM[c]), IOACH. LANGIVM[d]) et paucos alios ipſe etiam IO. IACOB. RAMBACHIVS iſti ſeſe rationi addixit. Qui vir quoniam priorum hoc in genere ſcriptorum omnium mediocritatem ſua ipſe excellentia obruiſſe, ſuoque lumine caeterorum lumina obſcuraſſe iudica-

 tur:

a) V. E. LOESCHERI *Breviarium theologiae exegeticae, legitimam Scripturae ſacrae interpretationem tradens,* Viteb. 1719. 8.

b) M. CHLADENII *Inſtitutiones exegeticae*, Viteb. 1725. 8.

c) H. A. FRANCKII *Praelectiones hermeneuticae ad viam dextre indagandi et exponendi ſenſum Scripturae ſacrae,* Halae 1723. 8.

d) IOACH. LANGII *Hermeneutica ſacra*, Halae 1733. 8.

tur e): de eius ſcriptis diſtinctius paullo agendum eſt.

Ac primo quidem RAMBACHIVS diſſertatione *de idoneo ſacrarum litterarum interprete*, Ienae a. 1720. 4. in lucem emiſſa, ſibi patefecit aditum ad *Inſtitutiones hermeneuticae ſacrae* f), quibus regulas et cautelas interpretandi traderet, easque obſervationibus multis, e dogmatico potiſſimum et litterario genere, uberrimisque exemplis biblicis illuſtraret. Fuit ſane Rambachius dogmaticae vinculis nimis adſtrictus; indagandi ſenſus hiſtorici et neceſſitatem et rationem neſciit; oeconomicum exponendi dicendique genus, quod ipſi etiam Patres ſcriptoribus ſacris tribuerunt, prorſus negavit g), finesque diſciplinae hermeneuticae tam libere protulit, ut et dogmatica multa immiſceret, et quae ad hiſtoriam litterariam exegeſeos pertinerent, copioſiſſime

e) Recordemur iudiciorum, quae I. F. BVDDEVS in praefixa libro praefatione, C WOLLIVS *Introduct. in Hermeneuticam* p. 27. et alii de Inſtitutionibus Rambachianis tulerunt.

f) Lucem viderunt *cum praefatione Io. Franciſci Buddei*, Ienae a. 1723. Editio noviſſima a. 1752. prodiit.

g) Scripſit etiam peculiarem diſſertationem *de Scriptura ſacra ad erroneos vulgi conceptus accommodata*, Ienae 1729. 4.

fiſſime perſequeretur. Tamen ſi quis vitia compenſare bonis, et aetati, qua quis ſcripſit, condonare nonnihil didicit, haud dubie laudabit eruditionem viri, qui plura legendo amplexus eſt, quam reprehenſores eius fando audiverunt; probabit logicorum praeceptorum, ab ipſo ſcriptorum, veritatem; neque mirabitur, compendium illud tantam fuiſſe auctoritatem conſequutum, ut et in ſcholis celebraretur ad uſum frequentiſſime, et peculiaribus doctorum hominum ſcriptis illuſtraretur [h]). Prodierunt poſtea eiusdem RAMBACHII *Exercitationes hermeneuticae*, ſive *Pars Altera Inſtitutionum hermeneuticarum ſacrarum:* cuius libri ultima editio [i]) ſex comprehendit diſſertationes, ſeorſum ante vulgatas, et ad exegeſin magis atque dogmaticam, quam ad hermeneuticam ſpectantes. Hermeneutici quidem argumenti non eſt niſi prima et tertia diſſertatio; quarum haec ſelectas obſervationes *de parallelismo Scripturae* proponit, illa *de idoneo litterarum ſacrarum interprete* agit, h. e. docet, quibus naturae gratiaeque dotibus inſtructum, quibus

h) Pertinent huc ANDR REIERSEN *Tabulae ſynopticae in Inſtitutiones Rambachii*, a. 1741. ERNST FRIEDRICH NEVBAVER *Ausführliche und gründliche Erläuterung über Rambachs Inſtitutiones*, a. 1738.

i) Prodiit Bremae a. 1741. 8.

quibus ornatum eruditionis ſubſidiis exegeſeos ſacrae magiſtrum eſſe oporteat. Caeterum habuit auctor hac in re exemplum, quod imitaretur, ſibi propoſitum in ANDR. IVL. DORNMEIERI *Philologia biblica* [k]), in qua et ipſa maxime fructus oſtenditur, quem ex qualibet fere eruditionis parte Scripturae interpres capere debeat.

Verum ſatis de his. Propius ad inſtitutum noſtrum pertinet CHRISTOPHORI WOLLII liber. Qui quum perſpexiſſe ſibi videretur, doctos N. T. enarratores [l]) aut nimia memoria, aut nimia ingenii, aut utriusque facultatis aequali virtute valuiſſe, paucos contra eruditum iudicium, quod vim ratiocinandi in explicando adhibeat, iuviſſe; *Hermeneuticam* edidit *Novi Foederis acroamatico-dogmaticam*, *certiſſimis defaecatae* (Wolfianae) *philoſophiae principiis corroboratam*, *eximiisque omnium theologiae Chriſtianae partium uſibus inſervientem* [m]). Eſt aliquid in hac ipſa inſcriptione iactantiae et vanitatis; at plus dialectici acuminis in canonibus hermeneuticis;

k) Lipſiae a. 1713. 8.

l) Ipſis Wollii verbis uſus ſum.

m) Prodiit liber Lipſiae a. 1736. 4. Appendix eſt *Criticae Blackwallianae*, Wollii ſtudio ex anglico ſermone in latinum converſae, et eodem anno editae.

ticis; plurimum doctrinae hiſtoricae in apparatu notarum: lucis contra exegeticae perparum, et recti de notionibus dogmaticis iudicii nihil.

Multo igitur praeclarius hac de arte meruerunt, qui in omnibus propemodum theologiae partibus excellentes fuere, SAL. DEYLINGIVS et IO. ALPHONSVS TVRRETINVS [n]). Inprimis autem ſtudiis triumvirorum in theologia ſummorum, SIEGM. IAC. BAVMGARTENII, IO. SAL. SEMLERI atque IO. AVG. ERNESTII, factum eſt, ut hermeneutica auderet caput extollere, non preſſa amplius dogmaticorum acerbiſſimo iugo, non refugiens hiſtorici ſenſus liberiorem inveſtigationem, non adſpernata philologiae profanae lucem et praeſidia, non perhorreſcens novas explicationes, quas obſervatio ingeniorum, cogitatio culturae, cognitio denique cogitandi et loquendi moris, aetati cuivis proprii, ſponte protuliſſet. Excuſſis veterum libris, inva-

n) Illius liber eſt *de Scripturae recte interpretandae ratione et fatis*, Lipſ. a. 1721. Huius eſt *de ſacrae Scripturae interpretandae methodo tractatus bipartitus: in quo falſae multorum interpretum hypotheſes refelluntur, veraque interpretandae ſacrae Scripturae methodus adſtruitur*, Traiecti Thuniorum (Dordraci) a. 1728. Librum eximiis dotibus ornavit ac locupletavit doctiſſimus eius inter noſtrates editor, GVIL. ABR. TELLERVS, Francof. 1776. 8.

invaluit hellenisticae, quam vocant, linguae subtilior indagatio tum e graeca Alexandrinorum versione, tum ex Apocryphorum Novique Testamenti consuetudine: conquisitis melioribus subsidiis criticis, avocata sunt studia ab emphasium vano amore et etymologiae incerta venatione, atque ad historiam textus et ad singulorum locorum ex arte tractandorum curam traducta: stabilito rectioris interpretationis modo, hermeneuticarum regularum firmius systema coaluit.

Et BAVMGARTENIVS quidem, cuius et breve *Compendium hermeneutices sacrae* o), lectionibus academicis destinatum, et compendii uberiorem expositionem p) habemus, emendatae istius methodi viam strenue munivit: modo ne dialectica et metaphysica subtilitate abuti voluisset, tum in ratione tradendarum rerum, tum in ipso etiam sermone. Vnde haud raro difficultas atque

o) Magno eruditorum cum plausu prodiit Halae a. 1742.; repetitum et notis auctum a. 1745.; novis quibusdam additamentis, quae *Bertramus* a magistri sui exemplari duxerat, instructum a. 1759.

p) S. I. BAVMGARTEN *ausführlicher Vortrag über die biblische Hermeneutik; herausgegeben von Ioach. Christoph Bertram*, Hal. 1769. 4. (Cfr. ERNESTII *Nov. Biblioth. theolog.* Vol. X. p. 793. sqq.) Antea hunc ipse librum ediderat: *Unterricht von Auslegung der heiligen Schrift*, Hal. 1742. 8.

atque obſcuritas obducta eſt rebus et verbis, quae explanari et intelligi poterant facillime.

SEMLERVS autem ipſam demonſtrationem et exercitationem interpretandi optimam eſſe magiſtram exiſtimans q), vix quicquam revocabat ad artem principiaque univerſa; nec eius de illo genere libri r) proprie praecepta continent, ſed obſervationes ſelectas notitiamque inſtrumentorum, quibus tirones in interpretando utantur. In quo magna eius ſunt et immortalia merita. Nam qui ante illum principes haberentur in hermeneutica et exegetica arte, ſi ab uno Erneſtio diſceſſeris, qui eodem tempore eamdem in Novo Teſtamento cauſſam ſusceperat, vel nullam plane critici et hiſtorici apparatus rationem habue-

q) Iudicium eſt IO. AVG. NOESSELTI, propoſitum in Ejus *Narratione de Semlero eiusque ingenio in primis et meritis in interpretationem S. S.* (Rigae 1792. 8.) p. L. ſqq. Non potui in his declarandis ducem ſequi meliorem.

r) Libri ita inſcripti ſunt: *Vorbereitung zur theologiſchen Hermeneutik,* Hal. 1760-69. quatuor partibus, 8. IO. IAC. WETSTENII *libelli ad criſin atque interpretationem N. T. pertinentes; illuſtravit I. S. Semler,* Hal. 1766. 8. *Apparatus ad liberalem N. T. interpretationem,* Hal. 1767. 8. *Apparatus ad liberalem V. T. interpretationem,* Hal. 1773. 8. *Neuer Verſuch die gemeinnützige Auslegung des N. T. zu befördern,* Hal. 1786. 8. *Zur Beförderung der kirchlichen Hermeneutik,* Hal. 1788. 8.

habuerunt, vel neglecto novo inveſtigandi ſtudio, amplexi ſunt id, quod a ſuae diſciplinae hominibus iudicatum, et velut haereditate relictum accepiſſent. Semlerus fuit princeps, qui univerſo illo apparatu uteretur ad firmiora interpretationis fundamenta iacienda, qui praeceptorum cognitionem hoc modo iuvaret magisque frugiferam redderet, qui omnino interpretationis rectae quemdam quaſi guſtum acueret. Inſidebat autem in eius mente ſpecies hermeneuticae, quam cernebat animo, re ipſa forſan ne tum quidem perfectam videbat, quum Erneſtiana Interpretis Inſtitutio prodiſſet.

Qui liber ERNESTII et admiratione ſumma exceptus, quum emitteretur, et bis repetitus [s]), et poſt mortem auctoris in claſſicis numeratus eſt [t]). Dotes eius potiſſimum in eo cernun-

s) Prima editio vulgata eſt Lipſiae a. 1761. 8. altera (nam repetitionem eam, quae inſcio Erneſtio facta eſt in Batavis, Lugduni, non numeramus) a. 1765., tertia a. 1775. Altera editio in primis multas vel obſervationis vel praeceptionis acceſſiones nacta eſt; ſed nec tertiae recognitio atque caſtigatio defuit.

t) Cfr. *Io. Aug. Erneſti Verdienſte um die Theologie und Religion von* W. A. TELLER (Berol. 1783. 8.) p. 9. ſqq. I. S. SEMLER *Zuſätze zu Tellers Schrift über Erneſti Verdienſte* (Hal. 1783. 8.) p. 23. ſqq.

nuntur, quod auctor, quae diffusa et dissipata essent, in certa genera coëgit; quod historicum et criticum apparatum intelligenter adhibuit; quod sedulo cavit, ne absoluta decreta, quos vulgo canones vocant, scriberet; quod in eo potius laboravit, ut e veris observationibus longoque usu scriptorum exterorum collectis vera praecepta derivaret; quod de reperiundo usu loquendi, tum communi scriptoribus graecis, tum N. T. proprio, eruendoque per illum usum sensu, subtilius multo et accuratius, quam ante eum a quoquam factum esset, exposuit; quod iudicium tropicae et emphaticae orationis, totumque locum de usu versionum antiquarum perspicuis et certis praeceptis explicavit; quod de lectionum variarum collectionibus, de meritis et usu interpretum N. T., de adminiculis ad exegesin sacram adhibendis peritius, quam decessores eius, iudicavit, adspersis ubique admonitionibus de recta discendi, in genere quidem, ratione, quae studiosis essent fructuosissimae. Nihil dicam de orationis puritate et elegantia, aliisque virtutibus, quae in Ernestii, imo Ernestiorum, libris non tam laudantur, quum adsunt, quam, si abessent, mirationem facerent. Vitia autem atque incommoda, quae in ista Institutione deprehenduntur, magis ab aetatis quadam con-

 tagione,

tagione, quam a ſcribentis culpa venerunt. Nam quum iſtis temporibus et in dogmatica nonnulli errores, a patribus propagati, regnarent afficerentque diſciplinas caeteras, neque omnino theologicarum diſciplinarum fines deſcripti ſatis eſſent atque terminati, neque hermeneutices ſingulae partes vindices ſuos atque explicatores inveniſſent: aeque ferre animo convenit, Erneſtium in quibusdam hermeneutices ſuae locis ſic iudicaſſe, magis ut receptam doctrinam et conſuetudinem, quam veritatem, ſequeretur [u]); indignari non debemus, immixta eſſe libello, quae nunc quidem in Introductionibus vel in libros N. T. vel in univerſam theologiam rectius tractantur, veluti caput de authentia ſingulorum librorum, de uſu diſciplinarum, alia; lenius denique et modeſtius conqueri decet, explicandi Veteris et Novi Teſtamenti leges ne ab Erneſtio quidem diligenter eſſe diſtinctas; multa in Inſtitutionem importata, quae V. T. hermeneuticam ſpectarent; plura etiam omiſſa, quae ad N. T. interpretationem proprie et praecipue pertinerent. Nam ut de textus hiſtoria taceam, defenſio grammaticae explicationis commendationem hiſto-

u) De his locis qui, MORI iudicium taciti non perſpiciens, auctoritatem monentis deſiderat, *notas* adeat *Ammonianas* p. 29. 121. et paſſim.

hiſtoricae prorſus excluſit, quamquam utriusque copulandae neceſſitatem Semlerus anno ante inculcarat [x]): nihil dictum de accommodatione ſcriptorum ſacrorum ad vulgi opiniones: nihil monitum de ſententia illorum, qui natam inde exiſtimant doctrinam, oppoſitam religioni puriori ac πνευματικῇ, in qua Chriſtianis ſine duce et magiſtro progrediendum ſit: nihil disputatum de notionibus atque opinionibus, quas Iudaei et Ethnici tum temporis de rebus moralibus habuerunt, et quarum fontes vel in Alexandrina verſione et multis Apocryphis graecis, vel in translationibus antiquiſſimis, latina et ſyriaca, earumque ſenſim facta interpolatione patent. Denique Erneſtius etiam compoſitionem rerum aptis et accommodatis locis, in qua intelligitur ordinis conſervatio, perſaepe neglexiſſe reperitur.

x) *Vorbereitung zur theol. Hermeneutik* I. (Halle 1760. 8.) p. 160. Sunt in hoc libro loci quidam valde notabiles, qui ipſum Erneſtium propemodum tangere videantur. Ex iis unum apponam: *Das wichtigſte kömmt in der hermeneutiſchen Fertigkeit darauf an, daß einer* ſowohl den *Sprachgebrauch* der Bibel *recht gewiß und genau kennet*, als auch die *hiſtoriſchen* Umſtände einer bibliſchen Rede *genau unterſcheidet und ſich vorſtellen kann; und nun auch im Stande iſt, von dieſen Gegenſtänden auf eine ſolche Weiſe jetzt zu reden, als es die veränderte Zeit und andere Umſtände der Menſchen neben uns erfodern.*

Verum haec et fortaſſis alia licet in Erneſtii libro deſiderentur: tamen, quanti ille aeſtimandus ſit, planiſſime intelligitur, ſi illius et proxime inſequutae aetatis ſimilia ſcripta cum eo comparaverimus. Tantum enim abeſt, ut ſuperatus a quoquam ſit, ut etiam iis, quibus nova lux exegeſeos affulſiſſet, magnopere antecellat. Omittam CHRIST. AVGVST. CRVSII hermeneuticas ſcholas y), in quibus illo ipſo tempore, quo Erneſtius hanc ſcientiam mirifice promoviſſet, multa de interpretis internis requiſitis, quae eſſent in animo veritatis cupido, eodemque humili ac demiſſo, de ſenſus variis formis, etiam de myſtico ſenſu eiusque agnoſcendi neceſſitate, de typorum, quos plurimos invenit, explicandorum modo, de exſtirpanda opinione illorum, qui loquutiones ad morem vulgi comparatas, hoc eſt, ut ille quidem interpretabatur, participationem et confirmationem erroris alieni in ſcriptoribus ſacris reperirent, de ratione humana, quae neutiquam eſſet ſenſu ſpeciali principium interpretandae Scripturae; in quibus igitur haec et ſimilia vel philoſopho molimine differebantur, vel

y) Auſus ſum de his iudicare, quoniam in manibus habeo, quae Pater meus, Cruſii primum diſciplinam ſectatus, ab hoc in ſcholis dictata diligenter conſignarat.

vel dogmatica obscuritate obruebantur. Sed haec ut mittam, quis comparatis cum Ernestii libro *institutionibus hermeneuticis*, quas IOACHIMVS EHRENFR. PFEIFFERVS decennio post edidit [z]), dubius iudex sedeat, cui principatum decernat? Quibus institutionibus, sermone scriptis probabili et observationum ubertate valde frugiferis, id potissimum agitur, ut regulae interpretandi litteris sacris propriae constituantur. Est profecto hoc probandum consilium viri, qui peculiaribus ad illos libros legibus opus esse, egregie viderat [a]). At quomodo exsequutus sit, intelligens lector iudicabit e caussis, propter quas indagatio et observatio talium legum illi visa est necessaria. Caussas in eo ponit, quod litteris sacris contineantur dogmata, quae naturalis cognitionis limites excedant; quod frequentissimae sint miraculorum recensiones, quorum alibi

z) Libri plena inscriptio haec est: *Institutiones hermeneuticae sacrae, veterum atque recentiorum et propria quaedam praecepta complexae, auctore* I. E. PFEIFFERO, Erlang. 1771. 8. Ediderat Auctor iam antea *Elementa hermeneuticae universalis*, quorum filum se ait sequutum esse in istis Institutionibus.

a) Viderunt hoc et recentiores, in his omnium acutissime IO. GODOFR. EICHHORNIVS (*Allgem. Bibliothek der bibl. Litteratur*, IV. p. 331), sed alio modo declaraverunt.

obſcurior ſit vel incerta ſignificatio; quod typi exhibeantur rerum futurarum; quod viſiones reperiantur ſub imaginibus, ſenſui aut imaginationi ſubiectis; quod deprehendantur orationes eventuum futurorum praenunciae; quod parabolae ipſae interdum aliquid prophetici contineant, multaque alia occurrant, quorum plane ſingularis ſit ratio, non aeque alibi obvia.

Satis erit, ex his argumentum libri noſſe: properamus ad reliquas huius generis ſcriptiones. In quibus nec IO. THEOPH. TÖLLNERVS, neque GOTTHILF TRAVG. ZACHARIAE Erneſtio noſtro palmam praeripuit. Ille [b]) demonſtrare potius leges hermeneuticas, quam ab uſu et experientia ducere anniſus, philoſophi ſubtilitatem prae ſe tulit, non item doctrinam grammatici, omnium minime theologi ἐλευθεροπρέπειαν, qualem caetera egregii viri ſcripta oſtendunt. Hic [c]) brevibus theſibus, ad ſcholae uſum comparatis, praeceptiones propoſuit, perutiles illas quidem, at multo certioris uſus futuras, ſi Veteris et Novi Teſtamenti hermeneuticam discreviſſet.

Neque

b) In libro: *Grundriß der erwieſenen Hermeneutik der heil. Schrift*, Züllichau 1765. 8.

c) G. T. ZACHARIAE *Einleitung in die Auslegungskunſt der heil. Schrift*, 1778.

Neque vero nobis ſolum Erneſtiana interpretis Inſtitutio profuit: ad Pontificios etiam bona eius propagata ſunt. Etenim poſtquam plures [d]) olim in praeloquiis, librorum ſacrorum explicationi praemiſſis, pauci [e]) in aliis etiam ſcriptis de interpretandorum illorum ratione egiſſent, ac propemodum omnes cum SANCT. PAGNINO [f]) myſticum ſenſum commendaviſſent: hac noſtra aetate exſtiterunt nonnulli, in his

d) Nobiles in primis ſunt IAC. GRETSERVS, NICOL. SERARIVS, IAC. BONFRERIVS, ALPHONSVS SALMERON, IO. STEPHANVS MENOCHIVS, IAC. TIRINVS, IO. *de la* HAYE.

e) In quibus eminet AVGVSTINVS CALMETVS, Monachus quondam Pariſinus, qui praeter alia ingenii monumenta *Dictionaire hiſtorique, critique, chronologique, géographique et literal de la Bible* (Pariſiis 1722. II. fol., edit. nov. Genev. 1730. IV. 4.) luci publicae expoſuit. Introductionis loco praemiſit *Bibliotheque Sacrée, ou Catalogue des meilleurs livres, que l'on peut lire, pour aquerir l'intelligence de l'écriture.* Atque huic meliorum, quos vocat, librorum indici praefixit *ſeptem regulas hermeneuticas*, quas ſub examen vocavit IO. FR. BVDDEVS in Praefatione Rambachianis Inſtitutionibus praemiſſa. Egit de iis uberius CHRISTOPH. WOLLIVS in *Examine regularum hermeneuticarum ab Auguſt. Calmeto civitati Chriſtianae commendatarum,* Lipſ. a. 1733. 8.

f) Edidit *Iſagogen* ſeu *Introductionem ad ſacras litteras*, Lugduni 1528. 4.

CHRISTOPHORVS FISCHERVS [g]), Presbyter et Professor Pragensis eruditissimus, qui lucem ab Ernestio sibi oblatam grati acciperent, et transferre ad suos cum laude conarentur.

Verum neque in his nunc lubet morari, neque, ut de Reformatis copiosius exponatur, quibus IO. CLERICVS [h]) inprimis, deinde IO. ALPHONS. TVRRETINVS [i]), nuperrime IO.

IAC.

g) Huius *Institutiones hermeneuticae N. T.* prodierunt Prag. 1788. 8. Adde *Notiones generales hermeneuticae sacrae N. T.* (auctore THADDAEO a St. ADAMO), Bonon. 1786. 4.

h) *De optimo genere interpretum S. Scripturae.* Quae est dissertatio II. Prolegomenis in Translationem V. T. inserta. Ante *Clericum* ex hac ecclesia laudantur ANDR. RIVETVS (*Isagoge seu introductio generalis ad Scripturam sacram Veteris ac Novi Testamenti*, L. B. a. 1627. 4.) DANIEL CHAMIERIVS (Panstr. Cathol. Tom. I. L. XVI. c. 4. 5. *de mediis internis et externis interpretandi Scripturam*), ABR. GVLICHIVS (*Hermeneutica sacra bipartita*, Artis praeceptiones de ratione interpretandi tum S. Scripturam universe tum speciatim prophetias summatim explicans: quae praefationis loco praemissa est eius *Theologiae propheticae de rebus Veteris Testamenti*), ROBERTVS BOYLE (*Cogitationes de Scripturae stilo*). Sed inserviunt fere haec scripta historiae theologiae exegeticae.

i) Eius librum, ab nostrae ecclesiae meritissimo Theologo instructum, supra not. *n*) recensui.

IAC. HESSIVS[k]) facem in hermeneuticis praetulerunt, instituti nostri ratio patitur. Terminanda igitur est disputatio in eo, unde fuerat exorsa. De recentissimo enim aevo non habeo, quod addam. Quippe novissimus Ernestiani Interpretis editor, CHRISTOPHORVS FRIDER. AMMON[l]), in toto hoc negotio sic est versatus, ut divitias eruditionis theologicae, quibus instructus est, atque ornamenta eius ingenii non nisi per quaedam integumenta cernamus, explicaturus illa, sicut fas est sperare, et ad clariorem lucem prolaturus in nova, quam parari ab eo audivimus, hermeneutices N. T. institutione. Cui nos quidem publicae utilitatis caussa sociam precamur atque aemulatricem eam hermeneuticam, quae CAR. AVG. THEOPH. KEILII docto et severo studio iam diu excolitur. Quo minus enim a BECKIO nostro, quod publice promisit, nunc quidem flagitare audeamus, plurimae eius litterisque ac litteratis votae occupationes prohibent.

 Horum

k) *Ueber die beste Art die göttlichen Schriften zu studiren, mit Rücksicht auf die gegenwärtige Lage des Christenthums; von dem Verfasser der Geschichte Jesu*, Zürich 1774. 4. Etiam hic liber non continet nisi pauca quaedam, ad hermeneuticam sacram universe spectantia.

l) Editio Lipsiae a. 1792. 8. emissa est.

Horum igitur praeſtantiſſimorum virorum eruditione dum hermeneutica fuerit eum in locum evecta, quem nunc non ſine quadam velut trepidatione exſpectat: haud inviti, ſperamus, theologiae liberalioris cultores accipient hunc MORI librum, nec ſine multiplici fructu cognoſcent.

Invitare nos hic locus poterat, ut de cognoſcendae hermeneutices neceſſitate in univerſum moneremus. Sed quum praefatio haec ita iam ampla evaſerit, ut patientia lectorum ſerio deprecanda videatur: in hac quidem admonitione pauciſſimis defungendum eſt [m]). Quamquam igitur hortandi ſunt iuvenes, qui ad exegeſin N. T. ſtudio ducuntur, ut animo rei gravitatem complectantur, neque regulis et praeceptis, quae facile diſcuntur, ſed uſu potius atque exercitatione ſe id, quod expetunt, conſequi poſſe confidant: tamen omnis exercitatio incerta eſt et uſus vacillans, niſi praeceptorum auxilio regatur atque ſtabiliatur. Quanta vero ſit hoc in genere legum certarum, hoc eſt, ab ipſa ratione praeſcri-

m) Etiam MORVS rem attigit p. 16. ſqq. Sed conferendi inprimis ſunt SEMLERVS *Vorbereitung zur theolog. Hermeneutik* I. p. 82. PLANCK *Einleitung in die theol. Wiſſenſchaften* II. p. 96.

ſcriptarum vis et auctoritas, clariſſime ex eo perſpicitur, quod prope nullus eſt Scripturae ſacrae locus, qui non distractus ſit interpretum diverſis explicationibus, atque in contrarias paene partes agitatus. Quorum interpretum quum quisque ſibi videatur tenere verum, ſuaeque argumenta ſententiae in promptu habere: unde tandem diiudicare rem licebit, niſi admotis legibus ac praeceptis, ad quae, tamquam ad Lydium lapidem, ſingulae explicationes earumque momenta exigantur?

Ad talem vero cognitionem tendentibus certiſſimus viae dux erit MORVS noſter, exegeticae pariter atque hermeneuticae diſciplinae egregius magiſter. Sive enim ad ſenſum ſcriptoris indagandum requiratur cognitio ſubtilior linguarum et conſuetudinis loquendi univerſaeque varietatis ſignificationum: excelluit ſane hoc in genere MORVS, qui in veterum operibus diutiſſime et ſtudioſiſſime verſatus, nexum ſignificationum eiusdem verbi ſollerter indagavit, omnem loquendi uſum ſine partium ſtudio inveſtigavit, atque inter hermeneuticae doctores princeps exſtitit, qui ſignificationem a ſenſu accuratius diſtinguere doceret. Seu facultate opus ſit, omnia ex omni parte ſpectandi, eamdem rem multis variisque modis cogitandi, conſueſcendi cum ſcri-

ſcriptore eiusque quaſi vultum ac lineamenta referendi: quis hunc naturae habitum, producta exercitatione firmatum et percultum, non agnoſcat in MORO, qui admirabili quodam artificio ingenium et mentem ſcriptorum, quoscunque tractaret, aperuit, eorumque obſcuriſſimos locos ita dilucidavit, ut finiret primo ſententias, finitas in omnes partes verſaret, explanaret, noſtrae cogitandi rationi admoveret, abſoluta denique ſingulorum explicatione, ſenſum et conſilium ſcribentis univerſum complecteretur. Hanc igitur interpretandi eximiam facultatem quum Noſter explicare et impertire ſuis ſtuderet, illuſtranda Erneſtii hermeneutica inſtitutione: fieri non potuit, quin et mentem ſcriptoris, cuius ipſe olim in ſchola formatus eſſet, accuratiſſime exponeret, et in multis illum exſuperaret. Erneſtius enim, velocioribus ingenii motibus et quaſi quodam impetu ablatus, ad alia ſemper atque alia feſtinabat, neque immorari ſingularum rerum tractationi, aut ordinem et modum illarum tradendarum ad obruſſam exigere ſolebat. Morus lento procedebat gradu, et diuturna animadverſionis atque examinis logici continuatione efficiebat, ut, quae ſingula cogitando luſtraſſet ſuoque ingenio veluti vindicaſſet, in unum apte coniungeret et ſub uno quodam obtutu collocaret.

Hac

Hac usus consuetudine, etiam in Ernestii libro diversa segregavit, aliena resecuit, et quae eodem ex genere disiecta essent ac dissipata, tam concinne disposuit, tam arcte copulavit, ut unum ex altero vim suam et lucem nanciſceretur. Interdum certam quoque et fixam vim adiunxit verbis, ab Ernestio late aut ambigue usurpatis; saepius observationes vel aliorum vel suas (quarum nonnullae, v. c. de discrimine sensus et significationis, de caussis allegoriarum etc. iam antea publici iuris factae sunt,) ad capita ab illo descripta revocavit, omninoque accuratam designationem et lucidum ordinem cum subtili et perspicua rerum finitione atque explanatione coniugavit.

Iudicabitur hinc, quam verum fuerit, quod de pretio et utilitate harum acroasium praefatus sum. Verum ista omnia sic accipi nolim, quasi in hac putem Ernestiani libri instructione atque exornatione nunc acquiescendum esse, seposita cura examinandi, addendi, demendi, aptius digerendi, certius constituendi. Imo serio optamus, ut hoc ipso libro terminetur hermeneutices aetas, cui Ernestii inprimis studia splendorem et diuturnitatem conciliarunt. Ac, nisi vana mentis nos fallit praesagitio, brevi exorientur, qui, quod ille instituit, exaedificare opus et perficere labo-

laborent. Nam multa profecto ſunt, quae in hac diſciplina addi, novari, excoli poſcant. Mutatis temporibus, etiam facies eius mutanda eſt.

Vt pauca ſaltem hoc ex genere delibem, ſopitis nunc controverſiis, ſeu potius litigatibus, de ſtilo ſcriptorum Novi Teſtamenti, non admodum opus videtur, ut in poſterum de his copioſius exponatur. Interpretum ſubtiliorum virtute exaruerunt fontes, e quibus quam dulces ſcilicet emphaſes olim emanarint, ſuavius guſtari exemplis, quam deſcriptione ſignificari ſolebat. At ſunt accuratius discernendae leges, quae aut Veteris, aut Novi Teſtamenti interpretationem regant; adſtringenda haec omnis diſciplina principiis certioribus et ad ſummam artis revocanda; perquirendum [n]), an et quatenus philoſophiae liceat de ſenſus per uſum loquendi et caetera ſubſidia exegetica inventi veritate iudicare; inveſtigandum, quid proprii habeat Novi Teſtamenti hermeneutica et ab interpretandorum exterorum ſcriptorum ſcientia diverſi, et quomodo diverſitas haec e notionibus, quas Chriſtiani de argumento ſacrorum librorum ſusceperunt, fluat; de-

n) Conf. IOH. GOTTFR. EICHHORN *Vorſchläge zur Hermeneutik*, in *Allg. Bibl. der bibliſchen Litteratur*, IV. p. 330. ſqq.

declarandum, an quibusve legibus ſcriptores N. T. ſeſe applicaverint ad eam cogitandi, ſentiendi dicendique rationem, quae ipſorum aetate, maxime inter homines incultos, invaluiſſet; explorandum, an falſae omnino fuerint opiniones, quibus mentem illi et ſermonem adiecerunt; videndum, qua ratione iſtud a vulgo ſumptum loquendi genus commutandum ſit eo, quod cultioribus eiusdem aevi hominibus placuiſſet, et quo pacto denique hoc reduci ad noſtrum dicendi morem poſſit; oſtendendum, quibus notis iſta, ſingulis quidem in locis, accommodatio deprehendatur; explicandum, qui ſcriptores vulgare ſint orationis genus ſequuti, qui politius ſcripſerint, et quale omnino cuiusvis ingenium, qualis animus fuerit. Haec omnia quo facilius explanentur, porro opus eſt, ut cultura Iudaeorum pariter atque Paganorum, quae quidem fuit iſta aetate, ut omnis illorum cogitandi ratio opinionesque vulgi accuratiſſime deſcribantur. Tum etiam de morali ſeu practica Scripturae ſacrae interpretatione, quam IMMANVEL KANTIVS commendavit, agendum eſt ſic, ut eius omnis aut veritas aut perverſitas pateat. Quaerendum, num ille grammaticam et hiſtoricam interpretationem deſpexerit, an moralem ſuam certis de cauſſis et certos in uſus adiunxerit;

quae

quae illae cauſſae ſint; an perſuadendi vim habeant; quid ſectatores eius novarint, praeceperint, in uſus converterint; quid utilitatis et fructus ex hac morali locorum pertractatione, vel ad exegeſin, vel ad animos hominum redundaturum eſſe videatur. Denique etiam alia capita, v. c. quae ſunt de parabolis et adagiis in N. T. obviis; de mythorum biblicorum, quos vocant, ratione, generibus, uſu; de pugna locorum, in primis hiſtoricorum, eiusque aut fontibus aut inani ſpecie; de indagatione rerum in tranſitu et praeter neceſſitatem adiunctarum, quae ſenſus intelligentiam iuvent; vel inferenda ſunt hermeneuticis inſtitutionibus, vel diductius explananda, vel prorſus alio modo tractanda.

Ad haec igitur atque huius generis alia etiamſi ſtudia Hermeneuticorum in poſterum convertenda ſunt: tamen iuvabit, vel hoc libro duce, cognoſcere limites, ad quos usque Erneſtius et qui ſectam eius ſequuti ſunt, proceſſerint, ut notis atque exploratis fundamentis, quae illi iecerunt, firmius atque praeſtabilius aedificium ſuperſtruatur. Tali ego ſpe erectum me ſaepius excitatumque ſenſi in hoc labore: cuius qualis omnino ratio fuerit, reſtat, ut paucis demonſtrem.

Prima,

Prima, imo maxima, cura fuit, ut in edendis his acroaſibus pie atque religioſe agerem adverſus Auctorem, cuius olim et diſciplina ſaluberrima, et, quod non ſine pectoris graviore commotione adieci, conſtantiſſima benevolentia liberaliſſimoque hoſpitio per multos annos uſus ſum. Illam vero religionem neutiquam in eo ponendam eſſe iudicavi, ut quaecunque, et quocunque tandem modo tradita, in ſchedis inveniſſem, exſcriberem et cum lectoribus communicarem; ſed omnem potius huc retuli pietatem, ut lectiones eo modo divulgarem, quem ipſe MORVS, ſi vulgatas vidiſſet, non prorſus improbaturus videretur. Nam ut eas repraeſentarem fide integra, laborandum ſane erat, quantum poterat: at debebat etiam laborari, ut nusquam non ſimiles ſui et auctore dignae prodirent. Adhibui igitur duo recitationum exempla, quorum unum in ſcholis, per aeſtivum ſemeſtre anni 1791 eiusdemque et ſequuti hibernum frequentatis, meo ſtudio confeceram; alterum ab IO. FRIDERICO HABERFELDIO, amico doctiſſimo et cariſſimo, apud Neukirchenſes prope Miſniam ſacra faciente, e lectionibus prioribus anni 1785., quibus interfuerat, benevole impertitum accepi. Quorum exemplarium diligentiſſima collatione cavi, ne auctori ſententia ob-

 tru-

truderetur, quam ipse in scholis non tradidisset, nisi quae forte ad nexum requireretur; neu quid excideret eorum, quae diversis quidem temporibus proposita, tamen luce publica aeque digna existimarem. Quoniam enim MORVS longissime afuit a segnitie et inertia doctorum academicorum, qui lectiones olim vel compositas, vel descriptas, vel coëmptas etiam, de scripto quotannis recitant, sed nova semper atque propria meditatione instructus, ad dicendum processit: commentatio eius in eumdem vel librum vel scriptorem, diversis annis proposita, minime fuit eadem: sed multa serius correcta, mutata, declarata, dubitata sunt, quae antea vel perperam exposita, vel iusta luce orba, vel rationum praesidiis destituta viderentur. Sed ob eam rem viro eximio etiam accidit nonnumquam, ut in posterioribus scholis e memoria effluerent, quae in prioribus dixerat rectius, dilucidius explicarat, exemplis magis idoneis illustrarat. Unde non raro nobis necessitas orta est, ad superiores scholas redeundi.

Talibus in locis sicut meum ita sum iudicium sequutus, ut modo utriusque scholae bona coniungerem (quod factum in primis est in exemplis biblicis), modo ex una seligerem, quod, explorata re, alteri praestare videretur: ita repe-

titio-

titiones inutiles omiſi; omiſi etiam cohortationes, auditorum cauſſa hic illic interſperſas; omiſi alia, quae ad eam, quam ſupra cathedrariam dicendi libertatem appellavi, unice pertinerent. Et forſan omiſiſſem plura, niſi haec et dicta quondam a MORO, et a nobis nunc edi meminiſſem in uſus eorum, quorum non tam elimanda eſſent ingenia, quam inſtituenda ac demum erudienda. Sed amplius dicendum et ingenue profitendum eſt. Omiſi etiam, quae falſo, certe non accurate ſatis tradita reperiſſem, hac tamen lege, ſi illa ſalvo contextu, ſine diſcrimine nexus, ſine totius denique detrimento ordinis atque tractationis praeteriri poſſent.

Duo tantum huius generis loca afferam. Ubi *frigidi ſenſus* notionem aperire MORVS ſtudebat (pag. editionis noſtrae 157), exemplo ibi propoſito de iocis frigidis adiecerat et aliud de *tumore orationis*, qui *frigidus eſſet*, *quum non efficeret admirationem et ſtuporem*, *ſed inanem ſpeciem magnitudinis oſtenderet.* Verum enim vero quia tumida oratio numquam efficere poteſt admirationem atque ſtuporem, ſed ſemper ſpeciem habet ſublimitatis et magnitudinis, quum vera ſublimitas nulla ſubſit: icciro exemplum male additum iudicavi, et, praeſertim quum illud prius ſufficeret, in editione omiſi. Pagina

239 ubi ſermo eſt de puritate linguae graecae, quam habuit incluſa finibus Graeciae, b. Auctor hanc ſuperaddiderat finitionem: *Graeciae Europaeae, inde a finibus Boeotiae usque ad Laconiam.* Parum haec congruunt geographicis rationibus, nec rei ipſi ſatisfaciunt: igitur excluſi. Aliis contra in locis, in quibus, qui ſubeſſe errores viderentur, rei ſummam ipſiusque pertractationem argumenti attingerent, non niſi animadverſionibus adiectis notare eos auſus ſum: ut pag. 56. 99. 165. 206, alibi.

Hoc inſtitutum, non dubito, quin cordatis ſim iudicibus probaturus. De alio libere, ut virum bonum decet, confiteri malo, quam callido vel diſſimulationis vel excuſationis perſugio uti. Nimirum ad religionem editoris, in tali quidem opere, etiam hoc pertinere arbitratus ſum, ut orationem poliat, vinciat, emendet; ne, qui rerum praeſtantia liber ſuperat, idem in dicendo inermis aut parum caſtigatus reperiatur. Non ſane exſpectanda ſunt ornamenta orationis ab eo, qui docendo dilucidiora omnia quam planiora efficere ſtudet; neque poſtulandum, ut adſtricta in eiusmodi libro brevitas ad ſuavitatem maiorem et ubertatem remittatur atque relaxetur. Proinde, ſi b. Auctor uno tenore, ut aiunt, in dicendo fluxiſſet, ſequutus ubique facilitatem,

aequa-

aequabilitatem et concinnitatem, quae in ipſa etiam ieiunitate locum habet: ab immutationibus prorſus abstinuiſſem; neque omnino, ubi ſubtili quadam et preſſa oratione limatus eſſet, quicquam mutavi. Sed quum oratio fere inveniretur non modo nimis conciſa minutis numeris, ſed praefractior etiam atque aſperior, nec ſatis, ut ita dicam, rotunda, interdum quoque parum emendata: inſtitui primo vitioſa corrigere, tum vincire magis, quam dilatare verbis, et mollioribus numeris explere ſententias. Quod tanto etiam magis videbatur conſentaneum, ne MORI oratio nimis abhorreret ab Erneſtiana, e qua ſaepe nobis, nexus et perſpicuitatis cauſſa, quaedam repetenda eſſent atque illius verbis interponenda.

Sed ut ingenue agam cum lectoribus, praeſertim ingenuis, quorum ego cenſuras hac in cauſſa non vereor, praeclara conſcientia ſuſtentatus: meum ipſe facinus indicabo, exſignandis diligentiſſime aliquot MORI locis e meo exemplari, quae absque omni ſtudio quaerendi primum in oculos atque calamum incurrunt. Dabo autem loca quatuor: quorum duo priora comparationi inſerviant, inter MORI lectionem et noſtram illius recenſionem inſtituendae, reliqua duo ſimul oſtendant, quid et quomodo amici

ſchedis adiutus, in poſterioribus acroaſibus e prioribus ſuppleverim.

Primus locus eſt is, qui in noſtra hac editione p. 67. legitur. Eum MORVS ſic extulit:

Erneſtius dicit: *nullus alius verborum ſenſus eſt, niſi grammaticus.* Senſus erat notio rei expreſſae dictione integra. Sed qua via notionem aut ſenſum diſcere poſſum? Una poſſibilis eſt via: per linguam, per uſum loquendi. Iam per linguam, per uſum loquendi diſcere ſenſum, eſt grammaticum ſenſum diſcere. Ergo nullus alius eſt ſenſus, quam grammaticus. — Hoc monuit Auctor contra nonnullos. Nam nonnulli ſtatuunt, duplicem ſenſum eſſe, quum unus tamen tantum ſit. Iis *grammaticus ſenſus* eſt is, quum aliquis ope lexici et libelli grammatici reſolvit vocabula, et exponit verbotenus, et nonnulla vocabula et phraſes explicat. Ab illo diſtinguunt *logicum ſenſum:* hunc et *realem* nominant. Intelligunt id, quum res ſub verbis illis latens explicatur: ut quum res ſub illis verbis latens: *littera occidit* o), ab interprete explicatur. Eum appellant logicum, quoniam, ut putant, logices ope diſcitur, comparare ſubiecta et praedicata. Hi igitur primo vim grammatici ſenſus non

o) Hoc exemplum omiſi, quoniam paullo ante (p. 65.) iam allatum, et copioſius illuſtratum erat. Eius in locum ſuffeci aliud, ſumptum e lectionibus prioribus.

non affequuntur: nam anguftiffimis finibus eum includunt. Deinde dum illi rem, fub verbis fingulis latentem, realem fenfum appellant; nefciunt p), etiam in grammatica explicatione hunc fenfum explicari debere. Hoc non difcitur in logicis.

Alter locus (pag. 271 fq.) in fcholis MORI ita eft traditus:

Quidam negant effe fynonyma: et quoniam hoc negant, omnia et fingula ftudiofe discernere interpretando tentant. His, qui negant effe fynonyma, non omnino quidem, fed ex parte affociat hic fe Auctor. Thefis haec eft: *Proprie*, ait, *non funt fynonyma verborum propriorum. Proprie:* fi primam originem linguarum et primam vocabulorum fignificationem fpecto. Prima origine linguae fuere pauperes; copia de die in diem acceffit. Fortaffe igitur ab initio linguae non habuerunt fynonyma. Verum concedamus id, originetenus non fuiffe fynonyma; at nos non poffumus redire ad primam originem linguarum; nos non utimur lingua, qualis fuit ab initio, fed qualis eft nunc. Ea vero, qualis eft nunc, habet fatis multa fynonyma. Hactenus quâ originem primam linguarum affociat fe Auctor illi fenten-

p) Ex hac interpunctione, quae vera eft, vitium eft typographicum in editione noftra corrigendum, quod fenfum pervertit.

tiae neganti, eſſe ſynonyma. Sed non omnino negat. Dicit: *ſunt profecto ſynonyma:* 1) *diverſarum dialectorum.* Cogitabimus provincialia vocabula: et multa vaſa et genera ſupellectilis alibi aliter appellantur. Haec ſunt ſynonyma. Confluunt deinde vocabula dialectorum, et ita ex mixtione dialectorum variarum fiunt multa ſynonyma. Multa ſunt in Homero ionica vocabula: v. c. μῆνις, quae proprie dicitur ὀργή. Facta ſunt haec ſynonymica verba; et qui non eſt ex Ionia, tamen dicit μῆνις, ubi carmen ſcribit. Ποιεῖν dicitur et ἔρδειν, ῥέζειν. Haec ne tantillum quidem inter ſe invicem differunt. Hic eſt unus fons ſynonymorum. Alter 2) *diverſarum aetatum* etc.

Tertius locus eſt pagina 34.

Paragrapho 4. fere media Auctor dicit: *liberum non eſt, verbo tribuere ſignificationem, quam velis, nec in uſurpando, nec in interpretando.* Etenim uſus loquendi tyrannus eſt. Quod conſuetudo ſemel introduxit, id nec mutari poteſt, nec debet. Omnis uſus loquendi eſt res hiſtorica, res in facto poſita: docet, quas ideas expreſſerunt per hunc ſonum. Res autem in facto poſita non poteſt fieri infecta: ergo nec uſus loquendi mutari poteſt. Valet autem hoc immobile principium, nihil explicandum eſſe contra uſum loquendi. Nec ex etymologia contra uſum loquendi diſputandum. Per etymologiam poteſt *infucatum* eſſe id,

id, quod non fucatur, ſed uſus loquendi introduxit, ut infucatus eſſet fuco tinctus. Hinc *infucatus amor* eſt *geſchminkte*, *unächte Liebe*, amor non genuinus. — Eadem §. 4. eſt alia obſervatio: *nec eodem tempore* etc.

Quartus locus eſt pagina 114.

Alterum praeceptum: *Quo quis magis linguam intellexit: eo magis fidem meretur eius interpretatio.* Sic Patres graeci idonei ſunt interpretes Novi Teſtamenti, cuius uſum loquendi bene calluerant, ſed in hebraismis explicandis ſaepe falluntur. Multo peior eſt Patrum latinorum hoc in genere laus, qui ſaepe ne graeca quidem intelligebant: erant ſaepe verſionis male factae et male intellectae mali interpretes. Nihil igitur hic faciunt praecepta: quo quis interpres doctior ſit, eo magis fidem mereri. Legendi et examinandi ſunt libri.

Haec ſpecimina acroaſium q), data bona fide, non ſelectis exemplis, quae noſtrae cauſſae

faveant,

q) Ne quis exterorum demiretur, locos a me tam prolixos ipſis MORI verbis reddi potuiſſe: primum ille pronunciatione utebatur lentiore ac remiſſiore, quam facile ſequi ſcribendo liceret; deinde ego, conſignandis *prope ſingulis verbis*, imitabar illo tempore morem perverſum eorum, qui me cingerent in ſcholis, et quorum calami meas undique aures circumſtreperent. Dolendum

faveant, ſi forte repudiaverint immutationis, ſeu potius recenſionis huius vituperatores: in promptu ſunt centena alia, quae fortaſſe cauſſam pervincant. Quicquid ſit, cautum hac cura volui, ne ſperneretur a faſtidioſioribus huius lectio libri, neve ipſa eius frons, quae *acroaſes editioni aptatas* pollicetur, erubeſceret.

Nec vero haec una fuit aptandi ratio; ſed adornationi libri lectorumque commoditati etiam aliis modis proſpexi. In qua re, neſcio, an hoc primum ſit hoc loco commemorandum, quod legentes moleſta liberavi neceſſitate, in ipſo legendi ſtudio identidem recurrendi ad Erneſtii Interpretem. Quo quum MORVS duce in ſcholis ſuis uteretur: nunc ipſe paragraphos ex eo, certe particulas paragraphorum, quas deinde uberius illuſtraret, publice praelegit, nunc privato eas ſtudio percurri iuſſit, ſi nihil haberet, quod explicationis gratia adderet. Has ego particulas, ne nexus turbaretur et manca ſaepius atque interrupta exiſteret enarratio, ipſis Erneſtii verbis retentis adiicere, aut reliquae orationi intexere

dum profecto eſt, morem hunc, quo nulla eſt iuvenum ſtudioſorum peſtis deterior, nulla, quae veternum ſtultamque et improbam credulitatem citius afferat, in multis etiamnum regnare Academiis.

intexere nullus dubitavi. Caeterum ut Erneſtii deſignarem paragraphos, quas MORVS noſter aut ordine tractatas repetiit, aut melius ordinatas tractavit, appoſui notas numerorum arabicas: ipſas MORI paragraphos latinis inſignivi. Quantumvis enim ad intelligenda ea, quae MORVS dixit, nulla nunc lectorum urgeat neceſſitas, evolvendi Erneſtianum Interpretem: tamen operae pretium fuerit, non modo ea conferre, quibus ſuas ille annexuit explicationes, verum etiam quae ſervatis magiſtri ſui verbis, ex eo ſimpliciter repetiit. Quippe in his ipſis repetitionibus paſſim quaedam leniter, ſed prudentiſſime inter recitandum mutata [r]) lector attentus animadvertet.

Deinde pondera argumentorum cernere, atque articulatim ſingula proponere, numerorum etiam ſignis diſtinguere placuit. Porro paragraphos, quae eſſent productione longiores, apta conciſione breviores reddidi, in plures diſſecui, ſingu-

r) Unum dabo, ſed inſigne exemplum. Scripſerat ERNESTIVS (Part. I. Sect. I. §. 16.), *non alio modo vel quaeri vel reperiri ſenſum verborum in libris ſacris quoad humana opera intercedat, quam quo in humanis vel ſoleat vel debeat.* MORVS praelegens paragraphum (v. huius edit. p. 70.), verba diductis litteris notata praetermiſit.

ſingulisque argumenti brevem deſcriptionem praefixi. Quae MORVS germanica interpoſuerat, latine converti; ac ſi quae loca N. T. repetiiſſet e Lutheri verſione, (quod et ipſum haud raro fecit brevitatis ſtudioſiſſimus,) textum graecum exhibui. Denique etiam librorum vel editionum, ad quas Auctor paſſim tribus verbis provocarat, diligentiorem et accuratiorem notitiam dedi.

Quae quidem vel additiones vel immutationes etſi per ſe perquam ſunt leves, nec dignae niſi praefantis brevi commemoratione: eaedem tamen ubivis adhibitae effecerunt, ut hae acroaſes multum nunc mutatae, priſtinaque ſua paene depoſita forma, in lucem prodirent. Quas ſi forte diſcipulus MORI cum ſuis ex eadem ſchola notatis compararit, nec verba ubique aut expoſitionem eius agnoverit: nae ille, niſi iniquiſſimum ſe praebiturus ſit, parum indignabitur editori, qui hoc ſaltem curavit, ut mens et tractatio Auctoris numquam non agnoſceretur. Omnino, ut brevi complectar, in toto hoc edendi negotio ſi tantum mihi aut tribuendum aut imputandum profiteor, quantum (liceat enim parva magnis componere) Homericae Iliadis διασκευασταῖς praeſtantiſſimus nuper poëtae editor tribuit: profeſſionem hanc iuxta ferent ii, qui audaciam homi-

hominum in mutando carmine divino accuſant, et qui curam illorum atque ſollertiam in eo concinnando poliendoque laudibus celebrant. Utrisque illud ſpondeo, me huic Iliadi numquam eſſe Odyſſeam quamdam additurum.

Expoſui, qua ratione vel exiſtimationi harum acroaſium, vel commoditati lectorum conſulere tentarim. Sed alia etiam ſunt, quae utilitatis cauſſa facere conatus ſum. Adieci enim Auctoris enarrationi haud paucas notationes s), modo paragraphis ſingulis, vel capitibus, ſubnexas, modo textui, ſi breviores eſſent, inſertas, modo ad imum quoque marginem reiectas. Has ego non doctis ſcripſi et exercitatis viris, qui meam vel admonendi diligentiam, vel colligendi ex aliorum ſcriptis praeſtantiſſima quaevis aſſiduitatem minime deſiderant, ſed tironibus, neque uſu librorum valde inſtructis, quibus hoc libro aliquod hermeneuticae Novi Teſtamenti, ut ita dicam, promptuarium deſtinaram. Itaque primo ea, quae a MORO viderentur non plene ſatis aut recte expoſita, notis meis ſupplere et corrigere tentavi. In quo ubivis eum modum tenui, ut perſpicuitati adiungerem brevitatem. Quocirca ſi quae ille ſic expoſuiſſet, ut, quamquam

s) Uncis hae notae incluſae ſunt et littera *E* notatae.

qnam res et aliis modis et enucleatius poſſet tractari, tamen ipſius enarratio ſatisfactura deſideriis legentium videretur, nihil praeterea adieci.

Qualis eſt, ut unum de multis ſeligam, locus de *Parabolis* in Novo Teſtamento obvenientibus [t]). In quo moneri ante omnia poterat, et fortaſſis debebat, in ſignificatione verbi propria, eaque laxiſſima, utpote ducta ex hebr. מָשָׁל [u]), non eſſe haerendum, ſed notionem potius univerſe conſtituendam. Ea ſic poterat conſtitui, ut intelligerentur tales Novi Teſtamenti narrationes, in quibus res fictae, tamquam factae, traduntur eo conſilio, ut vel dogmatica moralisve ſententia illuſtretur, vel aliud factum oculis animisque audientium propius admoveatur. *Fictas* fuiſſe res, doceri deinde poterat iudicio illorum, qui vel propoſuiſſent, vel cognoviſſent parabolam. Quoniam vero ad illuſtrationem aut ſententiae aut facti neceſſarium erat, res illas proponere ut *veras* in factoque poſitas, hinc declarari poterat, quo fundamento nitantur partes parabolae, quas MORVS non neceſſarias dixit, veriſimi-

t) Tractatus a Noſtro Sect. II. cap. IV. §. XXVIII. pag. 314. ſqq.

u) Cfr. GLASSII *Philologia Sacra* I. p. 303. LOWTH *Praelectiones in poëſin Ebraeorum*, prael. XXIV, Part. II. p. 483.

ſimilitudinisque cauſſa additas. Oſtendi porro poterat, hunc fuiſſe χαρακτῆρα, hanc indolem parabolarum, quas Chriſtus non excogitaviſſet primus, ſed ad imitationem atque conſuetudinem iudaicorum doctorum x) protuliſſet, ita tamen, ut ingenio et dicentis et audientium eſſent accommodatiſſimae. Itaque huc ſemper eſſe revocandum animum, ut reputemus, parabolis ſaepenumero tangi homines, iſto qui tempore viverent y), alludi ad facta, quae illis ſatis nota eſſent vitaeque communis conſuetudine frequentata z), reſpici ubivis ad locum et regionem, in qua loquentes verſarentur a). Quarum rerum omnium ſi

x) Cfr. VITRINGA *de ſynagoga vetere*, Part. I. Lib. III. c. V. p. 678.

y) Vid. I. L. EWALD, *der Blick Jeſu auf Natur und Menſchheit*, *oder Betrachtungen über die Gleichniſſe unſeres Herrn. Ein Leſebuch für Chriſtusverehrer.* Leipz. 1786. 8.

z) Vid. ERNST GOTTL. WINCKLER *Verſuch über Jeſu Lehrfähigkeit und Lehrart, in ſofern ſich dieſe zur Faſſungskraft ſeiner Zuhörer herabläßt, und für Religionslehrer Muſter iſt*, Leipz. 1797. 8. Multa in hoc libro etiam ſunt de parabolis. Add. G. CHR. STORRII diſſ. *de parabolis Chriſti*, Tub. 1779. et in Ejus *Opuſculis acad. ad interpretationem librorum ſacrorum pertinentibus*, Vol. I. no. 2.

a) Egregia eſt diſſertatio ſcriptoris anonymi: *Localität der Parabeln Jeſu*, in libro: *Beyträge zur Beförderung des vernünftigen Denkens in der Religion*, XI. Heft, n. VIII. p. 138—140.

ſi accurata notitia gauderemus: dubitari non poſſe, quin et parabolarum originem, formam, colorem facilius explicaturi, et quas partes cenſemus non neceſſarias, neque ad rem facientes, earum neceſſitatem, aptam interiectionem et egregiam vim rectius iudicaturi eſſemus. Tum claſſes poterant et quaſi ordines parabolarum deſcribi: hiſtoricarum (Matth. XIII. XXI, 33.), dogmaticarum (Matth. XVIII, 23. Luc. XV, 3. 8.), moralium denique, quae vel mores et ſenſus animi, eorumque fontes aperiunt (Luc. VII, 41.), vel ſententiam moralem illuſtrant (Matth. XXI, 28. Luc. X, 30.), vel ſingula officia commendant, proponendis tum obſervationis praemiis (Luc. XVI, 1.), tum neglectionis noxis atque damnis (Luc. XVI, 19. XVIII, 10.). His ita deſcriptis, apparebat fortaſſe, in parabolis explicandis omnino ſpectanda eſſe duo: primum, ut ſententia parabolae ſubiecta, vel factum eius ope adumbratum, eruatur atque illuſtretur; deinde, ut partes primariae, h. e. quae ad rei vel facti ſummam pertinent, conſtituantur, et a caeteris, quae ſunt velut ſecundariae, ſeiungantur. Prius illud qua arte praeſtare poſſit interpres, MORVS bene docuit. Sed in partium disquiſitione, quam Chryſoſtomus [b]) interpreti iam commendavit, parabolae,

b) *Homil. ad Matthaeum* LXIV.

bolae, quibus ſententia aliqua explicatur, omnino discernendae erant ab iis, quae in adumbrando facto ſimili ſubſiſtunt. In illis partium ſingularum neceſſitas iudicanda eſt ex conſilio narrationis et eo, quod inde efficitur: quod vel e diſerta ipſius auctoris declaratione, vel e partium, quibus parabola continetur, comparatione perſpicitur. In hiſtoricis autem parabolis prope nullae ſunt partes, quae accommodari ad rem, ſimilitudine narrationis expreſſam, nequeant, aut quae exornationi tantum inſervire videantur [c]).

In tractando hoc loco aliam MORVS viam ingreſſus eſt, non illam quidem ſpernendam, ſed aliam tamen. Ac poterant hoc ex genere multo plura commemorari. In quibus ſi novae ſemper periculum tractationis in notis facere voluiſſem: verendum erat, ne liber excreſceret in molem moleſtam lectoribus, et emptoribus minime ſalubrem. Quapropter in eo acquievi, ut propoſitae a b. Auctore tractationi notas qualescunque meas accommodarem; ut non niſi ea adiungerem, quae maxime neceſſaria viderentur; ut libros,

c) Ad rem omnem, breviter a nobis ſignificatam, cfr. GEO. LOR. BAVER *Sammlung und Erklärung der paraboliſchen Erzählungen unſeres Herrn,* Leipz. 1782. 8.

libros, unde plura possent hauriri, diligenter significarem. Quorum efferendorum sedulitate si quis forte hic illic offendatur: cogitet quaeso, quod agere mihi proposueram, constanter fuisse agendum; interdum etiam, quod MORVS hoc in genere instituerat, aliquo modo perficiendum. Ut et hic unum de pluribus locum commemorem, quum MORVS in Prolegomenis (§. VII. p. 12.) de praesidiis sensus inveniendi, quae essent etiam in historiae et antiquitatis cognitione, monuisset, et alibi per aliam occasionem (Sect. II. cap. I. p. 135. 139. sq.) libros quosdam laudasset, de ritibus iudaicis atque rabbinicis scriptos: consultum existimavi, aucto librorum illorum numero, unum in locum conducere, quae iuxta se posita utilius cognoscerentur. Huic ergo rei locum dicavi priorem, quamquam et sine isto librorum indice plenum et intellectu facilem, ad eumque in posteriore illo, cuius arctior nexus non erat litterariis annotationibus interrumpendus, breviter provocavi.

Quid efficere laborarim, candide exposui. Ut, quicquid navavi, tironibus prosit, precor: ut ne displiceat viris, optare magis quam sperare audeo.

Scr. Lipsiae, m. August. a. cIↃIↃCCXCVII.

ADDEN-

ADDENDVM.

Socordia typothetarum dum ad finem praefationis admodum lente progrediebatur, in mentem recurrit liber, de quo supra pag. XL. dicere oblitus, hic lectores admonere volui. Est ille DANIELIS WYTTENBACHII, Theologiae quondam in Universitate Marburgensi Professoris, studio confectus, et anno ante Ernestianam Interpretis Institutionem hac inscriptione in lucem emissus: *Elementa hermeneuticae sacrae, eo quo in scientiis fieri debet, modo proposita*, Marburgi, 1760. 8. Qui liber etsi lectorem elegantiae assuetum absterreat et reiiciat barbarie sermonis, qua scatet: tamen praeceptionum ἀκριβείᾳ, salubritate, ordine etiam, plurima istius aetatis et nostrorum quoque theologorum similia scripta superat: ut *Turretini* intelligentem sectatorem facile agnoscas. Vere et subtiliter in praefatione compendiorum hermeneuticorum (in primis, ut opinor, Baumgarteniani et Rambachiani,) vitia deteguntur, quorum alia sint in philosophiae Wolfianae abusu, alia in adiectione rerum, e diversis ab hermeneutica disciplinis petitarum, alia in omissione capitum, quae ad rei summam faciant

 (quale

(quale eſt caput de verſionibus ſacri codicis componendis), alia in neglectione ordinis et iuſtae brevitatis, alia denique in defectu illuſtrationis atque exemplorum. Haec igitur vitia uti effugere Wyttenbachius ſtuduit, ita *Lindenii*, *Reckenbergeri* et *Zenkelii*, celebrium Eccleſiae reformatae theologorum, eorumdemque hermeneutices ſacrae enarratorum, exempla ſequutus, pertractationis eum modum tenuit, ut per definitionem, propoſitionum demonſtrationem, illuſtrationem et arctiſſimam connexionem ſingula argumenta perſequeretur. Ac multa ſane perite tractavit; potiſſimum quae de ſignificatu verborum et loquutionum ſenſu, de circumſtantiis exegeticis, de parallelismo ſcripturae ſacrae inſtituendo, de contextu ſeu antecedentibus et conſequentibus, ac de adminiculis hermeneuticae ſcripſit. Neque enim in tractatione iſtorum omnium vis ulla erat notionum dogmaticarum de inſpiratione. Quarum luce niſi Wyttenbachius caruiſſet, in iis etiam, quae de ſenſu mediato, regularum logicarum ope ibi eruenda, ubi plures conceptus, quam primo intuitu apparet, a Spiritu Sancto innuantur, de emphaſibus porro aliisque huius generis disputavit, dignum ſeſe Erneſtii anteſignanum praeſtiturus fuiſſet.

HER-

HERMENEVTICA

NOVI TESTAMENTI.

PROLEGOMENA

DE

INTERPRETATIONE VNIVERSA.

I.

Neceſſitas et utilitas hermeneutices N. T.

De neceſſitate atque utilitate ſcientiae interpretandi (*Ern. Interpr.* §. 1.), non eſt, quod multis diſſeramus, quum ea pertineat omnino ad ſacras litteras cognoſcendas et intelligendas.

[Quum enim Chriſtus doctrinam ſuam ore tradiderit diſcipulis, per ſcripta propagandam: ſponte intelligitur, *neceſſariam* eſſe Theologo interpretandi ſcientiam ad cognoſcendos fontes, e quibus doctrina Chriſtiana haurienda eſt. Apparet etiam, eamdem recte iudicari *neceſſariam* ad ſervandam religionis puritatem eiusque veritatem ab adverſariorum criminationibus vindicandam. Accedit, quod noſtris temporibus haec diſciplina tanto cenſenda eſt

 ad

ad fructum uberior, quanto magis recta et ſobria et ſubtilis litterarum ſacrarum interpretatio dubitandi modeſtiam praecipit, ſtudium ulterius inquirendi commendat iudicandique impudentiam et temeritatem arcet atque compeſcit v. MORI *epitome theolog. chriſtianae*, Praefat. p. XII. et cap. *de Scriptura ſacra* §. 30. Nihil itaque mirum, quod ERNESTIVS ad commendandam hanc ſcientiam addit, principes Theologorum omni tempore numeratos eſſe eos qui hac in arte excellerent. Magna eſt auctoritas Origenis et aliorum quorumdam veteris eccleſiae doctorum; maior Lutheri, Melanchthonis eiusque diſcipulorum, qui hermeneutices et linguarum ſtudia inſigni cum fructu revocarunt, et ad interpretanda religionis monumenta tranſtulerunt. v. ERNESTI *opuſcula theolog.* p. 586. Idem teſtatur recentioris aevi hiſtoria. cfr. NOESSELT *Anweiſ. zur Bildung angehend. Theologen*, p. 295. ſeqq. E.]

II.

Difficultates N. T. recte interpretandi.

Neque illud novum eſt aut incognitum, interpretationem librorum ſacrorum N. T. multis de cauſſis laborare difficultatibus (§. 2).

[Harum difficultatum diligens conſideratio, quoniam excitat ingenia liberaliora et diligentiam acuit, eae quales ſint, breviter hoc loco adiiciendum videtur. Nimirum aliae difficultates ei, qui hanc palaeſtram ingreditur, obiiciuntur ab ipſis, quos tractat, ſcriptoribus, aliae ab interpretibus, quorum auctoritates ſuſpicit et exempla ſequitur. Quemadmodum enim ſcriptores ſacri, alieni ab eruditione

ne, nec peritia ſcribendi inſtructi, quum de rebus novis, lingua ſibi non vernacula, exponerent, ſermone uſi ſunt ad hebraicam dicendi conſuetudinem conformato, et multa praeterea adſperſerunt ex illorum, quibus ipſi vixerunt, temporum conditione, moribus inſtitutisque illuſtranda, neque illa unius generis, ſed mixta e variis: ita interpretes, etiam ii qui maxima pollebant auctoritate, ſubinde falſas invexerunt opiniones de omni ratione interpretandi: doctores eccleſiae, fere ignari linguae hebraicae, interdum ne graecam quidem ſatis callentes, ad eas quae tum ferebantur verſiones confugerunt, quibus miſere inhaerentes, verba ſcriptorum ex ſuae aetatis, moris, philoſophiae etiam uſu exponerent. Copioſius haec omnia pertractavit ERNESTI in diſs. *de difficultatibus Nov. Teſt. recte interpretandi*, Lipſ. 1748. 4. recuſ. in *Opuſcul. philol. crit.* p. 198. Praeterierunt nunc iſta quidem tempora, neque ſuperſunt adeo multi, qui praeiudicatarum opinionum vanitate impediantur, quo minus in ſtudio N. T. critico ſeverius, in exegetico ſubtilius et ad normam philologorum, qui humanos libros tractant, verſentur. v. HERDER *Briefe das Studium d. Theol. betreffend*, p. 1. ſeqq. Tamen haec noſtra aetas, interpretum vitio ac pravo exemplo, novas protulit ſtudii exegetici difficultates, nova impedimenta, eaque duplicis fere generis. Nam alii violenta exegeſi tollenda ex litteris ſacris iudicaverunt, quae ex puriore doctrina ſuſtulerat philoſophandi inducta libertas (v. SCHMID'S *Verſuch einer Moralphiloſophie*, §. 12. p. 43); alii univerſam interpretandi ſacros auctores rationem a ſubtilitate grammatica ad indagandum, qui lateat, altiorem atque ſublimiorem ſenſum traduci voluerunt. Hae igitur difficultates, quae propriae ſunt librorum N. T., et multorum

vel admonitionibus vel exemplis in dies augentur, quomodo removeri debeant ac vinci, quibusve praesidiis et praeceptis uti conveniat, ne aberremus a vero, hermeneutica N. T. docet. E.]

III.

Notio interpretationis.

Aperienda igitur ante omnia est notio interpretationis. *Interpretationem* autem cum Ernestio (§. 3.) nunc dico facultatem seu artem interpretandi. Quo quidem sensu *interpretatio* est facultas docendi, quae cuiusque orationi sententia subiecta sit. *Sententia* est, quem vulgo sensum appellamus, res ipsa verbis expressa. Unde *sententia subiecta orationi* erit sensus verbis expressus, res oratione expressa. Ita qui facultatem sibi parat, tradendi aliis verborum sensum, is comparat sibi interpretandi facultatem. Hinc sponte sequitur, tamquam aliquod consectarium, qui doceat alios sensum verbis expressum, eum efficere, ut alii cogitent idem quod scriptor cogitavit. Apparet etiam inde, in interpretando et verborum et rerum curam esse debere. Neque enim eadem licet cogitare, quae scriptor cogitavit, nisi rem verbis expressam teneamus.

[Sic definito *interpretationis* vocabulo, uti illud ex doctoris sui mente b. MORUS definiit, patet, quaeri *hoc loco* non posse, neque de interpretatione cursoria et stataria, neque de universali et historica. Quamquam hanc quaestionem, per se haud inutilem, hoc loco attingendam putavit nuperus Ernestini Interpretis editor, venerabilis AMMON. — Sed licebit forsitan ipsam notionem *interpretationis*, non qua facultas est et ars aliqua, sed πρᾶξις et mentis quaedam

quaedam velut operatio, paullo aliter conſtituere, quo facilius, quae alio loco convenienter huic aetati a nobis diſputabuntur, ad hanc notionem revocari, cum eaque conciliari queant. Scilicet *interpretari* locum, cuius integritas et lectio vera ſit conſtituta, eſt declarare, quid auctor cogitaverit ſenſeritve; adeoque efficere, ut, vi orationis cognita, lector eamdem percipiat ſententiam, ſenſum eumdem, quam ſententiam et quem ſenſum auctori fuiſſe demonſtratum eſt. Proinde ſpectandum eſt: 1) ut vis et ſignificatio verborum, tum ſingulorum, tum iunctorum ideoque formularum loquendi, eruatur ex uſu linguae, conſuetudine et oratione contexta: quae *grammatica interpretatio* dicitur; 2) ut ſententia auctoris vera, verus ſenſus, afferatur hiſtoricis argumentis, quae doceant, non alium loco ſenſum ineſſe poſſe, tum propter rei naturam, tum propter ingenium ſcriptoris: quae *hiſtorica interpretatio* appellatur. Iam poterit inſuper, et ab interprete acutioris erectiorisque ingenii vel debebit, excuti ſenſus repertus, ſententiae inventae veritas examinari, ad noſtras rationes cogitandi referri, docerique, quomodo vel coniungi cum illis vel ad eas conformari queat. Poterit etiam, ſi velimus populariter neque accommodate ad ſcholae ſubtilitatem loqui, *interpretatio* iſta *philoſophica* vocari, aut *philoſophico-critica.* Quamquam omnis haec ratio rectius, ut opinamur, refertur ad criſin, quam ad interpretationem. Quemadmodum enim, ex noſtra definitione, rectam interpretationem antecedere debet *criſis*, tum *facilior* illa et *inferior*, quae et bonorum inſtrumentorum omnium ſtipata praeſidio, et ingenii ſagacitate ſuffulta, ubique genuinam auctoris ſcripturam rimatur, lectionis cuiusque, non modo ſuſpectae, teſtes ordine interrogat, lente explorat

 et

et cuncta veritatis argumenta ante colligit, quam textui, tamquam facto hiſtorico, coniecturam ſuam interponere audeat; tum etiam *altioris et nobilioris ea pars*, quae de libris ipſis librorumque partibus et ſingulis locis, origine, authentia et aetate quaerit, non uſa unice codicum aut aliorum teſtimoniorum et monumentorum multitudine, ſed et internorum, quae vocant, argumentorum pondere: ſic *altera* huius criſeos *pars*, quae *realis* appellatur verſaturque in vitiis et virtutibus librorum exquirendis, veritate et vi ſententiarum indaganda, exponenda modi, quo ſingula dicantur, convenientia, omninoque locorum philoſophico examine et cenſura; haec, inquam, altera nobilioris criticae pars tum demum cum fructu attingetur, quum interpretationis legibus omnibus ſatis factum fuerit. E.]

IV.

Quae requirantur a bono interprete.

Quae quum ita ſint, duo maxime ab interprete bono poſtulantur, *ſubtilitas intelligendi* et *ſubtilitas explicandi* (§. 4). Nam qui vult alios docere, debet ipſe primum id, quod traditurus eſt, intelligere. Solemus autem intelligendi explicandique ſubtilitatem (*ſoliditatem* vulgo vocant) tribuere ei, qui cum cauſſis et accurate (*genau und gründlich*) intelligit atque explicat.

I. *Cum cauſſis.* Nemo enim facile acquieſcit, tradito ſibi utcunque ſenſu, ſed cauſſas poſcit, cur ita tradatur; neque eſt in ullo diſciplinarum genere ſubtilitas, niſi cauſſarum ubique ratio habeatur. Sunt autem cauſſae eae proferendae, quae nitantur certis prin-

principiis interpretandi: quibus principiis regulae continentur, cur ſic, neque aliter, intelligat interpres aut vertendo exprimat locum. Alioqui cauſſae ſunt mere arbitrariae: ut ſolent multi multas interdum cauſſas, quare ſic intelligant, proferre, quae nequaquam ſint idoneae et verae. Ergo veritas cauſſarum cernitur in earum nexu cum principiis certis. Qualia principia ſunt, quae ſaepe inculcantur, ſic ferre uſum loquendi, ſic ſeriem orationis flagitare, ſic hiſtoriam, ſic naturam rei, ſic conſilium ſcriptoris poſcere. Nam ex his aliisque huius generis fontibus omnes cauſſae, cur ſenſum hunc tribuamus huic loco, unice repetendae ſunt; et quo quis magis ad hos fontes redit in cauſſis proferendis, eo ſubtilius ille aut ſolidius ſenſum explicat.

II. *Accurate:* hoc eſt *primum*, ita, ut omnia adminicula interpretandi teneat interpres atque uſurpet: nam qui non utitur omnibus adminiculis, v. c. linguarum analogia, hiſtoria, philoſophia, chronologia &c., is leviter in interpretando verſatur; *deinde*, ut definiat omnia vel determinet, praeciſeque dicat, ne quid incertum relinquatur et ambiguum; *denique*, ut ordine procedat iuſto, oſtendatque, quo modo unum ſequatur ex altero. Absque hoc ordine, quo tamquam evolvuntur ideae, nulla eſſe poteſt perſuaſio. Omnis enim perſuaſio per concluſionem fit, quae tendit a faciliori ad difficilius progrediturque ab certis ad definienda incerta et ambigua.

Quum igitur hae cauſſae, hic nexus cauſſarum cum principiis certis, haec accuratio denique et hic ordo, unice faciens ad perſuaſionem, efficiant *ſubtilitatem:* quaeritur porro, quo modo eam ſubtilitatem prodere interpres et adhibere debeat tum *ad intelligendum,*

dum, tum *ad explicandum.* Vtrumque horum ſingulatim nunc illuſtrabitur.

V.

1. *Subtilitas intelligendi.*

Subtilitas intelligendi duabus rebus cernitur (§. 5), ſeu duobus adminiculis paratur. *Primum* enim excutere interpretem oportet animum et conſuefacere ad hunc ſenſum, ut videat, utrum ipſe intelligat quae quis ſcripſit nec ne, et cur non intelligat. Saepe enim in lectione libri iis, qui in verſione aliqua ad verbum facta acquieſcunt, accidit, ut ſibi videantur intelligere quod deinde ſecus ſe habere cognoſcunt. Quaerendum igitur eſt ulterius, an res teneatur verbis expreſſa, et an difficultates intelligendi earumque cauſſae ex arte animadvertantur. *Ex arte* — ſc. exegetica, cuius ope ſentietur, v. c. quae lectio ſit corrupta, ubi intelligentiam impediat defectus hiſtoriae, ignoratio naturae rei, ambiguitas, obſcuritas aut raritas uſus loquendi, &c. Sunt enim ſatis multae difficultatum cauſſae, quas ars hermeneutica detegit. *Deinde* vero etiam opus eſt, ſenſum eorum, quae difficilia ſunt, rite indagando invenire.

VI.

Quibus praeſidiis a) *difficultates earumque cauſſae animadvertantur.*

Et ad primum quidem hoc genus, quo difficultates intelligendi earumque cauſſae ex arte animadvertuntur, requiritur maxime *ingenii* aliqua *naturalis bonitas* (§. 6), quae in ſingulis locis facile ſentiat, nondum

dum omnia liquere, ſubeſſe adhuc aliquid obſcuritatis, geſtiatque rem quaerere ulterius a). Qua facilitate ſentiendi cavebitur, ne in ulla alicuius ſententia, vel admonitione, vel opinione ſecure acquieſcamus, ſed noſtrum adhibeamus iudicium. Sed quum haec ingenii ſollertia ſit naturae donum quod non contigerit omnibus: in eo nos oportebit elaborare, ut, ſi quando munus illud a natura nobis negatum ſit, *diligentia* et *conſuetudine* compenſemus. Debemus itaque *diligentia* aſſuefieri huic rei, ut diſcamus diſcernere ideas a ſonis, h. e. ne ſufficiat nobis ſonos verborum proferre, qui a puero inde auribus allabi ſolent, ſed ut cupiamus tenere ideas verborum. Id maxime faciendum eſſe in rebus intelligibilibus aut abſtractis, per ſe apparet. Quoniam enim rerum ſenſibilium, quae ſenſibus externis percipiuntur, imagines facile praeſentes ſunt animo, labor omnis eſt in iis, quae a ſenſibus remotae, ſola intelligentiae vi percipiuntur. Sic verbi cauſſa in illo notiſſimo: *Es ſpiegelt ſich in uns allen die Klarheit des Herren mit aufgedecktem Angeſicht* (2. Cor. III, 18), ita diſcernendae ſunt ideae rerum a prolatis ſonis, ut hunc eſſe loci ſenſum intelligamus: *Nun ſehen wir die Vortreflichkeit der chriſtlichen Religion ohne alle Hinderniſſe ein.* — Cui quidem rei quo facilius aſſuefiamus, efficiet *conſuetudo*, quae conſtat et vertendi aliosque docendi exercitatione aſſidua, et logices ſeveriore ſtudio. Dum enim *vertendo* in aliam linguam transferre conamur quae legimus, ſaepe apparet, rem nondum intelligi a nobis, non occurrentibus alterius linguae aptis et idoneis vocabulis. Pariter multi experiuntur in *docendis* aliis occupati, tum demum ſe ſentire, nondum omnia eſſe plana, quum ideas rerum ab ideis ſonorum diſtinguere incipiant, nec raro iis eſſe ab initio ordiundum, ut habeant quod aliis explicent. Acuet denique facultatem illam animadvertendi, num aliquid intel-

intelligas nec ne, et in quo porro elaborandum ſit, etiam *logices* ſtudium b), quoniam qui via quadam ac ratione definire rem didicit, is vere intelligit, quae ſit mens alterius.

a) [Haec ingenii ſollertia ſeu facilitas ſentiendi quo modo ſe exſerat, excitarique poſſit et acui legendis veterum ſcriptis, praeclare oſtendit C. D. BECKIVS in commentationibus academicis *de interpretatione veterum ſcriptorum*, Lipſ. 1791. 4. E.]

b) [Studium dialectices interpreti commendavit CHR. GVIL. THALEMANNVS in diſſ. *de ſenſu veri et falſi in interpretando*, Lipſ. 1775. E.]

VII.

Quibus praeſidiis b) *ſenſus eorum, quae difficilia ſunt, reperiatur.*

Pergimus ad alterum *ſubtiliter intelligendi* adminiculum, quod cernebatur (V.) *in ſenſu eorum, quae difficilia ſunt, rite indagando.* Poſſunt autem inveniendi ſenſus potiſſimum quatuor commendari praeſidia (§. 6):

I. *iuſta et accurata linguarum cognitio*, hoc eſt, ea cognitio, quae grammaticam elementarem complectitur et omnia praeſidia uſus loquendi colligit. *Grammaticam elementarem* dico eam, quae ad orthographiam, etymologiam et ſyntaxin ſpectat. Neque enim ſine his, tametſi videantur minutiora, quicquam recte fieri in interpretando poteſt. Nam quid prodeſt interpretari, ſi repugnet interpretatio ſyntaxi? quid emendare, ſi pecces contra regulas grammatices? quid tribuere

buere verbis ſignificationes, ſi derivatio id non patiatur? Et ſentitur maxime in hebraica lingua, quanta ſit difficultas et quantum adſit errandi periculum, niſi grammatica illa elementaris teneatur et fluctuatio caveatur in levibus. Vnde neceſſarium eſt in interpretando, etiam de talibus ſubinde monere, quoniam hac via ducimur ad verum ſenſum reperiundum. Sed ad iuſtam et accuratam linguarum cognitionem requiritur porro, ut *omnem uſum loquendi* teneamus, non illum unius ſaeculi, non unius ſcriptoris, non eorum tantummodo, qui proſa ſunt oratione uſi, ſed omnium ſaeculorum, poëtarum quoque, omnemque omnino uſum, qui e ſcholiis etiam, gloſſariis caeterisque adminiculis repeti ſolet.

II. *Varia doctrina variisque diſciplinis* opus eſt ad ſenſum eorum, quae difficilia ſunt, indagandum. Revocemus hic in animum, etiam in Novi Teſt. libris alia eſſe ex *hiſtoria*, alia ex *chronologia*, alia ex *antiquitatibus*, rurſus alia e *geographia*, alia denique ex *philoſophia* illuſtranda. Atque huic variae doctrinae apparatui, qui neceſſarius eſt interpreti, dicavit ERNESTIUS ultimum Interpretis ſui caput, in quo per partes recenſentur variae diſciplinae, quibus opus ſit ad libros Novi Teſtamenti recte intelligendos.

[Hanc ultimam *Erneſtiani Interpretis* partem non ſolebat in ſcholis ſuis attingere b. MORUS, tum quod temporis erat ſpatio excluſus, tum quod ambitum hermeneuticae anguſtioribus limitibus circumſcribendum putabat. Suadebat autem ſedulo, ut, abſoluta hermeneutices hiſtorica et critica parte, iſta privato ſtudio pertractarent liberalioris theologiae ſtudioſi. Qui ſi forte incenſi rerum tam utilium addiſcendarum cupiditate, plura ſibi cupiant

mon-

monſtrari, quam quae in Erneſtii libro repererint; hac uſus monendi opportunitate, breviter indicabo fontes, unde ſitim reſtinguant. Cognoſcendae igitur hiſtoriae populorum atque imperiorum, quoad facit ad explicationem N. T., in primis inſerviunt JAC. PERIZONII *Origines babylon. et aegyptiacae*, ed. *Ducker*, Trai. ad Rh. 1736. II. T. 8. CHR. NOLDII *hiſtoria Idumaea*, Franeq. 1660. 12. et ad calcem Joſephi Havercampiani. PRIDEAUX *A. u. N. Teſtament*, Dresd. 1771. II. 4. add. JOH. TOB. KREBSIUS *de uſu et praeſtantia rom. hiſt. in N. T. interpretatione*, 1742. 4. Chriſtianae religionis initia et progreſſum declarant LUD. CAPELLI *hiſt. apoſtolica illuſtr.* Salmur. 1683. JOH. PEARSONII *annales Paullini*, (in opp. poſthumis, Lond. 1688. 4.) GEO. BENSON *the hiſtory of the firſt planting of the Chriſtian religion*, Lond. 1756. II. 4. german. Hal. 1768. II. 4.; ut *Lardneri*, *Leſſii* aliorumque notiſſima ſcripta praeteream.

Chronologiam biblicam illuſtrant prae caeteris LUD. CAPELLI *chronologia ſacra*, Pariſ. 1655. 4. GERH. J. VOSSII *Chronologiae ſacrae Iſagoge*, Hag. C. 1659. 4. FR. SPANHEMII *introd. ad chronolog. ſacram*, L. B. 1683. JAC. VSSERII *Annales V. et N. T.* 1722. DION. PETAVII *Rationarium temporum*, L. B. 1710. JOH. ALB. BENGELII *Ordo temporum*, ed. II. cura *Eb. Fr. Hellwagii*, Stutg. 1770. 8. JOH. ES. SILBERSCHLAG *Chronologie der Welt, berichtiget durch die h. Schr.* Berl. 1783. 4.

Antiquitatum cognoſcendarum cauſſa ſi cui non copia fuerit adeundi HADRIANI RELANDI *antiquitates ſacras vett. Hebraeorum* — ed. *Joh. Lud. Vogel*, Hal. 1769. 8. aut JOH. SIMONIS *Vorleſungen*

ſungen üb. d. jüd. Alterthümer, mit Anmerkk. v Sam. Murſinna, Hal. 1769. 8. aliaque ampliſſima opera (v. *Noeſſelts Anweiſ. z. theol. Bücherkenntniſs*, p. 100. ſeqq.), neque ad manus habuerit libros, ſingula rituum et antiquitatum genera ſeorſum illuſtrantes, (v. *Fabricii* Bibliograph. antiquaria, ed. Schaffshauſen, Hamb. 1760. 4.); is vel utiliter adhibebit CASAVBONI et SCALIGERI opera, quae b. Auctor Part. I. Sect. II. Cap. I. §. XXXII. commendavit, vel commode acquieſcet in utiliſſimo CHRISTOPH. BRVNINGS *compendio antiquitatum graecarum e profanis ſacrarum, ad ſacr. litterarum illuſtrationem* accommodato ed. III. Francof. ad Moen. 1759. 8.

Geographiae biblicae ſtudium adiuvabunt SAM. BOCHARTI *geographia ſacra*, ſ. *Phaleg et Canaan*, in Opp. ed. IV. L. B. 1707. III. f. JOH. DAV. MICHAELIS *ſpicilegium geographiae Hebraeorum exterae poſt Bochartum*, P. I. II. Gotting. 1768. 80. 4. JOH. REIN. FORSTERI *epiſtolae ad J. D. Michaelis, huius ſpicilegium geogr. hebr. iam confirmantes iam caſtigantes*, Gotting. 1772. 4. *An hiſtorical Geography of the new. Teſt. by* EDW. WELLS, *in two Parts*, Lond. 1712. 8. (germanice vertit, correxit paſſim et auxit *Geo. W. Panzer*, Nürnb. 1764. II. 8.) HADR. RELANDI *Palaeſtina*, Tom. I. II. Trai. B. 1714. 4. WILH. ALB. BACHIENE *hiſtor. und geograph. Beſchreibung von Palaeſtina*, II. Th. Clev. 1766 — 75. 8. CHR. AUG. FREGE *Geographiſches Handbuch b. Leſ. d. h. Schrift*, Goth. 1788. 89. II. 8. (Add. *Meuſel* biblioth. hiſtor. Vol. I. P. II. p. 70. ſeqq.)

Geographiae pariter atque *rituum* notitiam impertiunt etiam *Itineraria*, de quibus v. P. I. Sect. II. Cap. I. §. XXXII. not.

Sunt

Sunt praeterea alii libri, qui rerum, in primis hiſtoricarum, quae in N. T. occurrunt, coniunctas notitias et explicationes tradant: *Threſor d'antiquitez ſacrées et prophanes des commentaires du* P. AUG. CALMET, Amſt. 1722. 12. (*deutſch, mit Anm. v. J. L. Mosheim*, Brem. 1738 — 47. VI. 8.) HARWOOD *Einleit. in das Studium und die Kenntniſs des N. T. a. d. Engl. v. J. C. J. Schulz*, Hal. 1770 — 73. III. 8. L'ENFANT *gründl. Vorbereitung das N. T. zu leſen, a. d. Franz. v. Mosheim* 1745. PRITII *introduct. in N. T. ed. Hofmann*, Lipſ. 1764. 8. — Perutili denique opera nuper complecti ea omnia, quae explicandi N. T. ſubtilitatem acuant facilitatemque adiuvent, inſtituit JOH. BOACH. BELLERMANN in libro: *Handbuch der bibliſchen Litteratur*, Erfurt. 1787. ſeqq. Voll. III. 8. E.]

III. Ad indagandum eorum, quae difficilia ſunt, ſenſum porro requiritur *ſcientia praeceptorum de modo interpretandi*. Et hic eſt ille locus, quaeſtionibus multis agitatus, de talium neceſſitate praeceptorum. Caput rei illud mihi videtur eſſe, nos cognoſcendis aliquando praeceptis *facilius* et *certius* interpretari diſcere. *Facilius* — nam praecepta methodum legitimam tradunt, cuius ope facilius verſari in interpretando poſſimus. *Certius* — nam qui principia exegetica in interpretando ſequitur, certa is ingreditur via, quoniam quicquid e veris principiis legitima concluſione derivatur, id certum ſit ac verum, neceſſe eſt. *Principia* vero *exegetica* ſunt propoſitiones, de quibus convenit inter omnes eos, qui libros interpretantur; quales ſunt: contra loquendi uſum nil fieri debere in interpretando, omnem veritatem interpretationis pendere ab loquendi conſuetudine, contextu verborum et conſilio ſcriptoris, parallelismum eſſe certiſſimum expli-

explicandi praesidium, e loco corrupto nullum posse dogma demonstrari, nec posse illud duci e loco spurio. Haec principia, quae sunt veluti axiomata in interpretando, qui nescit aut in dubium vocat, cum eo ne disputari quidem in hoc genere potest. Neque enim curat et concedit, quae observantur et conceduntur ab omnibus. Atque haec principia interpretandi quum in praeceptis proponuntur, caussae etiam, cur haec principia sint, proponuntur. Ita ergo equidem arbitror, praeceptorum cognitionem esse necessariam, partim ut principia interpretandi scias, partim ut caussas, cur haec sint principia, teneas. Atque hinc illud intelligendum, quod ERNESTIUS (§. 6.) utilitatem praeceptorum ponit in eo, quod *normam suppeditent communem iudicandi in controversiis. Normam* dico principia communia, principia, quae ab omnibus conceduntur. Secundum haec in controversiis exegeticis pariter atque dogmaticis diiudicandum est, quae pars veram teneat sententiam. *In exegeticis* — ut inter pontificios atque alios multa est dissensio de quibusdam principiis interpretandi, quum illi repetere soleant interpretationis praesidia et defensionem etiam ab auctoritate ecclesiastica, quam nos negamus esse adhibendam, quoniam in nullo alio libro veritas et certitudo interpretationis soleat diiudicari ex auctoritate eorum, qui legerunt hunc librum, aut ex consensu plurium, qui hunc illumve sensum eruerunt. Quod ergo non licet in ullo alio libro legendo pendere ab auctoritate interpretum, id nec licet in explicandis iis, qui religionis nostrae decreta complectuntur. *In dogmaticis controversiis* — Varia enim dicta citantur vulgo ut probantia, quae non probant, si lectio, usus loquendi, contextus, consilium scriptoris consulantur. Hinc illud relinquitur, tenenda esse certa principia, iuxta quae interpretari illa dicta conveniat. Quoties

v. gr. ex isto Pauli dicto, Rom. XV, 23. πᾶν, ὃ οὐκ ἐκ πίστεως, ἁμαρτία ἐστίν, conclusa sunt, quae plane non insunt! Nam contextus docet, non ibi esse sermonem de fide, sed de mentis certa persuasione: *Wenn man nicht aus Ueberzeugung handelt, kann man sich leicht dabei vergehen.*

Sed quoniam sunt, qui praeceptorum, una serie explicatorum, cognitionem tamquam superfluam repudient, malintque, spreta omni hermeneutica et abiectis compendiis, quae eam tradunt, interpretationem librorum ex usu atque exercitatione discere: non incommodum videtur, commendationem hujus scientiae certis quibusdam circumscribere limitibus. Quippe ea non sic intelligenda est, quasi sine praeceptis recta contingere non possit interpretatio. Constat enim, qui graecos latinosque scriptores cognoscant, non diu versari in tradendis praeceptis, sed solere statim ad rem praesentem venire, defectumque praeceptorum usu compensare. Verum enim vero quum, quotiescunque in interpretando refugimus ad usum loquendi, ad contextum, ad consilium scriptoris, toties ad ipsa praecepta tacite refugiamus: nonne operae pretium fuerit, indagare haec praecepta, quae sint, inventaque et in unum quasi corpus redacta diligenter ponderare? Similiter praecepta cogitandi non traduntur pueris; at tamen cogitant; sed inde haud efficitur, operae non esse pretium, quae sequamur inde a teneris, cogitandi praecepta accuratius pervestigare. Neque existimare quisquam debet, quod Ernestius (§. 6.) videtur innuere, *mediocribus* tantummodo *ingeniis* praeceptorum usum esse paratum: imo acutioribus etiam prodest, propterea, quoniam quo quis est acutior, eo magis fere speciosas et ingeniosas interpretationes captare solet. De quibus unde iudicabimus, nisi in promptu

promptu habeamus praecepta interpretandi, quae tandem oſtendant, ingenio magis reperta haec eſſe, quam methodo grammatica cognita et próbata? Interea illud lubens fateor, ſi quis iam diu multumque in legendo verſatus fuerit, eum, ubi non poenitendam operam poſuerit in colligendis praeceptis, facilius illa et intellecturum eſſe et iudicaturum, quam qui levi tinctus lectione, ad hermeneuticam acceſſerit.

IV. Ad interpretationem denique requiritur *uſus et exercitatio*, ſine qua caetera omnia, quae hactenus pertractavimus, non multum profuerint. Exercitatio autem illa, haud difficile eſt intellectu, quibus rebus conſtet. Audiendi nimirum ſunt (§. 7.) boni interpretes, legendi ponderandique diligenter commentarii, denique periculum interpretandi ipſum faciendum. Caeterum in primariis illis intelligendi exercitationibus recte praecipitur, quorum librorum intelligendorum facultatem appetamus, *aſſiduam* eorum *et continentem lectionem* eſſe debere. Nec ſunt cauſſae hujus rei obſcurae aut abſconditae. Quivis enim ſcriptor ſuum quemdam habet loquendi uſum, quem ejus characterem dicere ſolemus: is non poteſt aliunde cognoſci, niſi eo ipſo ſcriptore ſaepius lectitando. Deinde quivis ſcriptor ſuum etiam ſibique proprium cogitandi modum habere ſolet: quae rurſus eſt pars characteris illius, eaque ipſa cognoſcenda ex aſſidua et continente ejusdem ſcriptoris lectione. Denique ſcriptor ipſe ſaepe numero aliis in locis explicat, quae alibi tradiderat brevius, aut obſcurius, aut cum quadam ambiguitate. Sed haec eſt ſemper una e certiſſimis rationibus interpretandi, ut ex ipſo ſcriptore oſtendatur, quid ſibi velit, quomodo aliis in locis mentem ſuam explicet. Proinde quum ſit quilibet ſcriptor ex ſe, e ſuo charactere et aliis ſuis locis inter ſe collatis

interpretandus; ſine dubio in exercitationibus intelligendi haec primaria eſt, ut aſſidue legas ſcriptorem, in quo explicando velis feliciter verſari.

[Praeſtantiſſimos veterum auctorum interpretes et editores, in quos intueri liceat, tamquam in exemplar ſubtilitatis et *ἀκριβείας* tum in interpretando, tum in re critica, ad certas quasdam claſſes redactos recenſuit C. D. BECKIUS in *monogrammat. Inſtitutionis philologicae*, p. 14. ſeq. E.]

VIII.

2. *Subtilitas explicandi.*

Qua ratione quum quis locum ſcriptoris intellexit, eumdem *aliis quoque ſubtiliter explicare* debet (§. 8). Ab hac arte *interpretes* dicuntur, quos, nemo neſcit, eſſe illos, qui, quod ipſi intellexerunt, aliis explicant. Ac de ſubtilitate ſupra egimus. Hic addendum eſt paucis, quotuplici modo ſoleamus explicare aliis. Primum quidem *vertendo* exprimimus rem eiusdem linguae aliis facilioribus, aliusve cujuscunque verbis. Deinde *enarrando* demonſtramus et illuſtramus. *Enarrare* eſt res in libro aliquo obvias tradere aliis, ſive ore, ſeu commentario ac notis conſcribendis. Id fit *demonſtrando*, dum cauſſae et argumenta ſenſus traduntur; *illuſtrando*, dum per hiſtoriam, ritus antiquos, chronologiam &c. res obſcura lucem lucratur. Et commune hoc eſt officium commentariis tum ſcripto, tum voce traditis.

Verſiones autem et commentarii quo modo confici debeant, id non poteſt in prolegomenis tradi, explicabiturque uberius alio in loco. Satis nunc erit hoc

hoc tenuiſſe (§. 9.), *ſubtilitatem explicandi* venire a facultate linguae eius, quam in interpretando adhibeamus, cernique *in vertendo* quidem, puritate ſermonis, quo utimur, coniuncta cum characteris, quoad fieri poteſt, conſervatione, ne pereat ratio argumentandi, quae interdum nititur figura verborum; *in enarrando* autem quum puritate, tum brevitate.

IX.

Definitio hermeneutices.

Diſciplina illa, quae docet interpretari, h. e. tradere rationem ſententiae quorumque verborum ſubtiliter et inveniendae et explicandae (§. 10.), dicitur *Hermeneutice.*

[Dicitur etiam a nonnullis, certe dicebatur olim, *Exegeſis* anguſtiore ſenſu, vel *Theologia exegetica.* Cuius appellationis vim oſtendit CHRISTOPHORUS WOLLIUS in *Introduct. in Hermeneuticam* N. F. p. 36. Iam etſi *Exegeſis* et *Hermeneutica* proprie non differunt vi et ſignificatione verborum: tamen uſus loquendi diſtinctionem invexit a rebus, quibus tractandis occupantur, ita, ut *Hermeneutica* nunc cenſeatur peculiaris quaedam et *Exegeſi* ſeu *exegetico ſtudio* inſerviens diſciplina. Idque iure ac merito. *Exegeſi* enim ſeu *exegetico ſtudio* propoſitum omnino eſt, ducere nos huc, ut ſcripta, quibus divina religionis noſtrae decreta continentur, intelligamus, iisdemque pro fontibus religionis utamur: *Hermeneuticae* autem conſilium eo ſpectat, ut leges nobis ſcribat ac regulas proponat, quarum ope iudicemus, an verbis ſcriptorum eum legentes ſubiiciamus ſenſum, quem ipſi ſcribentes ſubiecerunt, librisque adeo pro fontibus recte utamur. Vid. G. J. PLANCK *Einleitung in die theol. Wiſſenſchaften* II. p. 95. E.]

X.

Vberior huius disciplinae descriptio.

[*Inventio* (§. 11.), qua est subiecta praeceptis *exegeticis*, habet partes duas: quarum altera est *contemplativa*, altera *praeceptiva*. Illa continet generales observationes de *significatione* et *sensu verborum*, a quibus vel praecepta interpretandi ipsa, vel eorum rationes ducuntur; haec autem praecepta de modo sensus indagandi. Tractare praeterea interpres debet quamdam veluti *materiam* (§. 12.), qua utatur persequens scriptoris alicuius sententias. Ea est in libris ipsis, quos interpretatur, et in apparatu doctrinae, cuius est aliqua ea in re vis. Denique a tali cognitione accedere interpres debet etiam *ad agendum*, ut, quae cognoverit *praecepta*, quibus uti didcerit *adminiculis* interpretandi, quam tractare consuerit *materiam*, ea omnia in usus convertat adhibeatque ad libros sacros vel *explicandos*, vel *vertendos*.

XI.

Conspectus et ordo rerum tractandarum.

Ex hac igitur ratione, quae diversa aliquantum est ab ea, quam ERNESTIANA *Interpretis institutio* (§. 13.) praeivit, et nuperi editoris sollertia denuo mutavit (v. *praefat.* AMMONIS p. X.), descripsit Auctor noster Hermeneuticam suam in tres partes, quarum prima esset *exegetica*, eaque bipartita, *contemplativa* nimirum et *praeceptiva*; altera *historica et critica*; tertia denique *practica*.

Haud parum mihi videor adiuturus lectorum, qui ERNESTII *Interpretem* conferre velint, studia, si rerum, hoc in libro tractatarum, ordinem uni obtutui subiiciam ac brevi quasi in tabula proponam. E.].

PAR-

PARTIS I

EXEGETICAE

SECT. I. *Contemplativa.*

De ſignificatione et ſenſu verborum.

SECT. II. *Praeceptiva.*

CAP. I. *De uſu loquendi reperiundo in linguis mortuis et ſcriptore quolibet univerſe.*

II. *De ſenſus reperiendi rationibus uſus ſubſidiariis.*

III. *De reperiendo uſu loquendi N. T.*

IV. *De dictione tropica iudicanda et interpretanda.*

V. *De emphaſibus iudicandis.*

VI. *De compoſitione* Ἐναντιοφανῶν.

VII. *De uſu Verſionis LXX. Vet. Teſtamenti et fragmentorum Aquilae, Symmachi etc.*

VIII. *De uſu ſcriptorum Iudaicorum.*

IX. *De interpretibus N. T. eorumque uſu.*

PARTIS II

HISTORICAE ET CRITICAE

CAP. I. *De libris doctorum Veteris Eccleſiae univerſe, eorumque uſu.*

CAP. II. *De Codicibus ſcriptis eorumque uſu.*

III. *De Verſionibus.*

IV. *De Variis Lectionibus, earumque cauſſis, fontibus, iudicio et delectu.*

V. *De Editionibus Novi Teſtamenti.*

VI. *De integritate, diſtinctionibus etc. librorum Novi Teſtamenti.*

PARS III

P R A C T I C A.

De verſionibus ſcribendis.

HER-

HERMENEVTICAE

NOVI TESTAMENTI

PARS PRIMA

EXEGETICA.

PARTIS PRIMAE

QVAE EXEGETICA EST

SECTIO I

CONTEMPLATIVA.

DE SIGNIFICATIONE ET SENSV VERBORVM *).

I.

Consilium et argumentum huius sectionis.

Quum omnino *sectioni* huic *contemplativae* seu theoreticae propositum sit, tradere notiones, e quibus principia exegetica deducantur, sive propositiones, de quibus conveniat inter omnes, qui librum aliquem explicant, earumque notionum vim ac nexum ostendere: sponte intelligitur, agendum in primis hoc esse, ut doceatur, quaenam sint principia certitudinis in *significatione et sensu verborum*, seu disertius, ut aliqua proponatur theoria de caussis certitudinis in significatione verborum sensuque ipsorum locorum per dictiones integras reperiundo.

II.

*) [Consentaneum videbatur menti ac tractationi b. MORI, Ernestianae inscriptioni huius capitis adiicere *significationis* vocabulum. Caussa mox apparebit luculentius. E.]

II.

Discrimen significationis et sensus.

Certum quidem est ac verum, quod ERNESTIUS (§. 1.) tradit, omni verbo respondere debere, in sacris quidem libris semper, et haud dubie respondere *sensum*. Certum etiam hoc est, quod idem monuit, *sensum* dici propterea, quoniam eius rei, quae verbo exprimitur, sensus (*Gefühl von der Sache*) audiendo verbo instaurari in animo utcunque debeat, sive quoniam audiendo verbo rem sentiamus. Quamquam hoc pertinet ad meram etymologiam, latinae tantum linguae adstrictam. Nam si deinde id transferam ad aliam linguam, dicamque verbi caussa *Vorstellung*, *Sinn*, *Gedanke*, *Begriff*: non possum hanc appellationis caussam addere, neque omnino hoc facit ad rem, quae verbi sit etymologia. Verum, quod gravius est, in omni hoc capite ERNESTIUS non distinxit *sensum a significatione*. De *sensu* postea videbimus. *Significatio* autem, cuius notionem hic aperire consentaneum videtur, est *una unius rei notio uno vocabulo expressa*. Sic verbum διδάσκειν exprimit notionem unius rei, *docere*, eaque est verbi *significatio*. Ita in iis etiam, quae sequuntur, adhibebimus semper *significationis* vocabulum, suffectum in locum vocabuli *sensus*.

III.

Significationes verborum unde sint ortae.

Significationes, ERNESTIUS porro tradit (§. 3.), verba non habere *per se*, h. e. non habere, quoad sint soni ore prolati, quoad sint soni sine idea. Neque enim verba esse *naturalia aut necessaria rerum signa*, h. e.

e. ſonos verborum, qua ſonos, non exprimere naturam rei. Quo pacto foret ſonus *naturale* ſignum rei, atque efficeretur adeo hac ex re, *neceſſario* homines ſonum illum cum natura coniunctum transtuliſſe ad rem aliquam deſignandam. Ego vero dubito, an vere omnino hoc ita tradiderit ERNESTIUS. Nam primo vocabula multa ſunt naturalia et neceſſaria rerum ſigna. Exemplum eſt ſatis perſpicuum in omnibus interiectionibus atque exclamationibus, v. c. heu, eheu, &c. Quae quoniam ſunt merae imitationes naturae et naturalem habent cum idea noſtra vel ſenſu (v. c. cum gaudio, admiratione, indignatione) coniunctionem; inde fit, ut ſponte ac veluti neceſſario in iſtas exclamationes erumpamus in quibusdam ſenſibus exprimendis. His accedunt vocabula, quae graece dici ſolent ὀνοματοπεποιημένα, h. e. quae facta ſunt ſic, ut imitentur ſono rem ipſam eiusque naturam. Qualia ſunt in linguis omnibus facile obvia, veluti, ἀλαλάζειν, ὀλολύζειν, βομβεῖν, aut in latina: *ſibilus*, *ſuſurrus*, *tonitru*. Habet etiam noſter ſermo vocabula bene multa, quae ſunt non niſi imitationes naturae, v. c. *rauſchen*, *tönen*, *jammern*. Deinde, ut ab interiectionibus et ὀνοματοπεποιημένοις vocabulis ad alia pergamus, non eſt credibile, nullam plane cauſſam fuiſſe, cur homines, qui linguas introducerent, res aliquas his potiſſimum vocabulis exprimerent, quibus expreſſiſſe inveniuntur. Latet ſine dubio fundamentum in aliqua naturali rerum cum ipſis verbis coniunctione, quamvis eam nunc ſit difficile et arduum reperire. Fecerunt tamen periculum huius nexus inter ſonos et res detegendi, inter veteres PLATO, in dialogo, qui inſcribitur CRATYLUS *), inter recentiores autem omnes ii, qui de inventione linguarum philoſophati ſunt. Quorum catalogum exhibet JOH. AUG. DATHII *praefatio ad prolegomena Waltoni*, Lipſiae a. 1777. ſeorſum edita. Et

quod

quod ad noſtram linguam attinet, non modo JOH. CHRISTOPH. ADELUNGIUS, vir doctiſſimus, in libris, de germanica lingua ſcriptis, multa habet de primis originibus verborum et nexu ſonorum cum ipſa natura rei, ſed exſtat etiam utilis liber hac inſcriptione: *Sammlung und Abſtammung germaniſcher Wurzelwörter*, (Hal. 1776. 4.), cuius auctor, CAR. FR. FULDA, radices verborum teutonicorum collegit †). Et habere ſane ea res poteſt indagátionem haud ſpernendam: quamquam aliud eſt, cogitare philoſophando, quomodo orta videantur vocabula, aliud in ſingulis litteris et ſyllabis argutari.

*) [In hoc dialogo, e quo, mirum eſt, fuiſſe, qui graviſſimae comparationis (Vol. III. Opp. Platon. p. 316. ed. Bip.) immemores, opinionem de *divina* linguarum origine Platoni affingerent (v. RUD. WILH. ZOBEL *Gedanken über die verſch. Meynungen d. Gelehrten vom Urſprunge der Sprachen*, Magdeb. 1773. 8. et GEO. LOR. BAUER *Einleitung in die Schriften des A. T.* p. 16.), agitur potiſſimum id, ut, quatenus verba ſint idearum animique perceptionum *naturalia ſigna*, et quibus limitibus hanc ſententiam circumſcribere conveniat, exemplis doceatur. Fuerunt enim iam inter veteres, qui linguam vitae civilis ſocietate et cultu procreatam, ac verba non eſſe niſi *arbitraria* rerum ſigna exiſtimarent. Sic praeter

†) [Eamdem rem b. *Fulda* porro indagavit, oſtenditque, quo modo homines ſingulos ſonos invenerint, inventis res ſignarint, in libro, qui nuper hac inſcriptione prodiit: *Natürliche Geſchichte der Deutſchen und der menſchlichen Natur. Ein Pendant zu dem Wurzelwörterbuche, herausgeg. von D. F. Gräter.* Nürnb. 1795. 8. E.]

praeter SEXTVM EMPIRICVM (hypot. II. 18. adv. Mathem. p. 247) ſtatuit ARISTOTELES (de interpret. cap. 2.), *οὐδὲ φύσει εἶναι τὰ ὀνόματα, ἀλλὰ κατὰ συνθήκην.* Multo autem ſubtilius hanc rem excuſſerunt, qui recentiore aevo de origine linguarum philoſophati ſunt. In iis eminent *Condillac*, *Rouſſeau*, de *Broſſe*, *Monboddo*, *Herder*, *Tiedemann* et *Sulzer*, quorum ſcripta cum caeterorum nominibus recenſuit DORSCH in libro: *Philoſophiſche Geſchichte der Sprache und Schrift*, (Mainz 1791. 8.), in quo totum hoc argumentum perſpicua brevitate pertractatur. Caeterum vere ad hunc locum obſervavit AMMON V. Cl., quo antiquior ſit populus, eo ſimpliciorem eſſe eius linguam, eo propius accedere ad imitationem naturae, eo denique magis refertam eſſe *ὀνοματοπεποιημένοις.* Idem bene monuit, valere haec tantum de rebus, quae ſenſibus ſint ſubiectae; notionum abstruſiorum magis arbitraria eſſe et diverſa ſigna, quoniam varia ratione cum rerum natura comparari poſſint. E.]

VI.

In exquirenda ſignificationum origine ſaepe peccatum.

In his igitur multorum ſtudiis, reperiendi aliquam inter ſonos et res ſignatas coniuntionem, non inanibus illis, ſed cauſſis idoneis, ex parte etiam hiſtoria, comprobatis, non auſim equidem ſimpliciter et in univerſum negare, verba non eſſe naturalia et neceſſaria rerum ſigna. Quamquam illud facile ac lubenter agnoſco, fieri non poſſe, ut ad ultimas ſemper origines certo perveniamus, neque omnino id neceſſarium in interpretatione iudico. Tantum id aio, quoad nos arbitrariam eſſe copulationem ſonorum, quos verba

verba habent, cum idea illorum ſeu ſignificatione; in univerſum tamen ac per ſe neceſſarium videri talem nexum, quem operae pretium ſit inveſtigare. Verum in reperiendi illius ſtudio laborarunt etiam multi temere, praeſertim in hebraica lingua, quam aut a Deo traditam Adamo autumabant, aut ab Adamo ipſo, ut homine peritiſſimo omnisque artis gnaro, repertam cenſebant, adeo, ut putarent, ſi qua in lingua, in hac quidem maxime, nexum eſſe debere *κατ' ἀκρίβειαν* ſoni cuiuslibet cum natura rei. De hac inani ac mira opera, ineptiendi in exquirenda ſingularum litterarum vi naturali, ut taceam illos omnes, qui de lingua primi aevi ſcripſerunt, legendus potiſſimum eſt WALTONUS in *prolegomenis ad biblia polyglotta*, cap. 1.

Hoc igitur ita aggreſſus eſt quidam FRANC. MERC. HELMONTIUS in libro, quem inſcripſit *Alphabetum naturale.* Is audebat adeo oſtendere, ipſas litteras ſingulas orisque conformationem et diductionem in iis formandis exprimere naturam rerum. Cui ſententiae quo magis fidem conciliaret figuris aere inciſis, ſtuduit perſpicuum facere, quo modo oris varia conformatio hanc vel illam ideam exprimere ſoleret; ut adeo omnis eius liber mira ſit capitum humanorum collectio, quae admodum diſtorta ora oſtendat.

Paullo liberalius ea in re verſatus eſt CASP. NEUMANNUS, qui ſententiam ſuam primum aperuit in *geneſi linguae ſanctae*, Norimb. 1696. edita, deinde uberius illuſtravit ac veluti ad praxin deduxit in *exodo linguae ſanctae*, itemque in Clave domus Heber. Referre autem NEUMANNUS hac ſua clave volebat linguam hebraicam, in familia Heber uſitatam.

Tum

Tum etiam VALENT. ERN. LOESCHERVS in libro *de caussis hebraicae linguae*, (c. X. p. 139. ſqq.) probata NEUMANNI ſententia, eamdem eſt viam ingreſſus. Atque ut uno defungar hoc exemplo, tractat ibi vocabulum אֶרֶץ. Hic voluit litteram א indicare motum, ר exprimere eruptionem, צ violentiam. Ita totum vocabulum אֶרֶץ ſignificare aliquid, in quo motus cum quadam violentia erumpere ſoleat. At, bone Deus! quid attinet talia ſcire, et quid vel minutiſſimi praeſidii ad interpretationem ex hujusmodi ineptiis peti poteſt? Neque tamen abuſus tollit uſum. Ac ſi iſti verum non viderunt, inde non ſequitur, nihil plane verum eſſe in illa ſententia, nullum plane reperiri nexum ſonorum cum re, quae exprimatur. Cogimur tantum ſubſiſtere in eo, ut obſervemus diligenter, quae ſit *conſuetudo* in ideis cum ſono aliquo copulandis, ſive in ſignificatione ſono alicui tribuenda.

cf. RAMBACHII *Inſtitution. hermeneutices*, p. 257. [Caeterum NEUMANNI, caeterorumque, qui illum ſequuntur, ſententiam, in litteris hebraicis indagandam eſſe aliquam ſymbolicam ſignificationem, ex inſtituto ſub examen revocavit CHR. BENED. MICHAELIS in diſſert. *de vocum ſeminibus ac litterarum ſignificatione hieroglyphica*, Hal. 1740. 4. E.]

V.

Tranſitus ad obſervationes de loquendi uſu.

Ad hanc *conſuetudinem et inſtitutionem humanam, per quam inter verba et ideas rerum copulatio quaedam inducta eſt*, provocat etiam ERNESTIVS (§. 3.), eamque vim legis habere, quae mutari prorſus nequeat, §. 4 docet. Provocamus et nos ſaepe numero ad *uſum*

loquendi, quae eſt certa conſuetudo, rem certam certo verbo exprimendi (§. 12). Tractandae igitur ſunt obſervationes quaedam de uſu loquendi.

VI.

Obſervatio prima.

Non eſt liberum, verbo tribuere ſignificationem, quam velis, nec in uſurpando, nec in interpretando (§. 4).

Recte vulgo *uſus loquendi* appellari ſolet tyrannus. Scilicet verbi ſignificationes, quas conſuetudo introduxit, ſpectandae ſunt ut res hiſtoricae et in facto poſitae. Ideo, ſi teſtimonia de his exſtant, ſi uſus loquendi docet, quas ideas expreſſerint homines per hos ſonos; negari mutarique ſignificationes non magis poſſunt, quam res in facto poſita fieri poteſt infecta. Exſtant autem de hac re in facto poſita, quod verbum in aliqua gente hanc vel illam ſignificationem habuerit ideoque etiam habeat hoc in loco, exſtant igitur hac de re teſtimonia tum in libris ſcriptis, tum ſi ad vivas linguas reſpiciamus, in quotidiano ſermone. Quae teſtimonia rurſus mutari negarive non magis poſſunt, quam in hiſtoricis rebus firmamenta teſtimoniorum. Sic illa *coniunctio*, quae intercedit inter ſonos et ideas verborum, ſemel conſtituta *per conſuetudinem facta eſt neceſſaria.* Valet igitur hoc immobile principium, nihil explicandum eſſe contra uſum loquendi. Neque adeo diſputandum eſt contra hunc loquendi uſum ex etymologia. Nam v. c. per etymologiam τὸ *infucatum* eſſe poteſt, quod non fucatur; ſed conſuetudo loquendi hoc effecit, ut infucatum diceretur id, quod fuco eſſet tinctum. Quo ſenſu amorem non genuinum dicere ſolemus infucatum.

VII.

Obſervatio ſecunda.

Non poteſt eodem tempore vel eodem in loco ac modo loquendi, varia eſſe aut multiplex verbi alicujus ſignificatio (§. 4).

Si *in eodem loco* ſcriptoris non eſt multiplex ſignificatio: eodem in loco una eſt ſignificatio. Ita v. c. vocabulum *ſpecies* multas habet ſignificationes; ſed in uno loco unam habet tantummodo, veluti in illo: *ſpecie fallere*, ubi nec phyſica eſt ſpecies (*Geſtalt*), neque philoſophica (*Gattung*), ſed eſt *Schein*. Pariter *in una eademque phraſi* una tantum obtineri poteſt ſignificatio. Etſi igitur verbum *incumbere* phyſice dicitur, quum corpus aliquod incumbit, et metaphorice permutatur ſaepe cum illo operam dare: tamen, qui legit phraſin hanc: *in litteras incumbere*, unam tantum ſignificationem, metaphoricam quidem, illi tribuere debet. Docet id atque confirmat experientia communis. Ita enim et loquimur omnes quotidie, et ſcribimus, ut verbis, quibus utimur, etſi multas poſſint ſignificationes habere, tamen unam tantum notionem iungamus, niſi ingenio ludere et ex inſtituto velimus ambigue loqui et ſcribere, niſi conſulto figuras ſectemur et in ἀμαιβολία loquamur, niſi latere velimus in aenigmate, niſi conſulto etiam fallere velimus, ut eligamus ſtudioſe verba, quae alter poſſit vertere, quocunque modo ipſi libuerit. Quod ergo quisque facit quotidie, et loquens, et ſcribens, et quo modo vult intelligi, id et ſequi in interpretando debet eodemque modo eruere et explicare ſignificationem verborum.

Neque tamen defuerunt, qui diſcederent interdum ab hoc tam evidenti principio. Egerunt nimirum

 contra

contra hanc experientiam, qui unius loci ac phraseos plures esse significationes et esse deberent statuerent. (§. 8). Quo quidem sensu Judaei dicunt, a quovis apice Scripturae sacrae, sive a singulis verbis pendere montes sapientiae, h. e. multos eiusdem verbi significatus. Caussam vero, cur Judaei, et propagata deinde opinione, etiam Christiani ita statuerent, proposuere divini intellectus magnitudinem: Deum enim pro immensa sua intelligentia videre, quid homines varii de uno aliquo loco sint existimaturi (providere omnes loci alicuius interpretandi possibilitates); ergo libros, a Deo traditos, sic etiam esse interpretandos, ut omnis, qui erui possit, sensus in quovis loco quaeratur. Igitur ex narratione aliqua posse etiam consectaria moralia derivari; igitur sensum loci non modo historicum esse, sed moralem quoque; igitur posse narrationes librorum sacrorum tamquam allegoricas spectari. Hoc pacto putabant λόγον Θεοῦ sese accommodate interpretari ad magnitudinem divinam, si phrasi illa significari dicerent ubivis permulta, non unum tantum, quod conveniret orationis contextui. Vnde manavit hoc, tantum significare verba scripturae sacrae, quantum possint, aut quantum usus loquendi, universe spectatus, permittat; esse igitur sensum moralem, allegoricum, paraeneticum, epanorthoticum &c.

[Mirum hoc interpretandi genus, quod a Judaeis ad Origenem transiit et Augustinum, designari fere solet nomine מדרשים. Cfr. JOH. BUXTORFIUS in *biblioth. rabbinica* p. 364. et JOH. CHRISTOPH. WOLFIUS *bibliothecae hebraicae*, P. II. lib. VIII. p. 1328. sqq. Neque tamen omnibus Iudaeis hanc interpretandae scripturae rationem placuisse, comprobaverunt viri docti exemplo R. ABEN-ESRAE, qui grammaticum interpretandi genus caeteris omni-

omnibus praefert tanquam optimum. Caeterum cfr. WILH. SCHICKARDVS in *bechinath happeruschim*, p 143. et JOH. HENR. HOTTINGERI *Thesaur. philolog.* lib. I. cap. 2. p. 74. E.]

Stabilire autem hoc Iudaeorum principium inprimis studuit, superiore saeculo inter Batavos, JOH. COCCEIVS, in cuius lexico hebraico et commentariis, quos in Novum Testamentum scripsit *), plena omnia sunt talibus interpretationibus. Quid? quod progressus ille est eo usque, ut diceret, nil fieri in mundo posse, quin ad id Deus alicubi in scriptura sacra respexerit. Quum igitur, qui sententiam eius sequerentur, sensum scripturae latissime extendi ac patere voluissent; factum etiam est, ut in omnibus rebus quaererentur typi **), ut locis multis affingerentur alle-

*) [Scripta COCCEII primum prodiere seorsum, deinde cura filii eius JOH. HEINR. COCCEII coniunctim Amstelod. a. 1675. Vol. VIII. fol., recusa Francofurti a. 1689. et iterum Amstelodami a. 1701. Accesserunt deinceps *opera ἀνέκδοτα theologica et philologica*, Amstel. a. 1706. duobus voluminibus in fol. De controversiis autem, quas peperit Cocceiana interpretandi ratio, exposuit JOH. GEO. WALCHIVS in *histor. und theolog. Einleitung in die vornehmsten Religions-Streitigkeiten*, Cap. IV. p, 459. sqq. E.]

**) [*Typi* sunt comparationes ductae a personis et ritibus V. T. antiquitate, doctrina satis et religione insignibus, Judaeis potissimum familiares. Quo magis itaque scriptores N. T. iudaicum scribendi genus sequuntur, ut Matthaeus et Paulus, eo frequentius cumulant typos; quo magis ab ingenio iudaico recedunt, eo parciores sunt in iis adhibendis, ut Johannes. Typi autem ut non sunt multiplicandi; ita nec extendendi sunt ultra fines comparationis, sed ita potius explicandi, ut exinde pateat, illos non ad summam religionis christianae, sed ad

allegoriae, vaticinia et myſteria, utque adeo, quantum fieri poſſet, multae coniungerentur eumdem in locum ſignificationes et ſententias. Illuſtrabimus rem exemplo. Δικαιοσύνη in libris ſacris multa ſignificat. Primo enim eſt iuſtitia proprie dicta, quae ſuum cuique tribuit; deinde virtus univerſa, tum integritas, poſtea liberalitas, denique miſericordia, poſtremo iuſtificatio. Iam ubi legitur Matth. VII. 33. ζητεῖτε πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ —, eo in loco ex ſententia Cocceiana et Judaeorum intelligendae ſunt omnes illae ſignificationes, quae competunt vocabulo.

Late diſputavit contra Cocceianorum opinionem JOH. ALPHONS. TURRETINUS in libro *de interpretatione ſcripturae ſacrae*, p. 111. Qui liber a. 1776. Francofurti ad Viadr. typis recuſus eſt opera *Guiliel. Abrah. Telleri*, variisque acceſſionibus auctus.

Idem egit JOH. JAC. WETSTENIUS in *libellis ad criſin et interpretationem Novi Teſtamenti* pertinentibus, ubi inde a pag. 143. haec ipſa Cocceiana ratio uberius exponitur et recenſetur. Recuſi ſunt iſti libelli et aucti, cura *Joh. Sal. Semleri.* Halae 1766. 8.

Quod COCCEIUS fecit, id ipſum fecerunt et *Auguſtiniani*, et *multi veteris eccleſiae doctores*, (§. 7. 11). Scilicet contulerunt ac veluti cumularunt in eumdem librorum ſacrorum locum plures ſenſus, etiam litterales. Quum enim viderent, alium interpretem aliter intelligere hunc vel illum locum, et cuiusque

ad externum illius habitum pertinere. AMMON. Cfr RAU *freymüthige Unterſuchung über die Typologie*, Erlang. 1784.]

iusque interpretationem, ut fit, habere aliquam ſpeciem, qua commendari poſſit; optime ſic ſe verſaturos eſſe exiſtimabant, ſi dicerent: hic ſic explicat, et habet rationem, alius aliter, et habet ipſe ſuas rationes; igitur omnes has interpretationes colligamus in unum, ut locus tantum ſignificet, quantum ſignificare per interpretum ſtudia poteſt. Verum hoc modo nil plane certum relinquitur; et quorſum tandem res abiret, ſi in eodem loco tot vellemus interpretationes admittere? Sed de his veterum ſtudiis infra latius exponetur, ubi quaeſtio orietur de methodo patrum in interpretanda ſcriptura ſacra.

[Operae pretium eſt his noſtris temporibus advertere, quam graviter iam multi antiquiorum Theologorum inſanam illam allegorias ſectandi in interpretando libidinem damnaverint. Apponam verba JOH. CONR. DANHAUERI, hermeneutices magiſtri haud ſpernendi: *Abhorreo*, inquit, *ab allegorimania. Influit allegoria in animos hominum, movet, illuſtrat, ſuumque meretur et locum, et elogium, praeſertim ſi ſcripturis ſacris ſit innata, non e proprio cerebro illata. — Sed cenſoria virgula digna eſt allegorizandi prurigo, quum vetuſtiſſima illa Origenica, tum ſcholaſtica, ac barbarica vetus in homiliis paſſim deprehenſa, cuius matrem fuiſſe litteralis ſenſus difficultatem, nutricem pigritiam clericorum, recte cenſet Sixtinus Amama.* E.]

VIII.

Significationes verborum ſucceſſu temporis auctae.

Quamvis autem, ut hactenus docuimus, ſignificatio verborum eodem tempore, vel eodem in loco

ac modo loquendi varia esse aut multiplex nequeat: tamen consuetudo effecit, ut eidem verbo plures paulatim tribuerentur significationes (§. 5). Quaerendum itaque est, quaenam verbi significatio ex multis sit in quolibet loco eligenda et unde adiunctam hanc singulis locis notionem intelligere liceat. Illud quidem, ut supra vidimus, omnium hominum, et scribentium et loquentium, consensus atque experientia docet, unam tantummodo notionem in quovis loco cum verbis coniunctam esse, et coniungi adeo debere, si intelligi ab altero velimus. Nam ad ea, quae quis vel ludicra dicit, vel ingeniosa, vel male fida, et in quibus de industria interdum et consulto plures uni vocabulo significatus tribuit, nunc non respicimus.

[Omnino adiuvabitur opera interpretis in eligenda, explicanda confirmandaque notione, quam vocabulum aliquod aliquo loco adiunctam habet, si historiam cuiusvis verbi vel suo studio et usu partam, vel ex lexico bene diligenterque instituto, quale est *Schleusnerianum* in N. T., haustam teneat, habeatque ob oculos quasi conspectum quemdam, sub quo singulas significationes, continuo sibi ordine succedentes, ponat. Liceat duobus exemplis defungi. Vocabulum *νόμος*, quod respondet hebr. תורה, proprie et primo adhibetur de *singulis legibus*, Exod. XII 49. XIII, 9. XVI, 4. coll. Rom. VII, 3. deinde de *complexu* tum *legum*, tum etiam *scriptorum Mosis*. Inde postea designavit universam *complexionem omnium V. T. Iudaicaeque religionis scriptorum*. Hinc translatum est ad *Christianam religionem*, retinuitque et pristinam significationem, et alias accepit peculiares, quae caeteras illas aut proprius aut remotius attingunt; v. c. Rom. VII, 27. ubi *νόμος* oponitur *χάριτι*, &c. Aliquantum diverso modo haec

haec tractavit P. N. JOCHIMS *de variis τοῦ νόμου significationibus in epistolis Paulinis obviis*, Meldorpii 1768. 8. add. KOPPII *Excursum IV. ad epist. ad Galatas.* Pariter vocabulum πνεῦμα in libris N. T. quam varie dicatur, satis notum est, et accurate docuit peculiari libello JOH. FR. SCHLEUSNERUS, Gotting. 1791. 4. Proprie enim indicat omnem cuiuscunque generis et caussae *halitum*; hinc tropice *vires*; inde *naturam simplicem et incorpoream*, qualis et *anima* est (*Seele*, principium vitae τῆς κινήσεως), et *animus* (*Geist*, principium cogitandi): hinc per metonymiam usurpatur de *sensibus* et *affectionibus animi* qualibuscunque; porro de *spiritibus invisibilibus*, qui sunt excelsioris naturae; denique de *summo* illo non creato *spiritu*. Apparet, notiones omnes cohaerere inter se perpetua quadam concatenatione: sed qualis quoque loco deligenda sit notio, locus ipse docebit. v. P. I. Sect. II. cap. I. v. VI. Caeterum si quis velit exerceri in talibus, adeat GOTTL. CHR. STORRII disputat. de *sensu vobuli δίκαιος*, Tubing. 1781. 4. C. G. BARDILI de *significatu primitivo vocis προφήτης ex Platone eruto*, Gotting. 1786. 8. et alias huius generis scriptiones. E.]

IX.

Vnde adiuncta quoque loco significatio agnoscatur.

Diiudicabitur autem adiuncta quoque loco notio vocabuli

I. *ex universo loquendi modo, ex ipsa phrasi eiusque constructione grammatica* (§. 5).

Sic tralaticia illa: *petere aliquem* et *petere ab aliquo*, definiuntur ipsa syntaxeos ratione. Pendet autem universus ille loquendi modus ab ipso stilo, qui est aut *poëticus*, aut *prosaicus*. In prosaica simplicitate, quam v. c. historicus sectatur, ubi *mersus* aliquis *fluctibus* dicitur, id proprie capiendum est: verum si Davides idem dicit in Psalmo, se *fluctibus* esse *immersum*, tropice intelligimus, eum magnis miseriis et calamitatibus obrutum fuisse. Pariter in poëta, quia est poëta, inde definietur, quid sit *pubes Romana*. Etsi enim *pubes* per se varia significat: in carminibus tamen vocabulum hoc usurpatur de iis, qui militarem aetatem habent. In poëta *tela solis* significant radios solis, *comae arborum* sunt folia, etsi *tela* et *comae* alias etiam notiones habent. Eadem valent de *dictione parabolica et proverbiali*, quae et ipsa hic observanda est. In proverbiis ipsa notio et usus proverbii saepe monet nos, quomodo verba sint intelligenda: v. c. ubi dicitur, manus manum lavat, quum sermo sit de mutuis officiis. In talibus, nemo est, qui urgenda esse verba singula putet. — Sic igitur universus loquendi modus (*Form des Ausdruckes*) indicat, quae potissimum significatio hoc vel illo loco eligi possit, aut eligi debeat.

II. *Significatio verborum porro iudicanda est e vicinis verbis, quem contextum appellamus* (§. 5).

Sic v. c. facile intelligitur e contextu, quae sint τὰ παθήματα τοῦ χριστοῦ.

III. *Judicanda etiam est e consilio seu scopo scriptoris.*

Etsi interdum in loco aliquo habere vocabulum potest significationem, quae ab interpretibus ei tribuitur: tamen per se non habet, sed per consilium et scopum

pum dicentis, unde non raro res conficitur ac lis omnis dirimitur. Hinc ſaepe iudicandum eſt de notione πίςεως, de notione ἔργων et aliorum. V. c. ubi ſervi a Paulo monentur praeſtare dominis ſuis πᾶσαν πίςιν ἀγαθὴν (Tit. II, 10.), non modo contextus, verum etiam ſcopus et conſilium ſcriptoris docet, intelligendam nunc eſſe, quae vulgo dicitur bona fides. Nam quum Paulus id agat, ut ſervos commonefaciat de officiis erga dominos, prohibeatque malam fidem, furta et fraudes: ſponte patet, eum nunc id velle: *Die Knechte ſollen ihren Herren treu und redlich dienen.*

IV. *Facit denique ad iudicandam ſingulis in locis ſignificationem verborum hiſtoria et natura ipſius rei.*

Primum de *hiſtoria*, ubi facile haec lex ab omnibus agnoſcetur. Quod factum eſt, id ſignificare illa verba nunc debent, etiamſi per ſe vario modo poterant intelligi. Contra facta enim et hiſtoriam interpretari non licet. Jeſus dicit Luc. V, 35. ſe nolle diſcipulos ſuos cogere ad multa ieiunia; venturum enim eſſe tempus, quo iis ieiunandum ſit. Id poteſt ſane proprie accipi: verum ſi hiſtoria conſulatur, ea manifeſte declarat, vitam apoſtolorum ſic non fuiſſe transactam, ut illi ſaepe et ſedulo ieiunarent; docet potius, eos transegiſſe vitam triſtem, duram ac moleſtam, Hiſtoria igitur duce intelligimus, id Chriſtum hoc loco dicere velle: ſe nolle in praeſenti ſuos adſtringere ieiuniis crebris; nam tempus eſſe venturum, quo ſatis crebro vitam triſtem et moleſtam ſint transacturi, interea igitur ſe iis parcere et libertatem indulgere.

De *rei ipſius natura* hoc utar exemplo. Quae de Deo dicuntur humano more, v. c, de Deo olfaciente, deſcendente, de halitu eius et flatu, ea omnia diiudicamus

dicamus hinc, quod Dei natura non ferat, ea ut capiantur proprie. Pariter quae de Deo occaecante, obdurante, homines in peccata et ſcelera deiiciente, dicuntur, ea non diiudicamus niſi e natura rei; non poſſe nimirum talia efficientem atque agentem Deum ſpectari, eſſe igitur haec mitiganda interpretatione. Ita per ſe Deus occaecans et obdurans poteſt eſſe, qui hoc agit et efficit, ut homo ſit inſcius et malus. Nam hac de re proprie uſurpantur iſta verba. Sed quoniam id non cadit in Deum propter eius naturam, ideo adhibenda ſunt illa emollimenta interpretationis, ut Deus intelligatur non prohibens inſcientiam, admittens ſapienti conſilio peccata.

X.

Ambiguitas tum ex πολυσημία verborum tum aliunde oritur.

De qua loquuti hactenus ſumus, πολυσημία verborum, ea ſane cauſſa ſaepe numero eſt, cur varia adhiberi queat interpretandi ratio: neque vero illa una eſt *ambiguitatis*, qua loci multi laborant, cauſſa. Nam etiamſi ex uſu loquendi certum eſt, quae notio verbo cuique ſit tributa: tamen praeter illam ſignificationum multitudinem non una relinqui poteſt ambiguitas, ita, ut qui accurate teneat illum loquendi uſum, et hanc πολυσημίαν recte diiudicet, interdum tamen in ſingulis locis ignoret, quae ſit verbi ſignificatio, quae mens ſcriptoris. Ergo huius *ambiguitatis cauſſae* (§. 5.) porro ſunt indagandae. Quod quidem inſtitutum nunc eo brevius et facilius abſolvere licebit, quum praeſidia removendae ambiguitatis, quae ſupra propoſuimus, etiam huc pertineant.

1. Pri-

I. Prima igitur ambiguitatis caussa esse potest *in ipso scriptore eiusque inscientia scribendi.* Nam quo quis est inscientior regularum, perspicue et accurate scribendi: eo magis ambigua est eius oratio. Ideo non laborandum magnopere in legendis explicandisque epistolis hominum plane rudium, quae sic interdum scriptae sunt, ut vix unum cum altero possit necti.

II. Altera ambiguitatis caussa reperitur *in neglecta constructione verborum omissisque adiunctionibus necessariis* (determinationes philosophi vocant): quo pacto non satis cavetur, ne lector erret incertus, sed perspicuam ansam habeat, per quam tenere veram significationem verborum possit.

Neglectae constructionis legitimae exempla praebebunt oracula multa paganorum, in quibus inest studio quaesita ambiguitas. Quale est illud: Aio te Romanos vincere posse.

Determinationes, quas philosophi vocant, ubi *omissae* sunt, ibi effici nequit, ut altera significatio utique excludatur, altera tollatur, utque adeo una tantum possibilis sit vocabuli notio. Quum v. c. in Thucydide legitur ψήφισμα μεγαρέων, potest esse decretum, Megarensibus factum; et tamen, si locus ipse perpendatur, facile intelligitur, esse decretum, ab Atheniensibus factum contra Megarenses. Hic deest illa adiunctio: *adversus Megarenses;* quae si posita esset, excluderetur omnis ambiguitas. Sic et illud Paulinum (2. Cor. I, 5.) τὰ παθήματα τοῦ χριστοῦ putet aliquis esse perpessiones, quas Christus ipse pertulit; et tamen sunt perpessiones, quas quis suscepit religionis Christianae caussa, sive ad exemplum Christi. Addita non est determinatio: παθήματα ὑπὲρ τοῦ χριστοῦ.

III. Ter-

III. Tertia ambiguitatis caussa inest *in ipsa consuetudine*, quae, quia non est in potestate philosophorum, nec ab eorum subtilitate orta, summam ἀκρίβειαν non habet. Docet hoc experientia; nam quis ausit in usum vitae communis verborum omnium significationes definire? E significationibus autem non definitis satis, quas frequentat usus loquendi, orta sunt tot synonyma, quae etsi discerni possunt, tamen non discernuntur ab indocta plebe quotidiana consuetudine.

IV. His caussis ambiguitatis, ab ERNESTIO etiam (§ 5) commemoratis, addi potest *ignoratio certi usus loquendi.* Velut in his, quae semel tantum occurrunt, ubi non potest certus loquendi usus demonstrari. Hinc fit, ut talia ἅπαξ λεγόμενα alii hoc, alii illo modo intelligant. Sunt deinde etiam phrases integrae, habentes ambiguitatem, velut haec: τηρεῖν πίστιν. Id vel esse potest: tenere religionem, tenere fiduciam semel susceptam, vel: servare fidem, quam alteri dedimus, in vita communi. Eadem fere ratio est formulae τηρεῖν λόγον. Ea vel significat: observare doctrinam vita factisque, vel: callide observare dicta et sermones alicuius. Nolo equidem negare, in singulis locis deinde cognosci posse, quae vis verborum praeferenda sit: verum tamen illa multiplex significatio eiusdem phraseos habet ambiguitatis caussam.

V. Vltimam ambiguitatis caussam dico esse *syntaxeos diversitatem.* Aliud est: petere aliquem, aliud: petere ab aliquo; aliud: incumbere rei, aliud: incumbere ad rem. Cuius usus si scriptor fuerit inscius, neque legitimam et necessariam syntaxin observaverit, quis dubitet, multam inde oriri ambiguitatem?

XI.

XI.

Conclusiones de usu loquendi ex superioribus derivantur.

In his igitur, quae supra dicta sunt de universo loquendi modo, de contextu aut vicinis verbis, de consilio et scopo scriptoris, de historia reique ipsius natura, reperiendae significationis studium adiuvantibus de principio denique illo, in uno loco et in una phrasi unam tantum esse significationem, in his igitur omnibus insunt *caussae certitudinis, quae esse in interpretando potest* (§. 6). Appellaverim hanc certitudinem *grammaticam*, ut opponatur ei mathematica, cui nullus est in demonstranda verbi significatione locus. Etenim linguae, ut passim monuimus, sunt res in facto positae confirmanturque testimoniis talibus: sic factum est; sic loquimur; sic scribimus; sic intelligi volumus. Quas caussas, quibus nititur significationis alicuius certitudo, qui non agnoscit, qui negare etiam audet, contra eum uti disputari commode nequit, ita huic, non video, quid in omni interpretatione certum sit. Quocirca quum omnia redeant huc, significationem verborum esse rem in facto positam, de qua testimonia exstent historica: non est alia illius addiscendae via, nisi usus huius et testimoniorum diligens observatio. Hinc lucem lucrabuntur, quae ERNESTIUS (§. 12.) tradit, *significationem verborum pendere ab usu loquendi, et hoc cognito, illum cognosci.* Ita *usus loquendi* summatim erit consuetudo exprimendi certas res per certa verba. Quae consuetudo dum discitur; discitur etiam verborum significatio.

Iam vero dispiciendum nobis est de *usus loquendi*, quem modo descripsimus, *variis speciebus.*

XII.

XII.

Vsus loquendi quae ſint ſpecies.

Quoniam *uſus loquendi multis rebus definitur* (determinatur §. 13.), h. e, quoniam multae reperiuntur cauſſae, cur variae ſint ſpecies uſus loquendi, quas diſcernere conveniat; ideo nunc ſuppeditanda ſunt fundamenta dividendi, quibus obſervatis *ſpecies illius uſus variae* intelligantur.

I. Primum fundamentum dividendi nominatur ab ERNESTIO *tempus.* Pro diverſitate autem temporis *uſus loquendi* eſt vel *antiquus,* vel *recens.* Etenim omnes linguae ſucceſſu temporis mutantur, fiuntque nonnullae ſignificationes obſoletae, aliae novae; quaedam etiam invertuntur, non modo ſic, ut in ſiniſtram partem dicantur, ſed ut fiant quoque ignobiles, contumelioſae, ſordidae, habentes adiunctum aliquid obſcenitatis. Atque hoc vel vernacula lingua indicat, quantum diſcrimen introduxerit tempus, quum inter maiores noſtros verba quaedam liberrime adhiberi ſolerent, quae nunc ſordidi aliquid ac plebeii traxerunt, quum multa nunc ſint alio plane ſenſu uſitata &c. Sequitur ergo, cogitandum ſemper eſſe interpreti, cuius aetatis ſcriptor explicetur. Longe enim aliter ſe habet Polybius, quam Xenophon: quippe tempore fuerunt disiuncti: longe aliter loquitur Cicero, quam Plautus aut duodecim legum tabulae; alia multa exſtant in Plauto, quam quae in Plinii Secundi epiſtolis aut Quinctiliano. Provocare exempli cauſſa liceat ad notiones vocabulorum *latro* et *perduellis*, quae plane diverſae ſunt pro diverſitate temporum. Atque, ut ad ſacros ſcriptores veniamus, quantum diſtat ſtylus Moſis, quoad ſignificationes, ab oratione Danielis! Annon

non nova eſt diligentia opus, ſi ab illo ad recentiorem ſcriptorem deſcendatur, propterea, quod mutatur ſubinde loquendi uſus?

II. Alterum dividendi fundamentum eſt *religio.* Qua quidem ratione uſus loquendi alius eſt *religioſus*, alius *non religioſus.* Nam ubi de religione ſermo eſt, verba aliam accipiunt vim, quam in vita communi. Sic verba *facere*, *operari*, quum de religione rebusque religioſis dicuntur, ſignificant: Deo victimam offere, et ſic quaſi aliquid facere Deo. Apud Homerum etiam ſaepius eſt ῥέζειν, ἔρδειν de oblatis victimis. Pariter Hebraeorum illud עָבַד, *ſervire*, et ductum inde graecum λειτουργεῖν, dicuntur in univerſum: colere Deum. *Servire* ergo quum de religione dicitur, aliud eſt, quam in vita communi. Hinc in Novo Teſtamento λειτουργία eſt vel *oblatio victimarum*, vel tropice *omnis Dei cultus*, etiam qui fit animo.

Hactenus de diſcrimine, quod intercedit inter uſum loquendi *religioſum* et *non religioſum.* Verum ipſa quoque religio, ut ita dicam, influere in linguam nationis ſolet. Prouti enim mutatur religio evehiturque a ſuperſtitione ad veritatem, ab obſcuritate ad claritatem: ita etiam verba multa, cum illa coniuncta, aliam ſubinde ſignificationem accipiunt. Quantum diſtant verba, quae ſunt de religione, in ſcriptis Auguſtini, Scholaſticorum, in ſcriptis Reformatorum tempore Lutheri, et in ſcriptis noſtrorum Theologorum! Ac ſi hoc in eadem fit religione, quid non fiet, ubi diverſitas eſt religionis, non dicam inter Paganos et Chriſtianos, ſed inter libros Veteris ac Novi Teſtamenti? Quantum diſtant in illis ſignificationes verborum: *victima*, *ſacrificium*, *oblatio*, *lex*, *regnum coelorum*, ab his, quae in Novo Teſtamento obviae

 ſunt!

ſunt! Proinde in explicandis ſcriptoribus etiam videndum diligenter eſt, cuius quisque maxime religionis fuerit.

III. Tertium dividendi fundamentum eſt *ſecta* et *diſciplina*, addamus et: *vita communis.* Hinc oritur *uſus loquendi philoſophicus*, quum aliquid dicitur e diſciplina ſcholae, et *uſus loquendi popularis*, quum aliquid dicitur e conſuetudine vitae communis. Verbum *percipere* in vita communi denotat *fühlen*, *empfinden*; ſed ubi a philoſophis dicitur *perceptio*, eſt vel formatio ideae, vel facultas ideas formandi, quae dicitur intellectus, in ſecta denique philoſophorum Academicorum *percipere* eſt evidenter ſcire, idque opponitur coniecturae et opinioni. In ſcriptoribus hiſtoricis ac poëtis ἀρετὴ, *virtus* eſt fortitudo bellica. At longe aliter intelligunt philoſophi, qui *virtutem* dicunt omnem vitae et animi conformationem ad leges. Accedit, quod quaevis ſecta ſuas habet ſententias, ſua verba technica. Aliter enim *animi perturbatio* uſurpari a Stoico ſcriptore ſolet, aliter a Peripatetico. Hinc cui ſectae adſcriptus fuerit ſcriptor, ſedulo quaerendum eſt. Itaque apud Apoſtolos, qui fuerunt Judaei, non quaeritur, an fortaſſe tale aut ſimile verbum, veluti γραφὴ θεόπνευστος, in alio ſcriptore occurrat, ſed quaeritur unice, quam haec formula ſignificationem habeat in homine quondam Judaeo. Praeterea in ipſis etiam Novi Teſtamenti libris ſequimur interdum ſtilum *vitae communis*, qui longe eſt diverſus a ſubtilitate philoſophorum. Veluti quum πνεῦμα, ψυχὴ et σῶμα recenſentur, non interpretamur id e ſcholis, nec quaerimus, quo pacto philoſophi πνεῦμα, ψυχὴν et σῶμα, ut tres hominis partes, coniunxerint, ſed revocamus rem omnem ad vitae communis uſum, ubi πνεῦμα, ψυχὴ, σῶμα dicitur coniunctim, non introducto ſignificationum ſubtiliori diſcrimine.

IV.

IV. Quartum dividendi fundamentum eſt *reipublicae conſtitutio.* Hinc *uſus loquendi* fit *uſus publicae vitae* et *uſus vitae privatae.* Ille tum obtinet, quum de conſtitutione aut forma reipublicae ſermo eſt, pertinetque ad ius civitatis, ſacra et alia politica ac publica in civitate. Manifeſtum enim eſt, aliter in iure graeco, aliter in romano et germanico, quaedam dici, ideoque ſingularum gentium ſcriptores, ubi de talibus exponant, diverſimode eſſe intelligendos. Rem illuſtrabunt haec exempla: *Dies* et *terminus* in foro atque iure eſt *gerichtlich anberaumter Termin. Proſcribere* proprie quidem ſignificat loco publico aliquid ſcribere, publico loco ſcriptum proponere; at in iure veteri *proſcriptio* dicebatur, quum in exilium mittebantur proſcripti, quod eſſe factum ſcimus v. c. tempore Marii et Sullae. Sic inter nos voc. *Begünſtigung* quid ſignificet, neminem fugit: in foro autem, quum poenae dictitantur, *die angethane Begünſtigung* dicitur moleſtia, quam alteri creamus. Ita diſciplina educandi omnisque omnino civitatis diſpoſitio publica tribuit vocabulis certas quasdam ſignificationes, in illa civitate uſitatas.

His fundamentis dividendi, ſeu cauſſis, cur variae ſint ſpecies uſus loquendi, quas, duce ERNESTIO, hactenus pertractavimus, addi poteſt

V. *dictio ipſa ſeu ſtilus ſcriptoris.* Hinc enim *uſus loquendi* eſt vel *poëticus*, vel *proſaicus.* Qui quidem uſus loquendi uti vehementer inter ſe differt: ita quemlibet, conſtat, id ſpectare in interpretando debere, utrum verſetur in ſcriptore proſaico, an in poëta.

VI. Spectari etiam, tanquam fundamentum dividendi, poteſt *ingenium ſcriptoris*, ob quod uſus loquen-

di haud parum differt. Prout enim eſt vividum, ita properantius, nec accurate ſemper, ſcribere ſolet: prouti incaleſcit, ita tropos cumulat: prout eſt ſeverum, ita λακωνικῶς et abrupte effert enuntiata: prout eſt feſtinans, ita facilius tranſit ad rem aliam et relinquit lectori multa cogitanda, quaerenda, nectenda. Quo reſpectu nonne magnum eſt diſcrimen Caeſaris et Livii? Jeſaiae et Jeremiae? Moſaicae narrationes nonne diſtant a narrationibus Eſrae aut Chronicorum? Aliter loquitur Paulus, aliter Johannes; et nonne quilibet habet quaedam ſibi propria? — Tum etiam ingenium ſcriptoris efficit, ut quaerat nova et audacius loquatur. Ad Thucydidem et Tertullianum intelligendum vix linguae graecae vel latinae accuratiſſima cognitio ſufficit: adeo pendet uterque ſcriptor ab ingenio ſuo et novam plane ſcribendi rationem ſibi formavit, quae nil habet ſibi ſimile uspiam. Praeter Johannem, evangeliſtam, nemo Jeſum appellavit λόγον; praeter Paulum nemo de καταλλαγῇ τοῦ κόσμου loquitur. In tali igitur ſcriptore ac tali eius loquendi conſuetudine, nonne opus erit, illum ex ipſo interpretari?

Adiungam et hoc, vetuſtatem incultam et rudem differre multum a recentioris aevi cultu et elegantia. Itaque multa deprehenduntur in Orientis ſermone rudia et inculta, quae noſter excultus et elegans ferre nequit. Solebat ille ſermo propter defectum cultus cogitandique infantiam, exprimere omnia per vocabula ſenſibilia, quae docebantur de Deo, de animo, de virtute. Etenim defectus cultus et elegantiae erat defectus ſubtilitatis; neque venerunt iſto tempore homines ad abſtractas, quas vocant, notiones, ſed ut externis aliquid ſenſibus offerebatur, ita exprimebant, et quicquid tradebatur, ad ſenſus revocabant.

VII.

VII Vltimum denique fundamentum dividendi dico esse *nationem*, e qua quis scriptor oriundus est. Nam inde est *usus loquendi* et *nationalis* et *provincialis*. Multa germanica vocabula omnis natio usurpat cum magno consensu, sed quaedam usurpare tantum solet haec vel illa provincia. Eodem pertinet, quod saepe audimus, tot esse loquendi consuetudines, quot sint nationes. Et quid commemorem nota illa vocabula, hebraismum, graecismum, latinismum etc.?

XIII.

Ex his variis speciebus constituitur χαρακτὴρ scriptoris.

Haec igitur omnia, quae hactenus exposuimus, quamquam non sola pertinent ad characterem scriptoris: tamen *fere* (propemodum) *efficiunt characterem orationis* (§. 13.), *qua quisque scriptor tempore quoque usus est.* Inde est, quod v. c. dicimus, characterem scriptoris esse popularem, antiquum, hebraeum, graecum. Quapropter interpretem, si velit muneri suo satis facere, diligenter inquirere oportet in characterem scriptoris, probe discernere varias formas usus loquendi et in libro quolibet attendere, quae species insit. Aliter enim saepe idem verbum in vita communi, aliter in religione, aliter in scholis philosophorum dicitur, quae et ipsae, quoniam non consentiunt satis, singulatim spectandae sunt. Sic in libris Novi Testamenti in primis observandus est usus loquendi hebraicus, tum etiam historicus, et qui est vitae et consuetudinis familiaris. In Veteri Testamento reperitur usus loquendi poëticus et elatior saepe numero, item, qui omnium ultima aetate generis humani fuit ideoque omnium simplicissimus.

XIV.

Senſus verborum quidſit.

Satis multa diximus de *ſignificatu verborum*, qui pendet ab loquendi uſu. Ab eo quum diſtinguendum eſſe docemus *ſenſum*, ordiamur ad declarandum hoc diſcrimen a quibusdam exemplis, quibus poſitis, deinceps deveniemus ad definitionem.

Si Deus dicitur *Adami naribus inflaſſe halitum vitae*, haud difficile eſt, ſingulorum verborum ſignificationes intelligere. Sed eas qui novit, an ſenſum verborum novit? Minime. Sentiunt enim et concedunt omnes, verba illa non poſſe proprie h. e. non ſic, ut ſonant, intelligi. Itaque ſenſum loci is demum perſpicit, qui verbis hoc intelligit ineſſe.: Deus animam Adami vitalem eſſe juſſit. Pariter ſi Chriſtus dicitur *ſedere ad dextram Dei* (καθῆσθαι πρὸς τὴν δεξιὰν τοῦ θεοῦ) quis non novit ſingula vocabula eorumque ſignificationes ſingulas? At ſignificationibus illis cognitis, nondum ſenſus eſt in promptu, ut adeo quaerendum ſit amplius, quid ſibi velit iſta formula. Iam noſtris moribus foret: *oben an ſitzen*. Moribus Orientis ſedere ad dextram regis dicitur amicus eius et adminiſter, qui proximum a rege locum occupat. Verum ſi id de Chriſto dicitur, non dicitur nec germanico ſenſu, neque orientali, ſed eſt idem quod συμβασιλεύει τῷ πατρί Legimus porro in litteris ſacris hanc formulam: *in terrae inferiores partes deſcendere.* Hoc fieri multis modis poteſt. Apud Hebraeos *deſcendere* בְּתַחְתִּיּוֹת הָאָרֶץ ſignificat *ſepeliri*, ut apud Ezech. XXVI, 10. Hoc pacto non ſingula verba transferimus in aliam linguam, ſed rem ipſam, quae verbis illis indicatur, ſeu ſenſum verborum exprimere ſtudemus. Et quoties dicimus, ſimpli-

ſimpliciter vertendo verbum de verbo nihil profici, toties intelligimus ac profitemur, non modo ſignificationes, ſed etiam ſenſum quaeri debere.

His ita praemiſſis, proclive erit *ſenſus* definitionem invenire. Quoniam enim *ſignificationem* ſupra (II.), ſic deſcripſimus, ut eſſet *una unius rei notio, uno vocabulo* expreſſa; *ſenſum* nunc recte ponemus in *notione rei expreſſae integra dictione* (*Begriff einer durch einen ganzen Ausdruck angezeigten Sache*). Ac ſi placuerit, etiam noſtrae linguae vocabula afferre: *Bedeutung*, *Sinn*, *Begriff*; apparebit, illa ſic diſcerni ſaepenumero, etiam in ſermone vitae communis: *ich weiſs die Bedeutung der Worte*, *aber nicht den Sinn des ganzen Ausdrucks.*

XV.

Senſus reperiendi praeſidia.

Ducimur autem ad cognoſcendum hunc ſenſum rurſus

1. *conſuetudine loquendi.* Ea enim duce diiudicandum eſt, quae notio ſoleat ab hac vel illa gente his vel illis verbis exprimi.

2. *contextu orationis.* Veluti, ubi ardere aliquis dicitur aeſtu, contextus docet, irae an ignis aeſtu dicitur ardere, &c.

3. *natura rei cogitanda.* Quum v. c. Deus dicitur halare, ſpirare per nares, &c., natura rei cuilibet indicat, proprie illa Deo adſcribi non poſſe, ſed ſigni-

ficari iram Dei, aut poteſtatem omninoque inſignem eius operationem.

4. *ipſo ſcriptoris indicio*, qui, quid velit intelligi, interdum interpretationis gratia, addit. Sic in noto illo: *πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ οὐκ ἔςιν ἐκ τοῦ πατρὸς, ἀλλ' ἐκ τοῦ κόσμου ἐςί* (1. Joh. II, 16.) in *illis*, *quae in mundo ſunt*, non intelliguntur res creatae, ſed res malae et vitioſae, quae a Deo non proficiſcuntur. Id indicatur additis his: *ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς καὶ ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ ἡ ἀλαζονεία τοῦ βίου.* Quae profecto non ſunt a Deo.

[Ad definitiones *ſignificationis* et *ſenſus*, a b. MORO propoſitas, quotiescunque veni, legendo primum, dein ſcribendo relegendoque; toties ſenſi, aliquam iis obſcuritatem ineſſe, neque exhauriri ſatis notiones, quae definiendo explanari debebant. Nam ſi quis v. c. רוח apud Hebraeos, et, quod ei reſpondet, graecum *πνεῦμα*, aliquo loco interpretatus fuerit de *excellentia*, *perfectione*, *robore*, *viribus*, contra בשר et *σαρκὰ* de *imperfectione imbecillitateque;* non verborum ſe *ſignificationem*, ſed *ſenſum* reddidiſſe opinabitur. Tamen quid dedit? Nimirum dedit non tam *notionem rei expreſſae integra dictione*, quam *unam unius rei notionem*, *uno vocabulo expreſſam.* Aut ſi quis *πνευματικοὺς* intellexerit de *provectioribus* aut *emendatis*, eodemque modo verterit, *σαρκικοὺς* autem de *infirmis necdum in melius mutatis:* nemo dixerit, has eſſe *ſignificationes* ipſas, quae proprie et anguſtius dicuntur; immo *ſenſus* horum verborum in alia lingua, legitime e contextu verborum permutatis notionibus, ſic exprimitur. Itaque quum ipſe alia iam in ſcholis meis inſtitiſſem via, diſcrimen illarum notionum explicandi

candi; laetatus impenſe ſum, quum in praeclara diſſertatione MORI *de diſcrimine ſenſus et ſignificationis* (quae inſerta eſt eius *Diſſertatt. theol. et philol.* Vol. I. p. 61 — 98.) dilucidius omnia et plenius, et ſubtilius enucleata reperiſſem. Iſta igitur diſſertatione potiſſimum duce, ſi refingere audeam, quae in his acroaſibus parum accurate dicta videantur; ne illorum quidem reprehenſiones metuo, qui in verba magiſtri iurare conſuerunt. Morum enim ex Moro limari, quis aegre ferat? — Dicam vero ſic primum, ut oſtendam, intereſſe inter *ſenſum* et *ſignificationem*, deinde, ut, quid interſit, paucis aperiam.

Iam etſi ante b. Morum nemo, quod ſciam, exſtiterit, qui hoc de diſcrimine vel diligentius quaereret, vel exponeret accuratius: tamen nemo facile fuit interpretum, quin rem tum ſentiret obſcure, tum tacite, et ipſa veluti praxi, concederet. Omnes enim ad diſcrimen illud agnoſcendum tum *legendo*, tum *vertendo*, tum *explicando* ſponte ducimur, viam monſtrante ipſa experientia. Saepe enim accidit, ut *legentes* librum, praeſertim ſi eſt ex eo genere, quod obviis verbis, facilique ac dilucida oratione complectitur res intellectu difficiles, ſingulorum verborum ſignificationes teneamus, ſenſum non aſſequamur; aut, ſi velociore ſumus ingenio, ſenſum loci divinando ſuſpicemur, quamvis cauſſas illius ſenſus et modum, quo inſit in loco, ideoque ſignificationes verborum haudquaquam tantum, quantum ſatis fit, intelligamus. Accidit quoque, ut *vertendo* et ſentiamus ipſi, et alios moneamus, non poſſe hunc illumve locum ſic exprimi, verbum ut verbo reddatur, utque adeo ſignificationes omnes ac ſingulae in utraque lingua ſibi reſpondeant;

deant; ſed quaerendam eſſe notionem, eruendum ſenſum, qui verbis ab auctore poſitis ſubeſſe reperiatur. Neque ſe aliter res habet in *explicando.* Nemo enim, ut vere omnino Morus ait, interpretem, ſingula verba ſingulosque modos loquendi illuſtrantem, muneri ſuo ſatis facere exiſtimat; ſed rem, quae ſub illis verbis latet, et ſenſum oſtendi ſibi vult atque aperiri. Hoc autem non tantum fit explananda materia quam ſcriptor tradidit, veluti hiſtoria, ritibus, placitis philoſophiae et aliis; ſed opera danda eſt interpreti, ut lector in omnes partes verba verſare, multisque modis cogitare diſcat; ut, ſi Europaeus fuerit, ſermonem populorum Orientis usque eo comparet cum ſermone ſuo, dum alterum cum altero permutare, et rem ſuo modo cogitare ſuisque verbis exprimere poſſit. Id vero curare interpres debebit non modo in verbis ſingulis, verum etiam in integris ſententiis atque propoſitionibus. Hinc orietur *ſenſus* tum *verborum*, tum *propoſitionum.*

Demonſtrata ſic neceſſitate, agnoſcendi differitatem, quae inter *ſignificationem* intercedat et *ſenſum*, tentabimus, tradendis definitionibus, utriusque naturam deſcribere, et modum declarare, quo ſoleat ſenſus pro ſignificatione poni.

Significationem igitur *tradere* nihil aliud erit, quam notionem rei exprimere verbo, quod verbo alterius linguae, qua ſcriptor uſus eſt, plane reſpondet. *Senſum* vero *tradere* erit exprimere rei notionem ſic, verbis aut, quoad notionem, permutandis, aut, quoad vim, circumſcribendis, ut lector ducatur ad notionem eandem, quam ſcriptor ſuis verbis expreſſerat, univerſe quidem, ſed plane cogitandam.

De

De *ſignificatione* res eſt in promptu poſita. Qui διδάσκειν vertit *docere*, is exprimit notionem alicuius rei verbo latino, quod graeco plane reſpondet. De *ſenſu* autem quae dixi, ſingulatim illuſtranda ſunt.

Vbi ergo ſignificatum alicuius verbi non licet uno verbo exprimere, vel quia obſcura foret talis, verbis adſtricta nimis, verſio, vel quia verbum ſemel tantum occurrit, vel quia nullum alterius linguae ei plane reſpondet, vel quia factum et inventum eſt a ſcriptore, vel quia in arte aut diſciplina, aut ab arbitrio ſcriptoris, ampliorem anguſtioremve, quam in vita communi, ſignificationem accepit; ibi exprimimus ſenſum, et primum quidem ponendo verbo, cuius notio cum notione illius verbi, quod ſcriptor adhibuit, *permutari* recte poſſit. Fit autem permutatio, dum ponitur *adiunctum* et *connotatum* (*Nebenbegriff*); h. e. dum exprimitur illud, quod rem, quam ſcriptor dixit, antecedit aut ſequitur, aut ab ea re efficitur, aut modum illius declarat, aut ullo modo, ſive natura, ſeu cogitatione, cum re coniunctum eſt. Plana haec reddentur exemplis.

1. *Quod rem, quam ſcriptor dixit, antecedit.* Quando Paulus Corinthiis ſcribit 2 Ep. XI, 8: παρὼν πρὸς ὑμᾶς — οὐ κατενάρκησα οὐδενός, non ſufficit tenere notionem verbi καταναρκᾶν etymologiae convenientem: *torpidos reddere*, ſed id erit exprimendum, quod anteceſſerit et iſtum torporem attulerit, ideoque ſenſus erit: *numquam vobis moleſtus fui et acerbus, mercede exigenda.*

2. *quod rem, quam ſcriptor dixit, ſequitur.* Κλῆσις quid proprie notet, nemo ignorat. Sed apud Paulum ſaepe eſt de *beneficio* Dei quocunque, ad quod

quod nos ille invitavit; ut Rom. XI, 29. coniungitur cum χαρίσμασι, et paullo post v. 31. ἐλεηθέντες vocantur, qui antea κλητοί; maxime autem usurpatur de *beneficio beatae immortalitatis*, ad quam vocat et cuius spem facit Evangelium.

2. *quod ab ea re efficitur.* 1. Cor. II, 14. oppositio τοῦ πνευματικοῦ docet, ψυχικόν dici de *profano*, qui οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ, non admittit ea, quae sunt a Spiritu Dei tradita. At quo modo haec notio *profanitatis*, hic sensus, insit in nomine τοῦ ψυχικοῦ, id, quum a plerisque praetermissum sit, praeclare ostendit NOESSELTUS *Opuscul Fascicul. II.* p. 133. Scilicet ψυχὴ proprie est id quo quis animal est, in hominibus igitur quod commune omnibus cum animantibus habent, vita videlicet ac sensus. Sunt itaque ψυχικοὶ, qui sensu ducuntur suo, nec, quod homines decebat, rectam rationem sequuntur, in primisque in religione aestimanda ne alios audiunt quidem, nec utuntur opportunitate discendi, nec vel examinant oblata sibi, vel experimenta faciunt eorum quae audivere, ut quale sit istis pretium statuendum, intelligant, sed temere repudiant, quae sentiunt suis opinionibus et lubidinibus contraria. Spectandum igitur et experimendum ab interprete est id, quod ab ea re, quam verba scriptoris proprie exprimunt, a ψυχῇ, efficitur.

4. *Quod modum rei declarat.* Loquitur Paulus Hebr. IX, 14. de *victima* Christi, quae, quod erat omnibus quasi numeris absoluta, tantum praestiterit, quantum ille sanguis animalium praestare non potuisset. Eam victimam appellat, singulari plane modo loquendi, πνεῦμα. Hic interpres non satis habe-

habebit, vim verbi illam ex omni ſerie Paulinae diſputationis eruere, et tali permutatione notionum exprimere, ſed declarabit ſimul modum, quae rem ſpectaverit appellaveritque Apoſtolus, ideoque ſenſum *excellentis* et *perfectae victimae* tenebit.

5. *Quod ullo modo, ſive natura, ſeu cogitatione cum re coniunctum eſt.* Pertinent huc frequentiſſimae illae translationes notionum a phyſicis ad moralia; ut quum ἐπιστροφή, ἀνακαίνωσις, ἀναγέννησις et alia dicuntur de diſceſſione a ſenſibus pravis et vitae ratione perverſa ad ſenſus vitamque, quales doctrina Chriſti poſtulat, aut σκότος de ignoratione, vel imperfecta cognitione, φῶς de meliore et perfectiore ſcientia uſurpantur, &c.

Alter modus tradendi ſenſum loca ſignificationis, continebatur *circumloquutione* eius verbi cuius notio non poteſt alio verbo uno, adaequante eam notionem exprimi. Ponuntur igitur plura verba, quibus modo definiatur, modo deſcribatur, modo diviſione aut partitione explicetur notio verbi eius, quod interpretari aliquis velit. Non opus eſt ſingula haec exemplis illuſtrare. Itaque uno defungemur. Satis notum eſt, in libris ſacris nomen *filiorum Dei* multiplicem habere ſenſum, definiendum ſemper ex cuiusvis loci contextu, et circumloquutione aliqua declarandum. Vt nihil dicam de antiquiſſimis ſcriptoribus hebraeis, apud quos omnes ii בני אלהים audiebant, qui vel ingenii dotibus, vel animi virtutibus, vel ulla aliqua arte excellerent, in primisque *reges* ſic appellabantur, qui duces eſſent in bello, iudices in pace, et ſacrorum antiſtites *divinitus edocti atque conſtituti;* in Novo Teſtamento dicuntur filii Dei, qui *vel* amplectuntur rectam doctri-

doctrinam, *vel* ei se bene agendo accomodant, suntque *Dei vel sapientia similes vel virtute*, ideoque etiam *beatitate* gaudent, quo Deus aeternum fruitur, denique in universum, qui *Christianae religioni addicti*, Dei societatem quasi proprius attingunt. cf. CAR. DAV. JLGEN *de notione tituli filii Dei, Messiae in libris sacris tributi*, Jen. 1795. Sect. I. NOESSELT *de vera vi nominis filiorum Dei*, in Opusculis Fascicul. II. p. 335. seqq.

Hac tali vel permutatione notionum, vel verborum circumloquutione ducitur lector ad sensum eorum, quae scriptor dixit *universe cogitandum.* Interdum enim, ubi scriptor de parte aut specie loquutus est, transfertur id ab interprete ad totum et genus, et vicissim; aut ubi scriptor signum alicuius rei ostenderat, interpres rem ipsam, illo signo notatam tradit. Sic quum Deus, coelitus veniens, cogitatur is, qui illustre opus edat aut omnino agat aliquid, sciat; aut quum in Orientis scriptoribus solem obscuratum, offuscatam lunam sideraque tremefacta interpretamur de auguriis et indiciis temporum calamitosissimorum; tenemus quidem notionem scriptoris, sed *universe.* Pertinent etiam huc allegoriae aut similitudines, quibus sic utimur in legitima interpretatione, ut inde ducamus *universam* sententiam aut propositionem, qua idem illud, quod scriptor similitudine aut allegoria illustrare voluit, summatim et proprie dictum continetur. Sed in toto hoc genere illa est cautio adhibenda, ut sensus indagationi praemittamus *interpretationem historicam*, sine qua nulla esse potest in talibus subtilitas. Recte quidem monuit in acroasibus suis Morus, duci nos ad cognoscendum sensum natura rei cogitanda, ideoque *Deum*, qui dicatur *halare*, *spirare*

per

per nares, cogitandum eſſe iratum aut inſigni cum poteſtate operantem, idemque in Opuſculis p. 89. repetit, non poſſe ea, quae de *Deo ut homine* (ἀνθρωποπαθῶς) dici ſoleant, proprie et ad litteram intelligi. Tamen hiſtoricus interpres, ſi velit officio ſuo ſatis facere, quaeret ante omnia, quamnam ſcriptores, in quorum libris tales loquendi formulae occurrant, eorumque aequales de Deo et eius natura ſententiam foverint; ea reperta, in verſione conſervabit iſtas formulas, ne ſcriptoribus obtrudat ſui ingenii ſuaeque aetatis opiniones, quum ſatis conſtet, non omni tempore eamdem his de rebus ſententiam obtinuiſſe, vel apud eos etiam homines, qui divina gauderent inſtitutione *), tandem de ſenſu iudicabit, qui verbis *univerſe* ſpectatis ſubeſſe videatur. Quo fieri non poteſt, quin ad eas perveniat notiones, quas Morus propoſuit. Pariter, ubi *ſpiritus Jovae inceſſiſſe aliquem* dicitur, ſi ſenſus huius phraſeos univerſe declaretur, deſcriptionem agnoſcemus hominis, inſigni virtute animati et inſolita fortitudine adacti ad audendum aliquid. v. Jud. XIV, 6. Sed cavebit hiſtoricus interpres, ne in hac univerſe ſenſus explicatione acquieſcens, excludat miraculum, quod formula iſta ותצלח רוח אלהים על־ continetur ex mente illorum ſcriptorum, qui rerum eventus e ſuis ingeniis et opinionibus, non e noſtra rerum cauſſarumque cognitione iudicabant. Nam quis neſcit, totum antiquum orbem a Deo

*) Vere omnino immortalis SEMLERUS (*Neuer Verſuch, die gemeinnützige Auslegung und Anwendung des N. T. zu befördern*, Hal. 1786. 8. p. 4.): *Was man anthropopathiſche und gar anthropomorphiſche Vorſtellungen und Redensarten nennt; iſt die erſte Denkungsart, ſo in allen alten Religionsordnungen zum Grunde liegt.*

Deo repetiisse tales conatus, qui virium humanarum modulum superare viderentur?

Denique quod dixi, notionem scriptoris, etsi universe exprimatur, nec retentis singulorum vocabulorum significationibus, tamen sic debere exprimi, ut *plene cogitari* queat, id, quale sit, sponte apparet. Reditque res omnis ad officia interpretis, cuius est efficere, ut lectores cogitemus ea, quae scriptor cogitavit. In priore igitur genere, quum notiones permutantur, operam dabit, ut verbi, quod alteri substituitur, notio quam proxime accedat ad notionem eius verbi, cui substituitur; in posteriore autem, quod circumloquutione continetur, id videbit, ut eodem modo, quo scriptor ipse, verbum ponat, quod notionem illam multis partibus compositam non exhauriat quidem, sed aequet. Verum de his nunc non est locus praecipiendi; praecepitque more suo, hoc est, subtilissime et magna cum perspicuitate, b. Morus in laudata dissertatione, p. 84. 87. E.]

XVI.

Sensus litterae et sensus litteralis.

Progrediemur nunc ad sensus eius, de quo hucusque egimus, varias appellationes in scholis usitatas. Eum igitur, quia ex usu loquendi et verborum contextu intelligitur, consuetudo doctorum *litteralem* appellavit (§. 2). Quo verbo audito, sponte nunc intelligemus *notionem rerum verbis expressarum, quatenus cognoscitur usu loquendi verborumque contextu.* Caussa appellationis inest in eo, quod *littera* apud recentiores nihil aliud significat, quam quod Graeci τὸ γεγραμ-

μένον

μένον vel *τὸ γϱάμμα* dixerunt, Cicero et alii, qui Latine loquuntur, *ſcriptum*, h. e. librum ſcriptum, formulam ſcriptam. Quoniam igitur ſynonyma ſunt *littera* et *ſcriptum*, patet *interpretari ſcriptum* et *interpretari litteram* ſenſu dici eodem. Neque differt ſenſus litteralis apud veteres et bonos ſcriptores a *ſenſu litterae*, quem recenſiores, qui poſt Reformationis tempora de exegeſi ſcripſerunt, a FLACIO, inde usque ad RAMBACHIUM aliter et inepte dicere coeperunt, quum veteres, etiam ERASMUS et aequales, promiſcue uſurparint. Diſtinxerunt autem recentiores illi inter utramque appellationem ſic, ut *ſenſus litterae* eſſet ſignificatio verborum propria, *ſenſus litteralis* vero ſignificatio metaphorica, aut res, quae exprimitur aliqua notione. Dixerunt etiam ſic, *ſenſum litterae* eſſe eum, quem habeant verba a nativa ſua ſignificatione, *ſenſum* vero *litteralem* eſſe vel tropicum, vel realem; rem ipſam, quae ſignificetur. Velut 2. Cor. III, 6. in verbis *τὸ γϱάμμα ἀποκτείνει ſenſus litterae* eſt ſignificatio illorum propria: *littera occidit*; verum *ſenſus litteralis* ineſt in ſignificationibus illis metaphoricis, ſecundum quas *littera* hic metonymice indicat *librum legis ſcriptum*, et verbum *occidere* tropice adhibetur pro: *triſtem reddere*. Vt adeo ſenſus verborum hic prodeat: *Das geſchriebene Geſetz macht traurig*.

Profecto non opus eſt, cumulare vocabula technica, praeſertim, quum omnis iſtius diſtinctionis inanitas ſponte intelligatur ex errore, quem in interpretando admittere olim ſolebant. Nimirum putarunt, qui verbi cauſſa dictum illud (Joh. III, 3.): *ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, οὐ δύναται ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ*, pueriliter exponeret ſic: *niſi quis fuerit regenitus, non poteſt in regnum coelorum venire*, eum tradere ſenſum litterae. Iam vero praeter illam verſionem, quae

litteram premit, quoniam quaeri etiam poteſt *ſenſus litteralis*, explicatio moderanda eſt ſic, ut intelligatur, eum dici tropice *regenitum*, qui fuerit in melius mutatus. Quaeri etiam poteſt *ſenſus realis*, ita, ut deſcribatur natura mutationis in melius. At qui acquieſcit in iſta puerili verſione, neque explicat vim verbi tropicam, is nullo pacto elaborat in eo, ut ſenſum loci reperiat. Tradere interpres debet realem notionem, veluti, quid cogitandum ſit audito verbo *regenerationis*. Qui autem, tradito ſic ſenſu, incipit deinde latius disputare de natura regenerationis, is non amplius interpretis officio fungitur, ſed dogma ipſum et naturam rei explicat. Quamquam olim, introducta ſemel hac ratione, multi efficiebantur huius generis commentarii, qui primum verbotenus verterent, deinde ſenſum litteralem traderent, tum vero de ipſius rei natura longe disputarent. Sed bonum factum, quod haec ratio iam abierit in deſuetudinem, neque hodie cenſeatur *grammatica interpretatio*, niſi quae ipſam verbi vim, illo, qui tractatur, loco comprehenſam ſpectet atque exponat.

XVII.

Senſus grammaticus et hiſtoricus.

Hinc intelligetur facile, cur ſenſus litteralis idem dicatur *grammaticus* (§. 14.), graeca appellatione. Grammaticus enim eſt is, qui explicat libros ſcriptos; eiusque artis maxima et praecipua pars in eo verſatur, ut, quid verbum quodque, tempore quoque, apud ſcriptorem quemque, in diſciplina denique et forma loquendi quaque, ſonuerit, diligenter exquirat.

Solet etiam, ERNESTIO auctore, ille ſenſus litteralis vocari *hiſtoricus*, quoniam, ut caetera, quae ſunt

ſunt in facto, teſtimoniis et auctoritatibus conſtet, ſeu brevius, quoniam ſit res hiſtorica. Sed novi quidem, fuiſſe quosdam, qui ſenſum hunc dicerent *hiſtoricum*, ut FLACIVM in *Clave Scripturae Sacrae*, To. II. p. 72.; verum idem novi, hodie neminem ita dicere. Appellamus potius *hiſtoricum ſenſum* eum, quem habet narratio loci proprie intellecta, opponimusque tropico, morali, allegorico &c. Nota eſt omnibus narratio Moſis (Geneſ. XVI, 15. XXI, 2.) de Agare, ſerva Abrahami, et Sara, eius uxore. Haec igitur quum Paulus (Gal. V, 24.) dicit eſſe ἀλληγορούμενα, h. e. poſſe allegoricum ſenſum habere, discedit ab *hiſtorico*, eique adiungit alium, docendi conſilio. — Deinde vero *hiſtoricum ſenſum* appellamus etiam hunc, quem habuerunt ſcriptoris verba et phraſes certo quodam tempore. Hoc modo formula ſaepe obvia: *poſſidere terram*, ſi *hiſtoricum ſenſum* ſpectes, h. e. ſi hiſtoriam gentis Judaicae conſulas, indicabit: Palaeſtinae certa et ſecura poſſeſſione frui. Pariter ἀκολουθεῖν τῷ Χριςῷ eſt *hiſtorice* in multis Novi Teſtamenti locis: Chriſtum in Palaeſtina circumeuntem comitari eumque docentem audire, ut Apoſtoli eum ſequi et audire ſolebant.

[De hoc *hiſtorico ſenſu*, quem ERNESTIVS plane praeteriit, MORVS hoc uno loco breviter attigit, KEILIVS ſingulari libello commendavit, Sect. II. cap. IX. copioſius exponetur. *E.*]

XVIII.

Non eſt verus ſenſus, niſi grammaticus.

Recte inculcat ERNESTIVS (§. 15.), *nullum eſſe alium verborum ſenſum, niſi grammaticum.* Etenim ſi *ſenſus* eſt notio rei expreſſae dictione integra (XIV), qua

qua tandem alia via diſcere illam notionem poſſum, niſi per linguam et per uſum loquendi? Iam vero per linguam et uſum loquendi ſenſum diſcere, nihil aliud eſt, quam ſenſum grammaticum diſcere. Nihilo tamen ſecius fuerunt, qui duplicem eſſe ſenſum ſtatuerent, unum *grammaticum*, alterum *logicum*. Illi *grammaticum* appellabant ſenſum, quum aliquis ope lexici et libelli grammatici reſolveret vocabula, verteret verbotenus ſingulasque phraſes illuſtraret. Ab hoc discernebant *ſenſum logicum*, quem et *realem* appellabant (XVI). Intelligebant autem id, quum res, ſub verbis latens, ab interprete explicaretur. Cauſſa huius appellationis ineſt in eo, quoniam Logices ope putabant diſci, quomodo comparanda ſint ſubiecta et praedicata, et quomodo verſandum ſit in re ipſa eiusque natura deſcribenda. Sic quando verbum *μετανοεῖν* occurrit de Judaeis, *logicus* ille ſ. *realis ſenſus* poſtulat, ut id intelligamus de ſuſceptione religionis, quam Meſſias antea repudiatus tradiderat. Verum qui hoc modo duplicem locorum ſenſum diſtinguunt, non modo vim ſenſus grammatici non ſatis aſſequuntur: includunt enim finibus anguſtiſſimis: ſed neſciunt etiam, in grammatica interpretatione, ſi digna ſit hoc nomine, inveſtigari debere ſenſum, ſub verbis ſingulis latentem, quem realem appellant.

Omnino autem *ſenſus non variatur*, h. e. non fiunt variae ſenſus ſpecies, *ab uſu aliquo qualicunque alicuius diſciplinae in indagando ſenſu.* Mirus foret, qui diceret, eum qui metaphoras in aliquo loco exponat, tradere ſenſum *rhetoricum*, quia de metaphoris agat Rhetorica; aut qui res ipſas ad Logicae diſciplinam ſubtiliter tractet, tradere ſenſum *logicum.* Foret enim non minus multiplex ſenſus, quam res ipſae ſunt. Nec variatur ſenſus *ab uſu aliquo rerum in eo vel indagando vel applicando.* Poſſum, ut hoc utar, lecto aliquo loco,

co, v. c. de gratia Dei in Chriſto, de eo agere dogmatice, et res in eo traditas ad normam dogmatum exponere: verum hinc non efficitur ſenſus *dogmaticus.* Poſſum aliquo loco grammatice explicato, v. c. qui eſt de conſtantia et fortitudine Chriſtiana, uſum addere et paraeneſin: verum hinc non fit *moralis* ſenſus. Lex interpreti ſcripta redit huc: explica ſenſum grammaticum. Si quae praeterea quaeruntur in verbis, quae diſci poſſunt et debent e diſciplinis, vel dogmatica vel morali, ea non peculiarem aliquem ſenſum gignunt, ſed adduntur grammatico ſenſui efficiuntque uberiorem explicationem illius loci, de cuius ſenſu iam conſtabat. Et fit hoc modo res impeditior et multa ſaepe interpretationi detrimenta afferuntur, ſi notio prius e diſciplina quadam repetatur, quam verba ſint grammatice illuſtrata. Ita per ambages redimus tandem, unde progreſſi fueramus antea, unum tantummodo cuiusvis loci ſenſum eſſe.

Caeterum magna ſpecierum copia, in quas diſpeſcere ſolent ſenſum, reperitur in vulgaribus libellis hermeneuticis, ut in RAMBACHII *inſtitutionibus hermeneuticis*, p. 57. 62. Lectu digniſſimus eſt ſuper his FLACIVS in *Clave Scripturae Sacrae*, To. II. p. 65.

[Add. WOLLII *Introduct. in Hermeneuticam N. F.* p. 122. ſqq. *E.*]

XIX.

Senſus in divinis libris non alio modo, neque quaeritur, neque confirmatur, quam in humanis.

Quoniam methodus et principia explicandi communia ſunt libris divinis et humanis; patet, non alio

modo vel quaeri vel reperiri ſenſum verborum in libris ſacris, quam quo in humanis vel ſolet vel debet (§. 16). Nam divini etiam libri ſcripti ſunt linguis aliquo tempore uſitatis, et ſcripti ſunt eo modo, quo homines ſcribere ſolent et loqui. Cur ergo ad hos libros interpretandos opus ſit plane aliis adminiculis, quam quae adhibemus in humanorum librorum interpretatione?

[V. HERDER *Briefe*, *das Studium der Theol. betreffend*, P. I. p. 1. ſeqq. GELBRICHT comment. qua docetur, *interpretationem librorum divinorum ab interpretatione librorum humanorum nihil differre*, Cizae 1774. 4. J. ASBOTH commentat. *de interpretatione codicis ſacri ad communia omnes libros interpretandi principia revocata*, Gotting. 1791. 4. GUIL. NIC. FREUDENTHEIL comment. *de codice ſacro, more in reliquis antiquitatis libris ſolenni ingenue interpretando; adiectis difficultatibus Novo Teſt. propriis*, Gotting. 1791. 8. *E.*]

Sequitur etiam hinc, rationem ſenſus verborum in libris ſacris indagandi non magis eſſe arbitrariam, quam in caeteris libris, ſed pariter adſtrictam certis e natura linguarum ductis legibus (§. 20). Perperam igitur faciunt, qui librorum divinorum interpretationem, deque ſenſu verborum divinorum iudicium, humano, ut pontificis Romani, iudicio ſubiiciunt. Res ipſa ſatis eſt nota et clarius intelligitur e canone II. Concilii Tridentini, ubi haec ſunt: *Ad coërcenda ingenii petulantia decernit ſynodus, ut nemo ſua prudentia innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae chriſtianae pertinentium, ſcripturam ſacram ad ſuos ſenſus contorqueat, aut contra eum ſenſum, quem tenuit et tenet ſancta mater, Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu et interpretatione ſcripturarum ſacrarum, aut contra unanimem*

mem consensum patrum ipsam scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo umquam tempore in lucem edendae fuerint. Qui contra venerint, per ordinarios declarentur, et poenis a iure statutis puniantur. Iam si quaeratur, quaenam sit illa *sancta mater, Ecclesia*, cui iudicium est de interpretatione librorum divinorum permissum; sunt doctores singuli, qui in explicandis illis versati sunt, et quorum singulae explicationes successu temporis acceperunt auctoritatem ecclesiae. Docetur itaque, ecclesiam sic intelligere locum hunc, quum non sit nisi singulorum virorum sententia, quae subinde transiit ad plures et sic facta est communis ac publica auctoritas. Deinde quomodo defendi tandem potest *unanimis Patrum consensus?* Nullus enim est locus, quem non alii aliter intellexerint, et talis tamque communis omnium consensus ne intelligi quidem potest in tanta hominum multitudine ingeniorumque diversitate. — Hoc est igitur illud: neglectis omnibus principiis, iudicio hominum subiicere interpretationem librorum divinorum, et id pro vero habere, quod multis est visum et pro vero habitum. Ab hac traditione hermeneutica quisquis recedit, is ut *petulans ingenium*, ut *detorquens verba a vero sensu*, describitur et poenae exponitur.

Fortasse contra haec nunc non opus est multa disputare. Legi tamen possunt JOH. GEO. ROSENMÜLLERI programma *de traditione hermeneutica*, Lips. 1786. 4. JOH. ALPHONS. TURRETINUS *de Scripturae Sacrae interpretatione*, c. II. JOH. GERHARDUS in *confessionis catholicae* initio. GERHARD. CHEMNITIUS in *Examine Concilii Tridentini*, p. 4.

XX.

Monetur contra eos, qui secus statuerunt.

Verum certa illa principia interpretandi, quae a Pontificiis spernuntur, etiam ab aliis duplici modo solent negligi. Quod et ipsum ERNESTIUS variis in locis monet, quae rursus in brevem summam collecta, proponam. Negliguntur itaque ab *hominibus fanaticis* (§. 16), qui contemptis studiis linguarum et doctrinae abiectisque omnibus intelligendi principiis, ad vim divinam Spiritus Sancti cuncta referunt, exspectantes scilicet ad interpretandos hos libros *immediatam illuminationem*, quae iis sensum verborum ac rerum tradat. Sed haec pertinent ad dogmaticas potius quam hermeneuticas scholas.

cf. TURRETINUS *de interpretatione Scripturae Sacrae*, p. 47.

Negligunt etiam principia certa interpretandi, *qui in explicando variis hypothesibus utuntur* (§. 17. 18. 21. 22), *et e rebus se interpretari iactant*, hoc est, non e grammaticis rationibus, sed vel e suis decretis et opinionibus ante susceptis, vel e sententiis philosophicis. Ad hypotheses igitur accommodant loca, qui v. c. statuunt, hominem non indigere divino auxilio ad emendandum, non esse Christi divinitatem, converti homines a Deo immediate &c. Hinc omnis incerta evadit et lubrica interpretatio, quum primum a verbis disceditur, et aliunde sensus iudicium, quam a verbis ducitur, rationibusque a rebus ductis plus tribuitur, quam legibus grammaticis. Sed haec vix indigent uberiori illustratione: adeo illius interpretationis falsitas nostris temporibus et agnita a plerisque est, et usu exemplisque repudiata.

[Iis, quos Auctor notavit contemptores principiorum in interpretando, addi fortassis potest cohors illorum Theologorum, qui auctoritatem *librorum symbolicorum* etiam in locis Scripturae explicandis unice ratam habent ac minime deserendam. Saepius monitum est a viris egregiis, perinique facere, qui tali superstitione coërceant auream illam iudicandi libertatem (v. DOEDERLEINII *Observationes morales de LL. SS.* Jen. 1789.), quam ipsi doctrinae illius publicae professores ingenue nobis concessum et vindicatum iverunt. Saepius monitum est (v. MORI *praef. ad epitom. theol. christ.* p. XV.), ab iis, qui Protestantes Lutheranorum coetui addicti sunt, tenendam sane esse publicam *doctrinam*, quam Augustana Confessio nostram esse perhibuit eiusque Apologia confirmavit et uberius edisseruit, sed methodum interpretandi, argumenta singula singulasque locorum Scripturae sacrae interpretationes, si rationes suppetant idoneae, impune deseri posse atque repudiari. — Caeterum hoc loco forsitan aliquis exspectaverit oppugnationem *moralis interpretationis* illius, quam KANTIUS commendavit. Sed iniuste agerem et impudenter, si hanc interpretandi rationem in illius, quam MORUS castigavit, temeritatis et inscientiae quamdam similitudinem adducerem. Itaque de toto illo novae interpretationis genere Sect. II. cap. IX. uberius exponam. *E.*]

PARTIS PRIMAE

SECTIO II.

PRAECEPTIVA.

CAPVT PRIMVM.

DE VSV LOQVENDI REPERIVNDO IN LINGVIS MORTVIS ET SCRIPTORE QVOLIBET VNIVERSE.

I.

Introitus.

In interpretando quum, ut supra docuimus, respiciendum sit in primis ad *usum loquendi;* de huius praxi nunc exponendum est sic, ut appareat, quo modo discantur significationes verborum eorumque sensus. Quoniam autem, ut paullo ante vidimus, communia sunt libris divinis atque humanis principia; primum hoc capite agetur de loquendi usu reperiundo in scriptore quolibet *in genere* atque *universe*, deinde (cap. III.) *speciatim* tractabitur usus loquendi, qui obvius est in Novo Testamento.

II.

Usus loquendi cognoscitur testimoniis.

Quum nos exputare nequeamus aliam caussam, cur verbum aliquod exprimat hanc vel illam notionem, quam

quam quod ita ufitatum fit, quumque adeo res omnis pendeat ab arbitrio hominum fitque ufus loquendi in facto pofitus (v. fupr. Cap. I. §. IV.): in linguis mortuis ufus loquendi cognofcitur e locis ac teftimoniis fcriptorum, qui viva adhuc illa lingua vixerunt eamque fatis cognitam habuerunt (§. I). Quemadmodum enim omnis res in facto pofita difcitur *teftimoniis:* ita nunc etiam, ut in rebus hiftoricis, verfamur fic, ut ea teftimonia cenfeamus fide digna, quae aut a *coaevis* teftibus venerunt, aut certe ab iis, qui res *accurate cognitas atque perfpectas* habuerunt. Et hoc ipfi faepe fic profitemur in legendis explicandisque fcriptoribus profanis, e locis illorum diligenter collectis difci fignificationes verborum, aut, fi illa teftimonia deficiant, e Grammaticorum libris intelligi ufum loquendi.

Ea autem teftimonia funt, vel quae proprie dicuntur et *directa*, vel improprie et *indirecta.* Quam divifionem ERNESTIUS repetiit e libro TURRETINI *de Scripturae Sacrae interpretatione*, ubi pag. 244. id ipfum traditur.

III.

Teftimonia directa et indirecta.

Directa teftimonia funt ea, e quibus ftatim per fe intelligitur, hanc effe verborum fignificationem: *per fe* —, ut aliis nullis opus fit argumentis. Vbi Xenophon graeco alicui vocabulo, aut Cicero latino tribuit aliquam fignificationem; per fe nullo alio opus eft argumento aut teftimonio, quo intelligatur, hanc fuiffe apud Graecos aut Latinos illius verbi vim. Vfurparunt enim verbum fcriptores, quorum illa lingua fuit vernacula.

Indi-

Indirecta teſtimonia ſignificationum et uſus loquendi ſunt ea, e quibus non per ſe, ſed aſſumtis demum aliis argumentis, cognoſcitur, hanc fuiſſe alicuius verbi vim. Exempla talium teſtimoniorum ſunt in etymologia, in analogia linguae et cognatis dialectis.

In etymologia — Vbi verbum aliquod non occurrit, niſi *ſemel*, ibi potiſſimum ex etymologia ſtudemus eruere, quae ſit illius notio. Tamen in aliis fieri ſaepe poteſt, ut, ſi unice etymologiae inhaereamus, neque alia argumenta aſſumamus, adminiculo hoc interpretandi abutamur et ad perverſas delabamur argutasque explicationes. Quando v. c. in litteris ſacris homo dicitur *ἐφθαρμένος*, *corruptus*; poſſum etymologia uti et ſic disputare: *Corruptus* dici nequit, niſi qui fuit antea bonus. Verum hoc non ſufficit ſemper ad declarandam illius verbi notionem; immo reliquus uſus loquendi, qui ſequi non ſolet argumentationes ex etymologia, indicat, a divinis ſcriptoribus ſimpliciter id dici *corruptum*, quod omnino eſt perverſum, non tale, quale eſſe debet, malum. Igitur opus eſt aliis argumentis ad intelligendum, an locum habeant iſtae argutiae etymologicae in locis ſingulis, quibus adhibentur. Similiter poſſum in illo *ἐπιστρέφεσθαι πρὸς τὸν Θεὸν* etymologiam ſpectare, ita, ut id accipiam de eo, qui ad Deum, a quo diſceſſerat, nunc redit. Verum et hae ſunt argutiae. Apparet enim, dici etiam hunc redire ad Deum, qui antea Deum non cognovit, non curavit, non coluit. Hinc *ἐπιστροφὴ* eſt initium ſenſus melioris ac vitae. Quodſi nollemus in talibus aſſumere alia argumenta, ſed etymologiam premeremus: falſas multas et fictas ſignificationes efficeremus.

In analogia linguae erat aliud exemplum teſtimoniorum indirectorum. Saepius in hebraicis incidimus

in

in verba, quae explicanda ſunt per analogiam linguarum orientalium. Verum haec analogia ſaepius non ſufficit, niſi acceſſerint alia argumenta. Quamquam enim linguae fere ſimiles ſunt invicem: tamen non conſpirant ubique in verbis. Itaque conſenſio illarum, quam interpres in uſus ſuos convertit, aliis eſt rationibus confirmanda. Nemo ignorat, quam varie nos ſoleamus *Spiritum* dicere; ſed in legendis libris hebraicis non poteſt ita concludi, quia nos ſic dicamus Spiritum ideo poſſe etiam ibi ſic accipi, propter analogiam linguarum. Multum enim in his differt hebraicae linguae ingenium ab eo, quod noſtrae eſt proprium.

Denique *in cognatione dialectorum* novum reperiebamus teſtimoniorum indirectorum exemplum. Pertinet id potiſſimum ad hebraicam linguam, in qua ſaepenumero verbi alicuius vis oſtenditur ex arabica, ſyriaca &c. Verum in his etiam ſubtilis interpres alia et certiora circumſpiciet argumenta ad ſenſum illum, quem cognatarum dialectorum auxilio invenit, firmandum.

Hoc capite tractabuntur teſtimonia *directa*, ſequens autem caput *indirecta* comprehendet.

IV.

Teſtimonia directa unde ſumantur.

Directa teſtimonia petuntur (§. 2.)

I. *e ſcriptoribus, quibus lingua quaeque tempore quoque vernacula fuit.* Attulimus ſupra illuſtrationis gratia exemplum Xenophontis atque Ciceronis. Inprimis autem *illi ipſi* adhiberi utiliter poſſunt, *quorum in interpretatione verſamur*, ut attendamus, quid adſperſerint

rint interdum ſcriptores ipſi de uſu verborum, quibus uſi ſunt. Ac praeter hos conſulere nos oportet *aequales* ſeu coaetaneos. Ita in epiſtolis Ciceronis ſunt et Coelii, Sulpicii, aliorum epiſtolae, qui quoniam omnes eadem aetate vixerunt, uſum loquendi non minus ſuppeditant interpreti Ciceronis, quam ipſa huius auctoris ſcripta.

II. *e ſcriptoribus, quibus ea lingua vernacula quidem non fuit, ſed qui tamen tempore linguae adhuc vivae vixerunt eamque bene didicerant.* Ita Terentius, qui Afer fuit gente, ſcripſit latine. Is non vernaculam habebat illam linguam, ſed longo tamen uſu cognitam. Marcus Antoninus, Imperator, ſcripſit commentarios ſuos graece. Hic etſi Romanus fuit; tamen eſt idoneus teſtis linguae graecae, quoniam haec ipſius aetate adhuc in uſu erat et vigebat. Pariter nec Joſepho, nec Philoni lingua, qua uſi ſunt, fuit vernacula, ſed didicerant eam grammatice et ſubtiliter: nihilo minus tamen libri eorum continent teſtimonia, ubi quaeſtio de vi verborum graecorum oritur.

III. *e Scholiaſtis et Gloſſographis.*

IV. *e verſionibus, quas lingua adhuc viva a peritis eius factas conſtat.* Vertit Cicero multos Platonicorum dialogorum locos: his locis uti poſſumus ut totidem teſtimoniis de vi verborum Platonicorum. Scripſit enim philoſophus Romanus lingua graeca adhuc viva, eiusque fuit peritus interpres.

De his omnibus nunc ſingulatim praecipiendum eſt.

V.

1. *e ſcriptoribus lingua aliqua vel vernacula ipſis, vel adhuc vigente, utentibus.*

Principatum haud dubie tenent *ſcriptores primi generis*, eorumque teſtimonia maxime ſunt idonea (§. 3). Quis enim dubitet, Xenophontem gravius praebere argumentum, quam Heſychii gloſſarium, Homerum graviorem eſſe uſus loquendi teſtem, quam Euſtathii aut Pſeudodidymi in Homerum ſcholia? Quis dubitet textum Novi Teſtamenti gravius eſſe argumentum verſionibus latinis?

Sed hi ſcriptores teſtimonium edunt fere *tripliciter*, ſeu clarius: ex iis triplici modo diſcere poſſumus modum et uſum loquendi. Primum enim *verba ipſa definiunt*; deinde *exemplis et rebus vim verborum illuſtrant*; denique *locos parallelos adhibent*.

Haec ſingula dum ſingulatim tractamus, verſamur in ipſa praxi.

VI.

Hi a) *definiunt verba.*

Primum igitur *e ſcriptore*, *definiente verba*, diſci vis verborum poteſt. Non quaeruntur autem hic definitiones philoſophicae, quae plane formam logicam habeant, conſtentque genere ac differentia ſpecifica, ſed latius definitiones nominales ſeu grammaticae, quae vim vocabuli in lingua aliqua uſitati ſimpliciter deſcribunt. Veluti quum in *Xenophonteis Memorabb. Socr.* IV, 6. §. 12. Socrates definit, quaenam ſit βασιλεία, quaenam τυραννίς, et quomodo differant, docet-

docetque βασιλείαν esse eius, qui imperet volentibus civibus, τυραννίδα contra eius, qui invitis civibus imperet, sibique arrogaverit regnum: non sunt hae philosophici argumenti definitiones, sed grammatici. Ostendunt enim, quale fuerit Socratis aetate discrimen illorum verborum in vitae quotidianae consuetudine. — Add. ERNESTII *clavem Ciceron.* s. vocab. *mores; religio; superstitiosus; opes; auctoritas:* quorum verborum Cicero ipse definitiones affert. Pariter THEOPHRASTVS is, qui χαρακτῆρας scripsit, in capitis fere cuiusvis initio definitionem tradit characteris, quem adumbraturus est. Non potest igitur planius dici, quid significet v. c. λαλία, ἀλαζονεία, αὐθάδεια &c. quam si brevibus illis Theophrasti definitionibus utamur. His adiiciam locum ARISTOTELIS *Rhetoric.* lib. II, cap. 12 — 17. (in GESNERI *Chrestomathia graeca* p. 171.), in quo et ipso magna copia verborum linguae graecae definitur.

Eiusmodi definitiones, e quibus significatio verborum disci potest, etiam in libris Novi Testamenti reperiuntur, quamquam perpaucae. Paulus in epist. ad Hebraeos V, 14. se dicit scribere τελείοις. Ibi qui sunt τέλειοι, definiuntur sic: οἱ διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἔχοντες πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ. Quae propemodum logica est definitio: *qui habent sensus per habitum exercitatos ad discernendum bonum et malum.* Igitur in toto illo loco Paulino cogor capere verbum τέλειοι sic, ut scriptor ipse definivit. 1. Joh. III, 4. ἡ ἁμαρτία dicitur esse ἡ ἀνομία, ergo non *peccatum*, quod latine dicitur (*Versehen und Irrthum*), sed quicquid est divinae legi contrarium. Si nesciremus, quid esset, Pauli potissimum stilo, τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, posset id disci ex Ephes. 1, 23., ubi definitur per *ecclesiam* sic: ἐκκλησία, ἥτις ἐστὶ τὸ σῶμα

σῶμα αὐτοῦ, τὸ πλήρωμα τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου. Hebr. XI, 1. eſt definitio *πίστεως*, quae eſſe dicitur *ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων.*

VII.

b) *rebus et exemplis illuſtrant.*

Porro etiam *e rebus et exemplis* diſci poteſt, qui ſit uſus loquendi, quae verborum vis. Nimirum ſcriptor interdum nominat exempla eius verbi, cuius ſignificatum quaero. Sic Theophraſtus in ſingulis characterum deſcriptionibus recitat exempla multa, e quibus appareat, quomodo v. c. agere ſoleat homo *αὐθάδης*, *ſuperbe moroſus*, quomodo loqui et gerere ſe erga alios ſoleat homo *ἄγροικος*. Ex his exemplis diſci facillime poteſt verborum, quae adhibuit ad deſignandos characteras, ſignificatio. — Ad explicandum vocabulum *δικαιοσύνης*, quod ſaepe occurrit in Novo Teſtamento, videndum in locis ſingulis erit, quae exempla *iuſtificationis* addantur: num ſint praemia aliis tributa, an ſit favor divinus, an ſit abſolutio a peccatis. Quid ſunt *ἔργα νόμου*? Si exempla oſtendunt, *νόμον* uſurpari de praeſcriptis ritibus; ſi exempla *ἔργων* ſunt in rituum illorum obſervatione: planum eſt, quae *ἔργα νόμου* intelligantur. Si *ἔργων* exempla ſunt lenitas, amor, iuſtitia, liberalitas, manſuetudo: exempla rurſus hic indicant, quid ſit, audito illo vocabulo, cogitandum. Itaque haec res latiſſime patet, et quo rarius in Novo Teſtamento definitiones verborum occurrunt: eo crebrius per res et exempla addita declaratur, qua maxime ſignificatione verbum aliquod capiendum ſit. Addam alia quaedam exempla. Paulus ponit interdum nomen hoc: *στοιχεῖα τοῦ κόσμου*,

 dicit-

dicitque v. c. vivere ſecundum *elementa* *) mundi, ſervire elementis mundi, iis mori aut renunciare. Quid ſibi velit ſcriptor, diſcitur ibi, ubi exempla elementorum mundi tractat. Id fit Galat. IV, 9. ubi hos, qui *elementis mundi* ſerviant, ſcribit obſervare et diſcernere dies, menſes, annos. Patet hinc, ϛοιχεῖα τοῦ κόσμου indicare praecepta de obſervandis rebus externis. De iisdem mundi elementis agitur Coloſſ. II, 20., moneturque, valedicendum iis eſſe. Id explicat Paulus per exempla: valedicendum eſſe eiusmodi praeceptis: ne edas, ne bibas, ne guſtes. Ergo ſignificantur regulae de obſervandis diſcriminibus ciborum rerumque purarum atque impurarum. Ex his quis non videt, omnino intelligi Moſaicam inſtitutionem? — Vbi dicuntur ἔργα τῆς σαρκὸς, ibi deinde recitantur exempla talia: furtum, adulterium &c., ut appareat, ſermonem eſſe de malefactis ſeu malefictis, quae *opera carnis* appellantur.

Verum ad hoc adminiculum, *per exempla* diſcendi uſum loquendi, requiritur quaedam *facultas*, *in ſingularibus videndi notiones generum et formarum* (§. 4). Formae ſunt, quae in ſcholis *ſpecies* dicuntur. Ergo in ſingulis locis diligenter eſt attendendum, utrum genus, an ſpecies, et quae ſpecies intelligenda ſit. v. c. Verba χάρις, σωτηρία, ἀπώλεια multas comprehendunt ſpecies. Iam opus eſt facultate aliqua et exercitatione, ut

*) [Rectius videtur NOESSELTVS (*Opuſculor. faſcic. II.* p. 218.) ϛοιχεῖα accepiſſe de *ſignis*, ſenſum moventibus caerimoniis, externo atque *adumbrato* Dei cultu, qualis deſcribitur Galat. IV, 10. et Col. II, 16. ac 21. De vi verbi cfr. SALMASIVS in libro de *transſubſtantiatione* p. 55. Sic et in V. T., quod Noeſſeltus ibi non attigit, ſacrae Judaeorum *caerimoniae* interdum nomine אוֹת, inſigniuntur; velut ſabbathum Exod. XXXI, 13. circumciſio Pſ. XVII, 11. E.]

ut intelligam, ſitne ſpecies, an genus intelligendum. Χάρις, *beneficentia;* eſtne hic venia peccati, an amor Dei erga hominem, an auxilium divinum in progreſſu virtutis? Σωτηρία, *liberatio a malo*, eſtne hic aeterna felicitas, an liberatio ab inſcitia? Nam eae omnes ſunt horum verborum ſignificationes. Facultas igitur interpretandi aliqua neceſſario pertinet ad animadvertendam ſeriem orationis, quae una oſtendit, quo ſenſu nunc dicatur χάρις et σωτηρία. — Ἀπολυτροῦν, quod in univerſum eſt *redimere* ſ. *malo aliquo liberare*, multas habet in Scriptura ſacra ſignificationes. Dicitur enim de liberatione a poena, a peccato, a miſeriis &c. Iam in ſingulis locis, ubi ὁ ἀπολυτρώσας occurrit, videndum, utrum genus intelligatur: *Gott*, *der Retter;* an ſpecies, et quae ſpecies; an ſit Deus liberans a morbo, an liberans a peccati poena, an liberans a miſeria aeterna. Sic tandem oritur illa facultas diſcernendi, quae *exercitationem aliquam deſiderat.* Eaque exercitatio hic tanto magis eſt neceſſaria, ut dediſcamus familiares nobis a pueritia notiones, ne illas inepte in quemlibet locum importemus. Aſſueti ſumus a puero coniungendis notionibus talibus: σωτηρία, *Seligkeit* — quaſi id ad felicitatem aeternam ſemper referatur, ἀπώλεια, *Verderben* — quaſi id ad aeternam miſeriam ſemper referatur. Sed non ubivis verba illa ſic accipienda ſunt. Similiter ideas μετάνοια καὶ πίστις, *Reue und Glauben,* diſcimus a puero; ſed multis in locis illae non ſic, uti didicimus, accipiendae ſunt. Significationes igitur ut cuique loco congruas adhibeamus, ſentire nos exercitatio illa iubebit; quae eadem poſtulat, ut unus idemque ſcriptor aliquoties perlegatur, ut adeo ſic aſſuefiat animus obſervationi, illum aliter atque aliter verbum aliquod adhibere, et, quid ſibi velit, ſemper ſingulis eſſe in locis definiendum. Luculentum huius rei ad imitationem vocandae exem-

plum praebet disputatio GOTTL. CHRIST. STORRII, Tubingensis Theologi, *de sensu vocabuli δίκαιος*, Tubing. 1781.

Praeter hanc autem exercitationem, quam Ernestius postulat, etiam opus est *Logices scientia.* Vnde enim statuere possumus, quae species *χάριτος*, *σωτηρίας*, *μετανοίας*, aliquo loco obtineat, nisi Dialectices ope diligenter attendamus ad nexum orationis, ad scopum et consilium scribentis, ad comparationem subiectorum et praedicatorum &c., e quibus omnis significatio verborum pendet.

VIII.

c) *locis similibus utuntur.*

Ad reperiendum loquendi usum indagandamque sententiam adhibenda denique est *locorum similium* seu *parallelorum comparatio.* Cuius quidem adminiculi adhibendi multiplex cautio est, tum in ipsis locis parallelis accurate iudicandis, tum inter se ad reperiendam obscurioris loci sententiam comparandis. Igitur de eo accuratius agamus.

VIIII.

Parallelismi definitio ac partitio.

Verbum *parallelismi* e disciplina mathematica, quae lineas parallelas tractat, translatum in grammaticam est. Indicat autem, duas res sibi invicem respondere, similes sibi esse. Latine igitur *parallelismum*, quem hic dicimus, exprimas per *similitudinem locorum.* Hinc sponte fluit definitio *parallelismi grammatici* haec, ut sit similitudo locorum, ob quam comparari possunt interpretandi caussa. In qua definitione, patet, esse

1. ver-

1. versionem vocabuli (*similitudo locorum*), 2. differentiam specificam (*comparari possunt*), 3. scopum (*interpretandi caussa*).

Si parallelismus est *comparatio locorum*, uti docuimus; in hac notione reperiemus fundamentum dividendi. Possunt enim loca esse similia 1. *quoad verba*, 2. *quoad res*. Hinc oritur duplex parallelismi species: *verbalis* et *realis*. De utroque parallelismo singulatim exponemus.

X.

Parallelismus verbalis ubi consulendus sit.

Supervacuum foret, ad singulas singulorum verborum explicationes velle locos parallelos conquirere. Quid enim attinet, evolvendis locis similibus docere, v. c. ἀσπάζεσθαι esse *salutare*, de quo nemo umquam dubitavit? Igitur ubi certus est loquendi usus et certa verbi significatio; ibi inane est uti parallelis locis, quibus saepe fit, ut omnis explicatio abeat in meram concordantiae compilationem. Opus itaque est ante omnia, ut paullo diligentius quaeramus, ubi et quando operae pretium sit, consulere locos parallelos. Id autem maxime necessarium arbitramur

I. *in hebraizantibus Novi Testamenti verbis*, iis praesertim, quae non tam in hebraico textu simile quid habent, quam e versione Alexandrina petita sunt. In talibus igitur, quae non habent graecam significationem, intelligi fortassis e loco parallelo potest, quid vocabulum hebraizans sibi velit. Fit enim interdum, ut verbum, ex hebraico sermone aut Alexandrina versione ductum, in aliis locis exprimatur verbo bene

 graeco.

graeco. Saepe apparuiſſe nobis dicitur ἡ χάρις Θεοῦ, τὸ ἔλεος Θεοῦ, ἡ εὐδοκία Θεοῦ. Hoc totum pendet ex hebraica voce חֶסֶד, et exprimit *benevolentiam.* Sed locus parallelus reperitur Tit. III, 4. ubi ἐπιφανῆναι dicitur ἡ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία Θεοῦ, *amor et benignitas Dei erga nos.* Quae verba ſunt bene graeca. Saepe legimus, quum res mirabilis contigit: ἐφοβοῦντο πάντες, etiam ubi accidit res benefica. Ductum hoc ex hebraicis יָרֵא 1. Reg. III, 28. פָּחַד Jer. XXXIII, 9. Et alibi dicuntur omnes θαυμάσαι, θαμβῆσαι, *admirabundi obſtupuiſſe.* Hoc igitur erit ipſum illud ἐφοβοῦντο, graeco ſermone expreſſum. — Deus dicitur interdum *tremendus*, *horrendus*, ubi de ſumma eius poteſtate exponitur: ſed idem alibi dicitur *venerandus*, *auguſtus.* Qui parallelismus eſt.

II. *in vocabulis religioni propriis et quaſi technicis.* Qualia ſunt πίστις, μετάνοια, καινὴ κτίσις, μυστήριον. Subſiſtamus aliquantisper in ultimo verbo, quod ſaepe occurrit in Epiſtolis N. T. Solemus autem ſic appellare totam doctrinam de conſilio divino ſalutis a nobis impetrandae. An vero ita dicitur doctrina, quia non poteſt comprehendi a nobis? Nullo modo: quorſum enim traderetur? et ſuntne haec adeo incomprehenſibilia, quae fundamenti loco in noſtra religione traduntur de ſingulari Dei erga homines amore ac de mutui amoris officio? Quid ergo ſit μυστήριον, apparet ex parallelismo. Rom. XVI, 24. Paulus nominat τὸ εὐαγγέλιον καὶ τὸ κήρυγμα Ἰησοῦ Χριστοῦ, κατὰ ἀποκάλυψιν μυστηρίου χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου, φανερωθέντος δὲ νῦν — *doctrinam quondam ignotam,* ſilentio tectam, quae nunc innotuerit et patefacta ſit. Deinde Coloſſ. I, 27. ignota haec doctrina (τὸ ἀποκεκρυμμένον μυστήριον ἀπὸ τῶν αἰώνων καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν) dicitur fuiſſe ἐν τοῖς ἔθνεσιν. Sane enim gentes

gentes ignorabant hanc doctrinam, usque dum per doctores quaqua verſum miſſos iis innoteſceret. Denique Epheſ. III, 4. 5. eadem fere traduntur: *τὸ μυστήριον τοῦ Χριστοῦ, ὃ ἐν ἑτέραις γενεαῖς οὐκ ἐγνωρίσθη — ὡς νῦν ἀπεκαλύφθη τοῖς ἁγίοις.* Dicitque Paulus *τὰ ἔθνη* quoque nunc fieri *συμμέτοχα τῆς ἐπαγγελίας.* His omnibus collectis, quis non videt, *μυστήριον* dici doctrinam de ſalutis nobis tribuendae conſilio, hactenus incognitam, potiſſimum paganis hominibus?

III. Conſulendus eſt parallelismus *in verbis rarioribus.* Quod per ſe patet.

[Verbum *ἐντυγχάνειν*, de Chriſto uſurpatum, non occurrit niſi duobus in locis N. T. (Rom. VIII, 34. Hebr. VII, 25.) Quid ſignificet, omni tempore quaeſitum eſt. At in ep. ad Hebraeos permutatur cum verbo *σώζειν.* Ponit enim Apoſtolus hoc, Chriſtum eſſe aeternum ſacerdotem, quia in aeternum vivat. Inde concludit, Chriſtum propterea in aeternum eſſe poſſe ſalutiferum (*δυνάμενον σώζειν*), et evergetam iis, qui Deum per ipſum adeant. Repetit hoc ſic: nam ideo vivit in aeternum, ut horum hominum cauſſa medium ſe interponat, eos tueatur, *εἰς τὸ ἐντυγχάνειν.* Tum etiam ille Chriſtus, *ὁ ὢν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ καὶ ἐντυγχάνων*, et *πάντοτε ζῶν εἰς τὸ ἐντυγχάνειν*, alibi (Hebr. V, 9.) univerſa propoſitione dicitur *τελειωθεὶς αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου γεγονέναι*, h. e. iam conſtitutus Dominus etiamnum eſſe cauſſa et dator ſalutis aeternae. Haec nonne ſunt parallela? — Sumpſi hoc exemplum ex MORI *Diſſertatt. theol. et philol.* Vol. I. p. 298. ubi eſt egregia et invidendae ſubtilitatis plena disputatio de notione vocabuli *ἐντυγχάνειν.* E.]

IV. Consulendus etiam est *in verbis ambiguis.* Tum enim, quum verba occurrunt, quorum in aliquo loco significatio liquido perspici non potest, propter ambiguitatem aliquam, cuius tollendae nullam dat ansam res et contextus, (§. 5.), adiuvari interpres vult et admoneri. Quaerit itaque, an verba illa etiam alibi occurrant et ibi facilius intelligi possint.

XI.

Parallelismus verbalis ubi reperiatur.

Postquam igitur intelleximus, quibusnam in locis operae pretium sit, parallelismum consulere: dispiciendum est de variis illius classibus. Habet autem locum parallelismus, de quo loquimur, verbalis

I. iis in locis, *ubi occurrit verbum idem, sed cum explicatione.* Idem enim verbum pluries occurrere, quid attinet, nisi eo in loco, quem tracto, interpretandi caussa aliquid explicationis accedat? Apponam quaedam exempla. Christus in Novo Testamento saepius appellatur *lapis offensionis.* Quaerendus igitur interpreti locus est, ubi *lapidi* illi *offensionis* additur aliquid explicationis, quod adminiculum ei praestet ad sensum reperiendum. Est talis locus 1. Petr. II, 8., ubi hoc additur: qui offendantur lapide, eos *ἀπειθεῖν τῷ λόγῳ*, repudiare doctrinam Christi, ei se opponere. Habeo hic modum, quo quis offenditur, nempe, dum obsistit doctrinae Christi. Potest hinc concludi, Christum dici eatenus *lapidem offensionis*, quatenus aliquis aut dubitet, aut non velit doctrinam eius; admittere. Accedit, quod sermo est de Judaeis, quos ipsa historia arguit repudiasse Christum eiusque doctrinam. — Ps. LXXIII, 28. occurrunt verba haec: *ap-*

pro-

propinquatio (קִרְבַת) *Jovae mihi bonum est.* Appropinquatio Dei — estne quod Deus appropinquat ad me, an quod ego ad Deum appropinquo? Dubitationem hanc solvit locus parallelus, qui est v. 23., ubi dicitur: *ego semper tecum versor.* Hoc est in genere idem, sed ex perspicua, quae additur, explicatione cognoscitur, altero in loco *appropinquationem Dei* non esse, quod Deus ad me, sed quod ego ad Deum appropinquo, seu, quod ego deditus illi plane sum. Adde, quod v. 27. apponuntur *longinqui* seu *remoti a Deo*, iique sic describuntur: *qui deserunt Deum.* Est ergo et hoc exemplum parallelismi verbalis, sensusque loci erit hic: *quod ego sum Deo deditissimus, id est mihi summum bonum.*

II. Loci paralleli quoque sunt, *in quibus coniugata verba occurrunt, simili intexta orationi* (contextui), *cum attributis iis, ex quibus definiri sententia potest* (§. 5).

Coniugata verba sunt per etymologiam *coniuncta.* Dicuntur autem sic in arte grammatica *derivata cum primitivis.* Sic v. c. saepe occurrit verbum καλεῖν, *alicui felicitatem demonstrare et promittere;* sed occurrunt etiam eodem sensu derivata κλητὸς, κλῆσις; pariter ab ἐκλέγειν occurrunt ἐκλεκτὸς, ἔκλεξις. — 2. Cor. I, 21. occurrit: Χρίσας ἡμᾶς Θεὸς, nihilque additur, e quo appareat, quid hoc sit, *Deum nos unxisse.* Habemus igitur verbum ambiguum, religioni proprium idemque hebraizans. Verum 1. Joh. II, 20. seq. legitur *derivatum* χρίσμα *cum attributis.* Nempe *unctio* ibi dicitur nos edocere, nobis vera tradere. Quapropter *unctio* debet esse institutio aliqua, postulantibus eam significationem praedicatis. Ita in collatione loci alterius addita attributa adiuvant intellectum verbi per se ambigui. — Saepe occurrit verbum οἰκο-

 δομεῖν;

δομεῖν; saepius derivata οἰκοδόμησις, ἐποικοδομεῖν. E consensu parallelorum locorum intelligitur, exprimi hoc: *utilem esse et prodesse aliis ad scientiam et pietatem.* Haec notio universa tenenda erit, quaecunque tandem verbi forma et quocunque modo occurrat.

III. Sunt porro loci paralleli, *quum verbum aliquod seu phrasis repetitur cum adiunctione synonymi* (§. 5.), *sed ita, ut altero in loco planior sit phrasis.*

2. Cor. IV, 10. dicit Paulus, *se in suo corpore circumferre Jesu Christi trucidationem.* Hoc non est illico planum. Sed v. 11. repetit hoc (est ergo locus parallelus), repetitque per phrasin planiorem: *ego, vivens in his terris, quotidie propter Christum in mortis periculum coniicior.* Ita locus hic parallelus satis perspicuus ducit ad sensum hunc constituendum: corpori meo quotidie imminet periculum, ne trucider, ut Christus trucidatus est.

IV. Sunt etiam loci paralleli, *quum ponitur in altero loco verbum idem, adiuncta perspicua* 'ἐξεϱγασίᾳ (§. 5).

Dicimus autem in grammaticis et rhetoricis 'ἐξεϱγασίαν habitum orationis eum, eam formam, quum coniunguntur verba *in universum* eamdem rem exprimentia, phrases, *in universum* idem significantes. In his phrasibus coniunctis erit fortassis una et altera planior, unde in parallelo loco, quod obscurius est, definiri queat. Plena sunt omnia huius formae exemplis, maxime in Veteri Testamento: ut Ps. I, 1. beatus ille, qui non sodalis impiorum est — qui studiosus est legis s. doctrinae divinae. Matth. I, 20. de Maria est: id quod ex te nascetur, est e Spiritu sancto. Parallelus

lus eſt locus Luc. I, 35. ubi verbis obſcurioribus: πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπί σε, adduntur haec magis perſpicua: δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. Quum igitur in univerſum eadem res duobus hic modis exprimatur: ἅγιον πνεῦμα eſt δύναμις ὑψίστου, *omnis vis et potentia divina;* et quum dicatur naſci puer ex ſpiritu ſancto, intelligitur vis divina, qua efficiebatur, ut puer naſceretur. — Saepe de ἐξουσίᾳ τοῦ Σατανᾶ dicitur, homines ex illa educi et exire. Id ipſum Actor. XXVI, 18. occurriit. Sed additur ibi exergaſia: duci homines *e tenebris ad lucem* et e poteſtate Satanae ad Deum. Jam eam phraſin: *a tenebris ad lucem redire*, quis neſcit ſignificare: ab inſcitia ad ſcientiam, a miſeria ad felicitatem redire? Quis igitur non inde concludat, ἐξουσίᾳ τοῦ Σατανᾶ educi eum, qui e neſcio fiat ſciens, e miſero felix?

V. Iis, quae ERNESTIO praeeunte, hactenus pertractavimus, non dubito etiam illud addere, quod idem auctor §. 6. attigit, reperiri locos parallelos, *quum poſt parentheſin intextam praecedens ſententia cum variatione aliqua verborum repetatur.*

Fit enim hoc nonnunquam, ut ſcriptor adhibeat digreſſionem aliquam, tum ad rem redeat, idque, unde digreſſus fuerat, repetat aliis et pluribus verbis. Hinc facile apparebit, quid ſibi voluerit ante digreſſionem. 1. Cor. VII, 1. traduntur haec: *non eſſe* καλὸν, *inire matrimonium.* Hoc καλὸν quale ſit, ſane quaeri poteſt; num morali ſenſu: *bonum et licitum,* an populari: *utile*, *honeſtum*, *conveniens.* Sequitur poſt longam digreſſionem v. 26. non eſſe καλὸν, adſciſcere ſibi uxorem, διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, *propter calamitatem et miſeriam.* Quis non videt, addi hoc: *nunc quidem* non eſſe utile, *nunc* non poſſe ſuaderi

pro-

propter impendentes calamitates, in quibus quis ſolus feliciter fortaſſe vivere poſſit, matrimonio iunctus non poſſit?

VI. Addo etiam hoc, locos eſſe parallelos, *ubi idem verbum alibi occurrat cum oppoſitione.*

Etenim ſi in uno loco, ubi nulla eſt oppoſitio, fuerit fortaſſe ambiguum, in altero definietur ex oppoſito. Ita Rom. VI, 23. traditur, *θάνατον eſſe mercedem peccati, ſed felicitatem aeternam eſſe beneficium divinum.* Opponuntur itaque ſibi θάνατος et ζωὴ αἰώνιος. Ergo θάνατος nunc non eſt mors illa phyſica, ſed omnis omnino miſeria, atque adeo futura et ſempiterna. Nam qua ex parte ſpectatur ζωὴ, eadem ex parte θάνατος, et qua ex parte ζωὴ appellatur αἰώνιος, eadem ex parte θάνατος intelligendus eſt αἰώνιος, futura miſeria. Tali oppoſitione admonitus, facile quis definiet locum Jacob. I, 15. in quo peccatum dicitur progignere θάνατον. Quis enim dubitet, etiam hoc in loco intelligi in univerſum miſeriam, quae ſequatur peccatum? Quis dubitet, finem et eventum peccati eſſe quam latiſſime miſeriam huius futuraeque vitae?

XII.

Parallelismi realis notio et variae ſpecies.

Parallelismus rerum reperitur ibi, *ubi eadem res et ſententia aliis magis perſpicuis aut plenioribus et pluribus verbis exprimitur, et de quorum vi ambigi non poteſt* (§. 6). Videndum igitur eſt, an altero in loco *plenius* et *magis perſpicue* eadem res dicatur *citraque omnem ambiguitatem.* Nam conferre locos duos, eadem de re agentes, quid proderit, niſi in altero ſit plenius, certius et dilucidius dictum, ut eo comparando diſcas aliquid

quid ad illa, quae obſcura ſunt, explicanda? Poſſunt et huc illuſtrandi cauſſa revocari, quae ſupra (X) diximus de notione vocabuli μυςήϱιον. Colligebamus loca talia, e quibus notio appareret plenius, dilucidius et citra ambiguitatem. *Plenius* — dicebatur enim aliquo in loco doctrina illa incognita ʼεν τοῖς ἔϑνεσι fuiſſe; *dilucidius* — reperiebamus enim notionem oppoſitam, *doctrinam nunc pateſieri ; citra ambiguitatem* — erant enim haec adeo propria verba.

Sunt autem parallelismi huius claſſes duae: 1. parallelismus hiſtoricus, 2. parallelismus didacticus.

XIII.

Parallelismus rerum hiſtoricus.

Hiſtoricus rerum parallelismus ibi eſt, ubi eadem res *narratur*. Magnus igitur et perpetuus eius uſus eſt in quatuor Evangeliſtis, in quibus ut magnam partem eaedem res traduntur: ita plenius interdum et certius illorum narrationes intelliguntur, ubi mutuo comparantur tum, quum alter pluribus utitur, alter brevius ſua rem narratione attingit. Eodem modo ſibi reſpondent atque ex ſe invicem illuſtrandi ſunt Veteris Teſtamenti libri hiſtorici, qui ſunt de Regibus, Chronicorum et Samuelis. In Evangeliſtis autem hinc pendet harmonia narrationum, de qua alibi dicetur.

[Atque in his quidem, qui ad inſtitutum noſtrum propius pertinent, talis comparatio tanto eſt diligentius inſtituenda, ſi verum eſt, vel quod EICHHORNIVS nuper admodum probabile fecit, in Palaeſtina mature exſtitiſſe breviores commentarios de Jeſu vita, hebraice ſcriptos et ſenſim auctos, e quibus,

bus, tamquam e communi fonte Evangeliſtae ſua, ſuo quisque modo, hauſerint (*v. Bibl. d. bibl. Litteratur*, V. p. 761. ſeqq. et 937. ſeqq. add. H. G. HALFELD commentat. *de origine quatuor Evangeliorum et de eorum canonica auctoritate*, Gotting. 1794. 4.), vel, quod aliis placuit, unum fuiſſe ab altero lectum, in compendium redactum, mutatum, auctum denique (V. GRIESBACHII Comment. *qua Marci Evangelium totum e Matthaei et Lucae commentariis decerptum eſſe monſtratur*, quae inſerta eſt *commentatt. theologicis a Veltbuſenio* aliisque editis, Vol. I, p. 360.) E.]

XIV.

Parallelismus rerum didacticus.

Didacticus rerum parallelismus ibi eſt, ubi in utroque loco eadem res *docetur*. Ac multum ſane prodeſt hic parallelismus ad conſtituenda dogmata et notiones dogmaticas. Quid enim agimus, ubi notiones iudicii divini, renovationis, illuminationis &c. conſtituimus, niſi ut locos, eadem de re agentes, comparemus et ſic e plenioribus et brevioribus, e tropicis et propriis, e definitis et indefinitis tandem concludamus, qui ſit Deus iudex, quae ſit illuminatio &c.? Ita omnis tandem diſciplina dogmatica redit ad exercitationem aliquam in hoc parallelismo. Exempla huius rei ſunt in omnibus iis canticis, quae bis in Pſalmorum libro occurrunt, ut XIV. coll. LIII. Interdum etiam aliquod carmen Davidis, quod eſt in Pſalmis, rurſus libris hiſtoricis inſertum legitur, ut Pſ. XCVI. coll. 1. Chron. XVI, 8. ſeqq. Eadem res docetur in epiſtola Judae et 2. Petr. II., iisdem fere verbis. — Pariter haud raro idem dogma uberius exponitur, quod erat alibi brevius,

vius, v. c. de ſublata per Chriſti religionem Moſis oeconomia. Quales loci ſunt quoad res paralleli, quamquam verbis diverſi; et colligi inde ambitus dogmatis poteſt. Contra vero, ubi eadem res ſeu doctrina traditur brevius, colligendi ſunt varii loci ex iisque dogma conſtituendum, v. c. de futura multarum nationum felicitate, coniuncta cum Judaicae religionis ſublatione, aut de converſione gentium ad religionem Chriſtianam.

Vſus inde promanans ut cognoſcatur, comparemus breviter Gal. VI, 15. cum 1. Cor. VII, 19. In primo loco haec leguntur. In Jeſu Chriſto non valet circumciſio aut praeputium, *ſed nova creatura.* Iam v. 6. eadem res breviter traditur ſic: In Jeſu Chriſto nil valet circumciſio, nec praeputium, *ſed fides per amorem efficax.* Ergo per illam καινὴν κτίσιν exprimitur fides per amorem efficax, (*andere Einſichten, andere Ueberzeugungen, ein anderes Leben.*) Denique 1. Cor. VII, 19. hoc ita traditur: nil valet circumciſio, nil valet praeputium, *ſed obſervatio praeceptorum Dei.* Quo ex loco, qui eamdem rem breviter exponit, rurſus diſcitur, *novam creaturam* eſſe vitam ſanctiorem.

Saepe etiam notio aliqua explicatur ſic, ut ipſa res intelligi poſſit. Non poſſum non hic iterum adhibere exemplum 2. Cor. I, 21., quod ſupra in aliam partem verſavimus. Dicitur ibi Deus *nos unxiſſe.* Parallelus locus, ubi explicatur verbum ita, ut res queat cognoſci, eſt 1. Joh. II, 20. ubi *uncti a Deo* dicimur, additis his: *ut ſciamus omnia.* Et v. 27. idem ſic exprimitur: *unctio nos edocet in omnibus.* Quodſi hic eſt effectus unctionis, ut ſciamus omnia; erit *unctio* omnino id, quod affert ſcientiam, ideoque *inſtitutio.* Qualis enim effectus, talis cauſſa. Aut ſi praedicatum unctio-

unctionis eſt: edocet nos; ſubiectum erit ipſa inſtitutio. Legitur praeterea ibidem v. 27. *unctio in nobis manet*, pro quo v. 24. occurrit: *id quod didicimus, in nobis manet.* Patet et ſic intelligendam eſſe *ſciēntiam acceptam*, quae debeatur unctioni ſ. inſtitutioni.

[Cfr. GUIL. THEOD. CAR. ALBERTI Diſſ. philol. hermeneut. *de locis ſacrae ſcripturae parallelis*, Sect. I — III. Helmſt. 1770. 4. E.]

XV.

Parallelismus membrorum deſcribitur.

Reſtat iam, ut excurſione quaedam adiiciamus de parallelismo membrorum, quem ERNESTIUS plane praeteriit, etſi magni eſt in interpretatione Scripturae ſacrae momenti. Eſt autem *parallelismus membrorum* ſeries continuata aliquot commatum, coniunctorum invicem eamdemque rem variis ex partibus ita ſpectantium, ut verba verbis, res rebus reſpondeant.

Illuſtrabimus hanc definitionem aliquot exemplis: Luc. XI, 27. quum aliqua mulier Chriſtum audiiſſet ibi differentem, in hanc erumpit vocem: *o beatum uterum, qui te geſtavit, et ubera, quae te lactarunt!* Eſſe hic *ſeriem continuatam aliquot commatum invicem coniunctorum*, per ſe patet: ſpectant autem haec ambo commata *rem eamdem variis ex partibus. Rem eamdem* — o beatam matrem tuam! *Variis ex partibus* — quatenus mater eum peperit, et quatenus eum lactavit. Sed ſpectatur ita res, *ut verba verbis reſpondeant* (id quod vel aurium iudicio conſtat), *resque reſpondeant rebus:* nam et geſtare in utero matris eſt, et lactare matris eſt erga liberos officium. — Pariter Luc. I, 52. ſeq.

feq. eſt *continuata ſeries aliquot commatum:* καθεῖλε δυνάστας ἀπὸ θρόνων, καὶ ὕψωσε ταπεινούς. πεινῶντας ἐνέπλησεν ἀγαθῶν, καὶ πλουτοῦντας ἐξαπέστειλε κενούς. Exprimitur his commatibus *res eadem*, ſcilicet haec: Deus mutat hominum fata. Haec eadem res *variis ex partibus ſpectatur;* fata triſtia Deus mutat in laeta, fata laeta mutat in triſtia. *Verba verbis reſpondent:* potentes — humiles; deiecit — exaltavit; pauperes — divites; abundantes reddidit — fecit egenos. *Res* denique *rebus reſpondent*, per oppoſitionem ſatis luculentam: illi deprimuntur, hi evehuntur. — Vltimus, quem tractare conſtitui, locus eſt apud Jeſaiam XL, 4. Ibi ſimiliter *reſpondent verba verbis:* valles — colles; *exaltare — humiliare.* Reſpondent *res rebus:* curva via dirigitur, fit recta — aſpera via complanatur, fit plana. Hoc fit in *coniunctis una ſerie commatibus;* quod primus obtutus docet. Fit et id hoc modo, ut *res e variis partibus ſpectetur.* Etenim ſi eſſet alicui venienti iter parandum; haec ſingula fieri deberent: explerentur valles, colles removerentur, aſperae viae planarentur. Hae partes deinde coniunctim cogitari ſolent iudicarique.

XVI.

Eius tractandi praecepta.

Hactenus declaravimus, qui ſit parallelismus membrorum. Cognita eius natura, veniendum eſt ad *praecepta*, quoad parallelismi illius uſus in Novo Teſtamento deprehenditur.

Praeceptum I. *Quaere loci, quem tractas, ſententiam palmariam ſeu fundamentalem.*

In iis, de quibus diximus, locis (Luc. XI, 27. Luc. I, 46.) erat palmaria ſententia, in primo quidem: *a beatam talis filii matrem!* in altero: *Deus mutat hominum fata.* 1. Cor. IV, 5. Nolite ante tempus iudicare, donec Dominus venerit. Ille occulta e tenebris in lucem protrahet ac manifeſtabit ſenſa pectoris et animi. Hic eſt parallelismus membrorum: ſed palmaria ſententia eſt: *Deus conſilia hominum iudicat;* iudicat igitur ſine partium ſtudio, iudicat integerrime. Et volebat Apoſtolus hoc maxime oſtendere, hominem non poſſe conſilia hóminum perſpicere et diiudicare. — Rurſus ſic quoque conſtruuntur verba verbis, res rebus, ut fiat aliqua enumeratio ſpecierum, generum aut partium totius. Velut in illo hymno Mariae, quem ſupra iam attulimus, enumerantur variae ſpecies potentiae divinae: deiicit potentes de ſede, exaltat humiles &c. Monebit interpres, in univerſum deſcribi *potentiam divinam*, penes quam ſint proſperae res atque adverſae. Monebit idem, haec omnia (partes aut ſpecies) eſſe explicatione coniungenda in unam propoſitionem, quae genus exhibeat, velut in hanc: *penes potentiam divinam res proſperae et adverſae ſunt.* Reperta palmaria ſententia, tametſi ſingula ad eam referenda ſunt, tamen non haerendum eſt atque argutandum in ſingulis vocabulis: nam in univerſum traditur eadem res. Quodſi ex tali loco thema, quod vocant, pro concione dicendi, eruere volumus; eodem modo verſandum eſt, ut illud deinde ex fundamentali ſententia conſtituamus.

Praeceptum II. *Ne cenſeas parallelismum membrorum otioſum aut meram tautologiam.*

Tautologia ibi eſt, ubi verbis pluribus eadem nobis dicuntur. At in hoc parallelismo idea e pluribus

bus partibus ſpectatur; quod intellectum eſſe arbitror iis ex locis, quae paſſim hoc conſilio excuſſimus. Putavi autem hoc monendum eſſe adverſus hos, qui etiamnum parallelismo membrorum iniqui ſunt eo nomine, quod omnia ſic mutentur in frigidas tautologias.

[Fortaſſe tamen non liceat ſemper pluribus ex partibus ſpectare et explicare expreſſam ſententiam, aut diverſitatis aliquid verbis ſimillimis et plane idem ſignificantibus obtrudere. Neque ideo vitioſa iudicanda eſt oratio. Etenim quum ex linguarum *ἀναλογίᾳ* et plurium linguarum conſuetudine rite cognita diſcamus, eſſe eiusmodi *συνωνυμίας* genera in bonis quoque omnium aetatum ſcriptoribus, neque eos propterea in reprehenſionem inanis et frigidae *ταυτολογίας* incurrere; quidni illas facilius feramus et aequius in orientalibus ſcriptoribus, quorum omnis oratio conſiſtit in tali comprehenſione et repetitione verborum, non modo ad vim et ornatum et copiam, ſed ad conſuetudinem quoque et uſum vitae communis? Ac monuit hac de re ipſe MORVS in ſequentibus, monuitque ſic, ut, qui ſint limites huius praecepti, attentum lectorem fugere non poſſit. E.]

Praeceptum III. *Vide, cur eadem res variis ex partibus ſpectetur.*

Fieri id poteſt multis de cauſſis et multiplici conſilio; nimirum

1) *illuſtrandi cauſſa.* Quodſi lucrer inde aliquid ad perſpicuitatem; prodeſt et hoc ad interpretationem. Matth. III, 12. Johannes baptiſta de venturo Meſſia ait: *in manu eius eſt ventilabrum et purgabit aream.* Mem-

 bra

bra parallela ſunt haec: *colliget triticum in horreum, ſed paleam extinguet igni.* Haud eſt obſcurum, ſententiam palmariam eſſe: *futurus doctor inter auditores ſuos diſcrimen faciet.* Sed quale diſcrimen? Quale vulgo non faciunt doctores. Faciet enim *puniendo aut praemiis ornando.* Hoc illuſtratur membris parallelis.

2) *ob ornatum aut ob affectum.* Facit nempe hic parallelismus ad *ornandam orationem* hominum orientalium, qui quum inciperent ſcribere ornate, una eademque ſerie ſemper per ſimilia loqui ſolebant. Quippe haec indoles erat linguarum orientalium, ut ornatum quaererent in tali habitu orationis. Effecitque deinde hic ornatus, ut orientalium linguarum poëſis nominatim hoc habitu iudicaretur; quae etſi ficta non caneret, tamen ſtilo utebatur elatiore, qui abſolveretur cumulatione quadam ac parallelismo membrorum.

Conferendus hac de re in primis eſt liber Britanni epiſcopi, ROBERTI LOWTHII, quem ſcripſit *de ſacra poëſi Hebraeorum,* quemque notis ſuis atque epimetris auctum repetiit *Joh. Dav. Michaelis,* Gotting. 1768. 69. 8. (Locus eſt pag. 365. Add. JOH. GOTTFR. HERDER *vom Geiſt der hebr. Poeſie,* To. I. p. 22. ſqq.) Deinde idem ille Theologus Britannus in *praefat. Comment. in Jeſaiam* haec ipſa repetiit et auxit.

Quemadmodum igitur in libris, poëtico ſtilo ſcriptis, in Pſalmis, Prophetis atque Apocalypſi, ad Orientalium morem elata, multa bis dicuntur ob *ornatum:* ita poteſt etiam accidere *commoto animo* loquentibus, ut rem eamdem aliquoties exprimant, ex variis partibus ſpectatam. In talibus, ſupra monuimus, eruendam eſſe maxime ac tenendam ſententiam palmariam. Adhiberi pro exemplo poteſt locus 2. Cor. IV, 8. ubi

ubi Paulus, utens cumulata oratione, hanc ſententiam exprimit: *Gott ſchützet im Gefühle täglicher Gefahren.*

3) *mera conſuetudine ſermonis.* Neque enim ſemper ornatus aut poëticus ſtilus ibi eſt, ubi parallelismus membrorum reperitur; ſed apparet, abiiſſe hunc habitum orationis in quotidianam conſuetudinem, non modo tum, quum quis commoto animo loqueretur, ſed etiam in ſimplici genere dicendi. Enimvero ſi qua figura ſic abiit in conſuetudinem, ut vel in quotidiano ſermone occurrat; pertinet ea figura haud dubie ad characterem illius linguae, cuius homines tam crebro hoc dicendi genere utuntur. Proinde ingenium hebraicae linguae recte ponitur in eo, quod omnia bis effert per parallela membra. Ac talis parallelismus, e quotidianae vitae conſuetudine petitus, etiam in Novi Teſtamenti libris reperitur ibi, ubi, ſi ab Apocalypſi diſceſſeris, ille nec ad poëticum ſtilum, neque ad ornatum valet, ſed unice pendet a more et conſuetudine ſcriptorum. Sic v. g. 1. Cor. IV, 5. verba illa: *occulta e tenebris in lucem protrahere, manifeſtare ſenſa pectoris et animi*, efficiunt parallelismum membrorum. Sed quia nec animus dicentis eſt commotus, neque ornatus aut poëticus ſtilus locum poteſt habere; omnis iſte parallelismus referendus erit ad morem ex orientalibus ſcriptoribus ductum. — Pariter neque ad commoti animi indicium, neque ad ornatum aut poëticum ſtilum retulerim verba illa mulieris, Luc. XI, 27. *O beatum uterum, qui te geſtavit, o beata ubera, quae te lactarant!* Quae verba etſi videantur effuſa prae admiratione eius, quem mulier dicentem audierat: tamen, ſi quid video, merae ſunt conſuetudini tribuenda *hebraicae* mulieris, quae loqui ſic amabat. — Simplicius eſt, ac neſcio an luculentius, exemplum Luc. XI, 9. ubi haec leguntur: *petite, et dabitur vobis; quae-*

rite et invenietis; pulſate et aperietur vobis. Quoniam enim non eſt in ea re ornatus, repetitionem eiusdem ſententiae do conſuetudini.

Praeceptum IV. *Vide, an parallelismus membrorum habeat, et ubi habeat uſum exegeticum.*

Facit autem parallelismus membrorum ad reperiendum ſenſum, praebetque uſum exegeticum, dum verba verbis, res rebus reſpondent vel ut ſynonyma, vel ut oppoſita, vel ut propria cum tropicis coniuncta, vel ſic, ut enumeratio fiat ſpecierum ſeu partium totius. In his ſingulis unum regit iudicium de altero.

1. *Verba ſynonyma* in parallelis occurrunt membris. 1. Cor. IV, 5. *Deus, quum venerit, manifeſtabit conſilia et ſenſa pectorum* (φανερώσει τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν). Hoc membrum ſatis planum eſt. In altero: *in lucem protrahet occulta tenebrarum*, quaeritur, quae ſint τὰ κρυπτὰ τοῦ σκότους. Sunt autem nihil aliud, quam quae antea *cogitata et ſenſa pectorum* dicebantur. Appellanturque *occulta tenebrarum*, quoniam nemo ea videt, nemini ſunt nota. Capiemus itaque hoc comma ſic: *Deus nemini nota, clandeſtina ſenſa pectoris in lucem protrahet.* Pariter in illo loco Lucae I, 35. *Spiritus ſanctus veniet ſuper te, et vis altiſſimi obumbrabit te*, iudicamus propter morem linguae, parallelismum membrorum uſurpantis, quae ſit in uno membro δύναμις ὑψίστου, eam eſſe in altero πνεῦμα ἅγιον, et quod in uno ſit, *veniet ſuper te*, id in altero etiam eſſe: *te obumbrabit.* Vnde concluditur, dici hic ſimpliciter, divinam potentiam id eſſe effecturam, dicique id bis, et per ſynonyma. Sed quaerere interpretem porro oportet, ſi πνεῦμα ἅγιον idem ſit quod δύναμις ὑψίστου, ſi κρυπτὰ τοῦ σκότους idem ſint quod βουλαὶ τῶν καρδιῶν,

διῶν, consentiatne etiam usus loquendi, et num v. c. aliunde confirmari queat, dici in libris sacris רוּחַ יְהוָה simpliciter de vi divina. Nam usus ille parallelismi huius exegeticus ducit tantummodo lectorem in viam, ut haec tractet tamquam sibi respondentia verba et res. Ductus sic in viam lector exquirere deinde debet, an idem etiam fluat ab usu loquendi. Caeterum in Veteri Testamento multa reperiuntur verba ἅπαξ λεγόμενα, in quibus plane deest loquendi usus. Ea fere sunt unice interpretanda ex illo parallelismo membrorum, ita, ut illud ἅπαξ λεγόμενον habeatur pro synonymo alterius verbi, utque adeo acquiescere cogamur in unico hoc argumento significationis. — Addam alium locum, in quo et ipso parallelismus membrorum cernitur verborum, quae posita sunt, συνωνυμία. Scilicet scripta sunt a Paulo 2. Cor. XV, 50. haec: *Caro et sanguis non possunt possidere regnum Dei, nec corruptibile potest possidere incorruptibilitatem.* In aprico est, esse haec membra parallela. Verum quid in priore erit σὰρξ καὶ αἷμα? An impietas et flagitiositas? Sententia foret vera. Sed parallelismus docet, esse hoc loco *carnem et sanguinem* nihil nisi corpus nostrum, carnibus et sanguine constans. Respondet enim his verbis in altero membro ἡ φθορὰ, *corruptio*, aut id, quod est corruptibile, caducum, fragile. Tale autem est corpus nostrum. Rursus in priore membro legimus: *corpus fragile non potest possidere* βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Intelligitur autem futurus ille status aeternus; nam in parallelo membro legimus: *corruptibile non potest possidere* τὴν ἀφθαρσίαν, h. e. statum, qui non corrumpitur, qui aeternum durat. Ita sensus totius loci prodibit hic: corpus tam crassum, quod carnibus et sanguine constat, non est capax aeternae durationis; mutandum igitur in aliud corpus est, ut possit durare.

 2. *Ver-*

2. *Verba opposita* in parallelis membris occurrunt. Luc. I, 52. 53. *Deiicit Deus potentes de sede, exaltat humiles; esurientes replet bonis, divites dimittit vacuos aut inanes.* Tralaticium hoc est exemplum oppositorum. — Quum in Psalmis dicuntur *iusti*, intelliguntur homines religiosi, qui Deum verum colunt. Nam in talibus locis alterum fere membrum loquitur de contemptoribus Dei aut idololatris, quibus opponuntur veri Dei cultores. — Eodem modo iudicare licebit de אֱמֶת יְהוָה, sitne veritas existentiae Dei (*würkliches Daseyn*), an omnis omnino moralis eius sanctitas, benignitas, iustitia; veluti Psalm. XXXIX, 9. ubi quod est in priore membro: *benignitas tua*, id eo nos ducit, ut in *veritate* omnem Dei moralem benignitatem ac virtutem cogitemus. 1. Cor. XV, 43. 44. occurrunt haec: *sepelitur corpus vile, excitabitur praestans; sepelitur corpus debile, excitabitur forte; sepelitur corpus corruptibile, excitabitur incorruptibile.* In his, quum appareat facile, corpus *vile* ac *debile* esse idem quod *corruptibile:* quid erit *praestans* corpus ac *forte?* Scilicet tale, quod non est caducum, quod in perpetuum durat. Caeterum plura huius parallelismi in *oppositis* conspicui exempla suppeditant lectoribus Evangelium et Epistolae Johannis, cui in primis familiare hoc est, ut eamdem rem bis dicat, negando, affirmando.

3. *Propria et tropica* in parallelis membris permutantur. Quum autem idem scriptor eamdem rem et tropice et proprie exprimit, profecto non est, quod laboremus in eo, quam interpretandi rationem sequamur. Veluti in notissimis illis: *Der Herr segne dich und behüte dich. Der Herr lasse sein Angesicht leuchten über dir und sey dir gnädig. Der Herr hebe sein Angesicht auf dich, und gebe dir Friede*, in illis igitur priora sunt propria, posteriora tropica. Quid erit igitur: *Der*

Der Herr erleuchte &c., nisi quod additur: *faveat tibi, det tibi prospera quaeque?* Sed hoc animadverso, porro laborandum est in caussis illius sensus reperiendis. Neque enim hoc dico, quasi verba illa: יָאֵר יְהוָה פָּנָיו אֵלֶיךָ וִיחֻנֶּךָּ per se nihil aliud significent, quam: *Deus sit tibi benevolus.* Nam in hebraico stilo id est, pellere tenebras faciei et rugas ac veluti laetam faciem induere. Iam bene cohaerent haec veluti connotata: convertere faciem suam ad alterum, respicere eum, non avertere vultum ab aliquo, additurque explicationis gratia altera phrasis: fortunare aliquem. Ita oportet etiam interpretem in caussis versari, quo modo cohaereant ideae, et quo modo potuerit tropico proprium exprimi. — Joh. VI, 35. parallela sunt haec: ego sum panis vitae: *qui ad me veniet, non esuriet; qui in me credit, non sitiet.* Igitur qui in Christum credit, h. e. qui doctrinae eius praebet assensum, is, tropico dicendi more, venit ad eum, ac talis non esuriet, non sitiet; pro quo alibi legitur: non peribit, sed vitam aeternam habebit. — Matth. XII, 29. *Suscipite iugum meum in vos et discite a me.* Alterum in his proprium est: *sitis discipuli mei*, alterum tropicum: *sinite a me vobis imponi iugum*, h. e. institutionem et disciplinam. Sic scriptor ipse, quod in omnibus locis obscurioribus valde optabile est, mentem suam per adiuncta verba propria explicat.

4. Denique sic construuntur verba verbis res rebus, ut *enumeratio* fiat *specierum* seu *partium totius.* Talibus in locis, iam supra satis ostendimus, interpreti id esse inprimis agendum, ut species singulas coniungat in unam propositionem, quae genus et totum exhibeat, et ad quam caetera omnia, quae per partes tractata a scriptore sunt, recte referantur.

Haec exempla varii modi, quo ad se invicem referantur res et verba, partim ad hoc confirmandum valent, esse usum rei exegeticum, eumque permagnum, partim illud poterunt inculcare, quod passim adspersimus, in iis non esse subsistendum, quae membra parallela doceant, sed porro caussas e lingua quaerendas et nexum cogitandum ipsius rei.

XVII.

Conclusio loci de parallelismo membrorum.

Possunt autem multo plura dici *de parallelismo membrorum in Veteri Testamento*, in quo potissimum cernitur usus eius criticus. Nam quum ex hac comparatione intelligimus, simile in altero membro esse debere, tum animadvertimus interdum, lectionem aliquam stare non posse, praesertim si exstet alia, quae bene respondeat parallelismo. Sed ad haec non licet digredi.

Egit de hoc parallelismo in Vet. Testamento JOH. AUG. DATHIUS ad *Glassianae Philologiae* eum locum, qui est de *ἐξεργασία*. Quem enim hodie dicimus parallelismum membrorum, eum maiores nostri dixere *ἐξεργασίαν*.

[cfr. EICHHORN *Einleit. ins A. T.* T. I. p. 200. BAUER *Entwurf einer Einleitung in die Schriften des A. T.* (Norimb. 1794.) §. LXXIV — VIII. BRUNS *Zusätze im N. theol. Journal*, 1795. P. VIII. p. 752. E.]

Add. JOH. FR. SCHLEUSNERI Disp. *de parallelismo membrorum, egregio interpretationis subsidio*, (Lips. 1781. 4.); in qua et ipsa potissimum ad Vetus Testamentum respicitur.

Accom-

Accommodate ad poëticos libros V. T. omniumque uberrime hac de re ſcripſit ROB. LOWTHIUS *de ſacra poëſi Hebraeorum*, pag. 365. ubi vid. *Michaelis*.

Ex his, de re in univerſum dictis, apparet, paſſim etiam in Novo Teſtamento parallelismi iſtius uſum eſſe, qui tamen maxime a conſuetudine huius linguae pendeat. Addam hoc unum, reperiri etiam interdum in ſcriptoribus exteris parallelismum eiusmodi orationis. Sed ibi dicitur *concinnitas orationis*, quum membra membris, verba verbis, res rebus reſpondent. Egit de hoc JOH. AUG. ERNESTI *Init. Rhetor.* in capite *de figuris orationis*.

XVIII.

Parallelismi obſervationem et uſum adiuvat lectio curſoria.

Quoniam autem, quo quis celerius percurrit aliquem ſcriptorem, eo familiariorem illum ſibi reddit, eoque plures obſervat locos parallelos, ideo commendanda in primis eſt ad hanc rem *lectio curſoria*, quae uno tenore aut brevibus interpoſitis intervallis abſolvitur (§. 7). Nam ita facilitas dabitur deprehendendi ſimilia, recentibus in animo veſtigiis locorum, in quibus interpres laborarit, vel quibuscum comparari praeſentia poſſint.

XVIIII.

Cautiones quaedam in uſu parallelismi.

Vbi nobis videmur incidiſſe in locos parallelos, proximum erit (§. 8.), conſiderare, an vera ſit ſimilitudo, ſeu an ſatis ſimilia ſint loca, h. e. an ſit in utroque eadem res, non modo verbum idem, ut iudicium tuto fieri

fieri possit. Nam non sunt illico parallela loca, in quibus idem vocabulum occurrit, v. c. πνεῦμα, σάρξ, αἷμα, ἀπολύτρωσις, ἄνθρωπος καινός. Quae omnia vocabula varias possunt habere significationes. Neque sunt omnes loci paralleli, in quibus legitur v. c. phrasis illa ἐνδύσασθαι τὸν Χριστόν, *induere Christum.* Etenim ut Galat. III, 27. id est *suscipere religionem Christianam:* ita aliis in locis, ut Rom. XIII, 14. est *imitari Christum vita factisque.* Pariter in multis locis dicitur Deus per Jesum *pacem fecisse.* Sed non sunt omnes tales loci paralleli. Namque Ephes. II, 14. hoc sensu Deus per Jesum pacem dicitur fecisse, ut tolleret odium inter Judaeos ac Paganos, ut hoc modo consuetudinem communem inirent per religionis societatem. Sed Coloss. I, 20. Deus per Jesum fecisse pacem dicitur sensu hoc, quod inter Deum et homines id effectum sit, ut hi sine metu illum cogitare, ab eoque veniam accipientes, optima quaeque exspectare possint. — Perspicuum his exemplis erit, quo iure scripta sit regula illa hermeneutica, *videndum esse, an sit etiam in utroque loco eadem res.* Est autem id diiudicandum ex hac norma: Si est utrobique *consilium* idem, idem scopus scriptoris, si eadem utrobique est *orationis series;* eadem quoque res tractatur. Sic Ephes. II, 14. multa dicuntur de Paganis, ad Christum adductis, de lege rituali, quae Judaeos ac Paganos distinxerit, inter quos nunc pax inita esset. Contra Coloss. I, 20. quia ne verbum quidem legitur de ritibus, qui Judaeos dissociarent et Paganos, necessario alia erit pax hic intelligenda.

Quodsi conferre volumus locos parallelos, necesse est, ut alter sit altero clarior. Si non est, nihil inde lucri accipimus. Iam vero constituendum est interpreti, uter locus sit clarior, ut ad eum accommodari

dari alterius interpretatio poſſit. Atque hoc eſt idem, quod ſupra (XII.) docuimus, iudicandum eſſe diligenter, quo in loco aliquid dicatur plenius, dilucidius citraque ambiguitatem. Qui autem ſit talis locus, clarior altero, hoc eſt uniuscuiusque ſenſui relinquendum: nam per praecepta tradi non poteſt. Caeterum qui pro tali loco habetur ab interpretibus, is dicitur *claſſicus locus*, praeſertim, ubi non ſolum propriam rem exprimit perſpicue ac plane, ſed eamdem quoque uberius explicat atque ediſſerit.

Dum ita verſamur in interpretando, facimus id, quod dicunt, ſcripturam e ſcriptura explicare. Nec vero poſtulatur hic quicquam novi. Nam idem facimus in ſcriptoribus, quos profanos vocant, omnibus. Quippe ſcimus experientia edocti, quemlibet eſſe optimum ſuorum verborum ſuaeque ſententiae interpretem. Accedit, quod omnes ſcriptores ſacrorum librorum in eadem re verſantur, in doctrina religionis explicanda, et quod nominatim omnes Novi Teſtamenti ſcriptores eamdem rem tractant, religionem Chriſtianam. Tanto magis licet alterum ex altero explicare. Et hac quidem ratione devenimus unice ad *explicationes authenticas*, quum vel ſcriptor ſuam ipſe mentem explicat, vel alius eiusdem aetatis dignitatisque ſcriptor alterum illuſtrat.

XX.

Saepe plures ſunt loci conferendi.

Neque vero unus ſemper locus ad comparandum cum fructu ſuffecerit (§. 10.), nec in hoc genere de parallelismo rerum et verborum, nec in ſuperiori, quod exemplis commemorandis ponendisque rebus aperie-

aperiebat vim ſignificatumque verborum; ſuffeceritque tanto minus, quum *notiones verborum complexas et pluribus partibus conflatas* quaerimus. Tales autem ſunt notiones univerſales, h. e. notiones generis et totius. Nam quia *genus* ſpecies omnes comprehendit, ideo eſt *notio complexa;* quia *totum* omnes partes continet, ideo eſt *notio pluribus partibus conflata.* Iam vero ex uno loco non poſſum totum aut genus ex arte iudicare, ſed ſpecies tantum et partes: verum ex pluribus locis coniunctis tandem colligitur notio univerſa. Proferam exempla. Ἡ βασιλεία Θεοῦ eſt *genus;* comprehendit enim varias ſpecies; aut *totum;* comprehendit enim varias partes. Indicat enim: eſſe in coetu Chriſtiano, frui bonis in coetu illo obviis, noſſe Deum, frui futura felicitate. Vnde autem hoc poteſt colligi, niſi plurium locorum comparatione? Similiter variae ſunt ſpecies τῆς πίστεως. Ergo πίστις eſt *genus*, eſt notio univerſa: quae ſint eius ſpecies, unde intelligere liceat notionem illam, eruendum eſt ex ſingulorum locorum comparatione.

[Cfr. MORI diſſ. *de notionibus univerſis in Theologia*, in *Diſſertatt. theol. et philol.* Vol. I. p. 239 — 307. E.]

XXI.

2. *e Scholiaſtis et Gloſſographis.*

Docuimus ſupra (IV. p. 78.), teſtimonia directa de ſignificationibus verborum peti etiam aut firmari poſſe e *Scholiaſtis* et *Gloſſographis*. Poſtulat igitur rerum ordo, ut de his nunc ſingulatim agamus.

XXII.

XXII.

Scholiorum notio et exempla.

Sunt autem *Scholia* breves notae in auctores veteres, eorumque duo maxime ſunt genera, exegetica nimirum et grammatica. *Exegetica ſcholia* ſunt, quae ſenſum locorum ipſamque rem breviter deſcribunt: *grammatica*, quae vim et ſignificationem verborum aliis verbis notioribus illuſtrant. Hic quidem ſermo nobis eſt de ſcholiis grammaticis.

Dabo quaedam exempla, ſumpta ex Scholiis ad Epheſ. IV, 6. *). Ibi occurrunt verba haec: εἷς Θεὸς καὶ πατὴρ πάντων, ὁ ἐπὶ πάντων. Vltimis Scholiaſtes adiecit: τὴν δεσποτείαν, indicans rem et ſenſum pauciſſimis, ſcilicet, in illo *ſuper omnia* cogitandum eſſe *imperium in omnes*. Verſu 12. docendae religionis munus valere dicitur πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, *ad perfectionem Chriſtianorum*. In Scholiis eſt εἰς οἰκοδομὴν καὶ ὠφέλειαν. Habemus grammaticum et exegeticum ſcholion. Grammaticum, dum adiectum eſt vocabulum οἰκοδομήν; exegeticum, dum ponitur res: *utilitas*. Verſu 14. non debemus eſſe amplius infantes, qui circumferuntur quolibet vento doctrinae ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων. Κυβεία eſt ludus aleae. Hic ſcholii auctor: ἐν τῇ ἀστάτῳ περιφορᾷ, ὡς νῦν μὲν τοῦτο, νῦν δὲ ἐκεῖνο διδάσκειν. Indicat circumſcriptione quadam, intelligi *inſtabilem iactationem* doctorum, qui in docendo ſibi non conſtant, inſtabiles ſunt tum in affirmando, tum in negando.

XXIII.

*) [Ex editione N. T. quam CHR. FR. MATTHAEI docto ſtudio debemus, Rig. 1784. p. 181. E.]

XXIII.

Scholia in N. T. ubi reperiantur.

Eiusmodi ſcholia exſtant etiam in exteros ſcriptores multos, praeſertim graecos, in Homerum, Thucydidem, Sophoclem, Ariſtophanem, Theocritum, Apollonium Rhodium, alios. Exſtant et in latinos ſcriptores, velut Horatium, Juvenalem, Perſium &c. Sed nobis nunc dicendum eſt, ubi reperiantur talia ſcholia in Novum Teſtamentum. Quorum quidem tres reperiuntur claſſes:

1. *Scholia e Patribus graecis deſumpta*, qui in commentariis ſuis, homiliis, vim verbi ſaepe paucis explicaverant. Plenus eſt his ſcholiis in primis CHRYSOSTOMUS in homiliis. Ex huius igitur operibus, et ORIGENIS, aliorumque, excerpſerunt recentiores Graeci, quae illi viri breviter de ſenſu alicuius loci dixerant. Iſtiusmodi breves explicationes grammaticas, miſſis rhetoricis et dogmaticis, e Chryſoſtomo collegit THEODORETUS in commentario in quatuordecim epiſtolas Pauli; collegit etiam admodum ieiune THEOPHYLACTUS, patria Conſtantinopolitanus, in commentariis in quatuor evangeliſtas; maiore cum iudicio idem inſtituit EUTHYMIUS, ut alios taceam. Nam multae praeterea exſtant huiusmodi ſyllogae variarum explicationum, ex patribus antiquis collectarum breviterque expreſſarum, quae ſequuntur ordinem librorum Novi Teſtamenti et *Catenarum* *) nomine appellantur. Vnam ex iis nominabo, VICTORIS ANTIOCHENI *Enarrationem Marci*, quam edidit *Chr. Frid. Matthaei*, Mosquae 1775. Atque idem vir doctus alia multa eius-

*) [De his *Catenis* plura infra cap. IX.]

eiusmodi ſcholia in ſua editione Novi Teſtamenti in lucem produxit. Sed quicquid eſt in illa farragine ſcholiorum, id nonniſi excerpta continet et compilationes e veteribus eccleſiae ſcriptoribus.

II. *Scholia codicibus adſcripta, ſive in margine, ſeu intra textum, ſeu etiam ad calcem.*

Seorſim edita ſunt talia ſcholia in RICH. SIMON *Hiſtoire critique du Texte du N. T.* (à Rotterd. 1684. 4.), a JOH. JAC. WETSTENIO paſſim in *Notis ad N. T.* Sed maxima illorum copia debetur ſtudio ac diligentiae CHR. FR. MATTHAEI in *Editione N. T.*

III. De aliis *Scholiis veteribus eisdemque exegeticis* dicetur alio loco et conſilio.

XXIV.

Scholiaſtarum quale ſit teſtimonium, quale pretium.

Horum Scholiaſtarum teſtimonium vel *ſuum* eſt, vel *alienum* (§. 11). *Suum* eſt, quum ſcriptor ipſe ſcholii ſui auctor eſt, quum ipſe quaedam e ſuo ingenio et doctrina addidit, neque omnia verbotenus compilavit. *Alienum* eſt, quum Scholiaſtes notam ſuam ex alio petiit; ut omnia fere ſcholia, quae hodie extant, compilata eſſe ſcimus vel ex Chryſoſtomo, vel ex Origene, vel e caeteris ſaeculi tertii et quarti ſcriptoribus. Quare de pretio, his Scholiaſtis ſtatuendo, videndum erit, num e bono ſcriptore ſuas compilaverint notas. Id autem interdum annotant illi, ut factum videmus in codicibus, in quorum margine nomina auctorum per compendium ſcripta reperiuntur. Pretium itaque ſcholiorum pendet a doctrina illorum, e quibus hauſta ſunt.

Facile hinc patet, duas poſſe de his Scholiaſtis addi admonitiones:

I. *Quo antiquior eſt ſcholii auctor; eo magis meretur fidem.*

Quia vero antiquitas per ſe non efficit fidem in interpretando; ita limitandum hoc praeceptum eſt, ut maxime referamus ad *ritus* et *hiſtoriam*. In his enim antiquior fide cenſetur dignior recentiore, quoniam ſcire ille potuit hiſtoriam ab idoneis teſtibus et ſpectare ritum adhuc vigentem. Tum etiam ubi de *rebus vitae privatae* ſermo eſt, antiquior maiorem meretur fidem recentiore. Sed quando quaeritur de *vi* et *ſignificatione verborum*, nunquam ſic eſt concludendum, quo quis ſit antiquior teſtis, eo etiam fide eſſe digniorem. Nam et is, qui propinquus aetate fuit ſcriptori, cuius ſe interpretem profitetur, errare in talibus potuit, atque evenit haud ita raro, ut recentior interpres multo melius vim verborum perſpiceret antiquiore, ſenſumque multo rectius aſſequeretur. Res igitur omnis redit tandem ad uſum, ut legendis pluribus Scholiaſtis, videamus ipſi et examinemus, quisnam bene aut ſecus explicaverit.

II. *Quo quis magis linguam intellexit; eo magis fidem meretur eius interpretatio.*

In univerſum tamen haud diffitendum eſt, Scholiaſtarum Novi Teſtamenti eſſe mediocrem uſum ad interpretationem. Praeterquam enim quod notae illorum magnam partem ſunt merae meditationes aſceticae, quas nemo profecto deſiderat, quum de ſenſu verborum grammatico quaeritur, pauci Scholiaſtae intellexerunt linguam hebraicam; unde fit, ut, quum omnia in Novo Teſtamento metiantur e bona graecitate, neſcii hebraismorum, miras nonnunquam proferant interpre-

pretationes. Tum vero interdum ab iis affertur tanta congeries variarum ſententiarum, ut magna relinquatur neceſſitas delectus faciendi. Et quamvis Patres graeci ſatis idonei videantur interpretes Novi Teſtamenti, cuius loquendi uſum bene callebant: tamen et hi in hebraismis explicandis ſaepe numero falluntur, et multo minus credendum eſt latinis Patribus, quippe qui ne graeca quidem probe intelligerent, eſſentque fere verſionum male factarum, et male intellectarum mali interpretes. Accedit, quod, ubi nominatim de ſignificatione alicuius verbi dicunt, nihil niſi uni verbo alterum ſubſtituunt. At hoc non eſt interpretari, ſi utcunque aliquid ſuppeditem, ſi cauſſas non addam. Illud fortaſſe in ſcholiis profuerit lectori, cognoſcere ex iis, quid auctor illorum legerit; quamquam hic eſt criticus uſus, non exegeticus, utpote qui nihil facit ad interpretationem. Tota denique res quorſum tandem nobis prodeſt, niſi quod inde diſcamus, quae fuerit aliorum interpretum ſententia? Iam ſi vel maxime ſciam, hoc ſic fuiſſe intellectum a Chryſoſtomo, Theodoreto, aliis; nonne multa alia quaerenda ſunt, quae explicationem illorum vindicent ac veram praeſtent? His omnibus collectis, apparet, poſſe interdum Scholiaſtas in viam nos ducere ſenſus reperiendi, ut amplius deinde cogitemus de interpretationum cauſſis; ſed ubi ipſi laboramus in ſenſu reperiundo, nihil ex iſtorum explicationibus nobis accedere praeſidii, niſi leve quoddam firmamentum auctoritatis.

XXV.

Gloſſarii notio et gloſſarum exempla.

Dicendum nunc eſt de *Gloſſariis* et *Gloſſographis* (§. 12.), in quibus etiam agnoſcebamus directum teſtimonium de ſignificatione verborum (IV).

Glossarium est *liber* γλώσσας *comprehendens.* Sed γλῶσσα dicitur apud Graecos

1. *verbum provinciale, seu provinciae et regioni alicui proprium.* Sic ARISTOTELES Poët. c. XXI. γλώσσας discrevit a caeteris linguae vocabulis, quibus omnes utuntur. Athenienfibus enim incognita quaedam erant, quae Boeotiis ferebantur notiffima, perinde ac nobis in Saxonia fuperiore incognita funt multa, quae in inferiore Saxonia frequentantur. Add. PLUTARCH. *de aud. poët.* p. 34. *ed. Krebs.*

2. Deinde γλῶσσαι appellabantur *verba obfoleta,* eaque de cauffa *rariora et paucioribus cognita.* Cf. THO. GATACKER. ad M. ANTONIN. IMP. *Lib. IV.* §. 33. [Add. DAV. RUHNKENII *Praef. ad Timaei Lex. Plat.*] Multa enim vocabula maiorum venerant fubinde in defuetudinem et oblivionem. Ea quoniam fimul cum provincialibus illuftrari peculiaribus libris folerent; factum eft, ut de utroque hoc genere vocabulum *Gloffarii* ufurparetur.

3. Denique γλῶσσα dicta eft *quodvis vocabulum, quacunque de cauffa abftrufius et rarius.* Hoc modo verbum, quod in certo aliquo fcriptoris loco habet intellectum difficilem, indigetque explicatione, in illo loco dicitur γλῶσσα. Proinde quum tam late pateret verbi vis, QUINCTILIANUS *Inftit. Rhet. I.*, 1. γλώσσας definit effe *linguas fecretiores*, h. e. occultas, non in vulgus notas.

Ita *Gloffarium* comprehendet γλώσσας, h. e. omnia illa variorum generum vocabula, quae indigent aliqua explicatione. Et haec explicatio fit, dum additur verbo difficiliori aliud planius et facilius. Quod autem

autem additur explicandi caussa, id verbum dicitur *glossema;* quamquam olim promiscue usurpata sunt verba illa: *Glossae* et *Glossemata.* v. QUINCTILIANUS I, 8. 15. Brevius itaque ex ea ratione dicendi, quae hodienum obtinet, *Glossarium* describes sic: esse *collectionem glossarum* (vocabulorum, quae egeant explicatione) *cum glossematibus* (ipsa explicatione).

Ponam exempla quaedam *) e Glossario. 1. Timoth. I, 4. legitur illud: *hortor te, ne animum adiicias fabulis et γενεαλογίαις ἀπεράντοις*, h. e. *infinitis, magna copia scriptis.* Hic verbum ἀπεράντοις hoc ipso casu in Glossario ponitur cum hac explicatione: *τοῖς μὴ ἔχουσι τὸ πέρας τὶ χρηστὸν, ἢ τοῖς λέγουσιν, ἢ τοῖς ἀκούουσιν, quae non habent utilem scopum, utilem aut dicentibus aut audientibus.* Patet, interpretationem esse falsam. Pariter Cap. III, 2. *episcopum oportet esse ἀνεπίληπτον, irreprehensum.* In Glossario ipse hic accusativus positus est cum explicatione: *μηδὲν κακὸν ἑαυτῷ συνειδότα.* Non incommode. Sic enim Glossaria non semper explicant significationem ipsius verbi, sed laxius sensum utcunque tradunt. Cap. V, 4. *si qua vidua habeat filios et nepotes, discant primum omnium εὐσεβεῖν τὸν ἴδιον οἶκον, pii esse erga familiam suam* (assuefaciat eos pietati adversus familiam suam). Hoc *εὐσεβεῖν* ponitur in Glossario, addita hac explicatione: *διατιθέναι καλῶς, bene agere, ornare beneficiis.* Rursus non traditur significatio verbi, sed ponitur pietatis exemplum. Cap. V, 10. sermo est de hoc, quaenam vidua sit in catalogum earum referenda, quae publicis eleemosynis alantur. Eam, ait Apostolus, viduam alendam esse, *quae sectata sit omne genus recte factorum, εἰ παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ ἐπηκολούθησεν.*

*) [Desumpta sunt e CHR. FR. MATTHAEI *Glossariis graecis minoribus*, To. I. (Mosquae 1774.) p. 83 sq. E.]

σεν. Ex hoc loco ultimum illud vocabulum ἐπηκολούθησε translatum eſt in Gloſſarium, addita hac explicatione: ἐκοινώνησεν (*bona ſua cum aliis communicavit, liberalis ſuit*), ὑπηρέτησεν (*inſerviit aliis*). Igitur πᾶν ἔργον ἀγαθὸν interpretatus eſt de omni genere beneficiorum, coniunxitque integram phraſin: *operam dedit omnigenae beneficentiae*. — Hoc modo interdum ponitur in Gloſſariis abruptus locus, ſeu pro integra phraſi unum aliquod vocabulum. Atque ex hoc fonte multi manarunt errores in lexica et commentarios.

XXVI.

Gloſſarium quo modo differat a Lexico.

Omnino advertendum eſt diligenter, Gloſſographos non colligere omnia vocabula graecae linguae et latinae, ut fit in Lexicis, ſed ea tantummodo, quae egeant aliqua explicatione; porro, Lexica tradere verbi alicuius ſignificationes, Gloſſaria etiam ſenſum indicare utcunque, ſaepe laxius, ideoque non niſi eas afferre notiones, quae certis certorum ſcriptorum locis conveniant (§. 13.). Id apparet ex eo, quod fere ipſa verbi forma grammatica, ex aliquo ſcriptore illata, in Gloſſario invenitur, non caſus rectus nominis, non praeſentis prima perſona aut infinitivus verbi. Quaerendum igitur ante omnia, ubi legatur illud, cui Gloſſographus ſuam addidit explicationem, cavendumque, ne praecipitemus iudicium et loco ſcriptoris obtrudamus, quod non ſcriptum iſtius loci cauſſa erat. Ita v. c. Luc. III, 1. de Pontio Pilato occurrit ἡγεμονεύοντος. Hic ipſe genitivus in Gloſſario eſt, addito ἐπιτροπεύοντος, *quum praeſes eſſet*. Iam quis uſus erit huius gloſſematis, ſi ignorem gloſſae ipſius ſedem? Propterea etiam qui Gloſſaria ediderunt, inter quos ſane eminet JOH. ALBERTI, celeberrimus Heſychii editor, id maxime agendum ſibi putaverunt, ut inve-

ſtigarent

ſtigarent locos ſcriptorum, ad quos ſingulae gloſſae pertinerent. Nemo igitur, qui Heſychium evolvit, evolvat ideo, ut, quod ille explicuit, verbi alicuius ſignificationem inde demonſtret. Nihil enim illo loco Heſychius dicit, niſi quod in Alexandrina forte verſione verbum aliquod iſta ſignificatione occurrat. Nec putet quisquam, e Gloſſario Heſychii accurate diſci vim et ſignificationem verborum. Nam interdum non niſi utcunque ſimile verbum ſubſtituitur. Vtar exemplo. Eſt in illud Gloſſarium receptum verbum ἀποστοματίζειν, quod eſt, *ex aliquo elicere aliquid callide, ita, ut eum irretias, abfragen.* Iam Gloſſarium dedit explicationem hanc: συμβάλλειν, *conferre*, ſc. λόγους, *ſermone colloqui.* At haec non eſt ſignificatio verbi, ſed Gloſſographus utcunque expreſſit ſenſum. Sane recentioribus temporibus *Gloſſaria* etiam ſimpliciter coepta ſunt Lexica appellari. Quo nomine veniunt *Dufresniana Gloſſaria ad mediam et infimam Graecitatem et Latinitatem* pertinentia, aut *Meurſii Gloſſarium graecobarbarum.* Verum de his non agebatur hoc loco, ſed de iis potius libris grammaticis, qui ad interpretationem valent. Similiter recentiore aevo *Gloſſae* vocabantur notae in librum aliquem ſcriptae, et *Gloſſator*, qui notas eiusmodi ſcripſit. Inde etiam *Gloſſae biblicae* ſunt certa genera notarum in libros ſacros. Sed nec de his hic ſermo eſt.

Cfr. JOH. AUG. ERNESTI prolusio de *Gloſſariorum graecorum vera indole et recto uſu in interpretatione*, [quae ſaepius edita eſt, praefixa etiam T. I. Heſychii Albertini.]

JOH. FR. FISCHERI Proluſiones XXXIII. *de vitiis Lexicorum N. T.* [ſeparatim antea, nunc coniunctim editae, multis partibus auctae multisque in locis emendatae, Lipſ. 1791. 8.]

XXVII.

Glossariorum auctores: a) *Hesychius.*

Sequitur, ut eos nominemus, qui talia Glossaria confecerunt atque ediderunt. (Haec exempla Glossariorum veterum ERNESTIUS attigit Part. I. Sect II. Cap. III. §. 31.)

Princeps est HESYCHIUS, cuius editionem, a *Joh. Alberti*, Theologo Batavo, institutam, absolvit *Dav. Ruhnkenius*, qui et ad calcem operis auctarium posuit multifariae eruditionis. [L. B. 1746. 1766. Tom. I. II. fol.] Sunt autem in hoc libro Hesychii collecta ex scholiis et commentariis vocabula obsoleta, provincialia, aliisque de caussis rara, et certis in locis certum usum habentia; tantaque in eo apparet explicationum nude ac simpliciter positarum farrago, ut sine notis ne intelligi quidem possit. Quoniam autem multae in eo glossae ad Novi Testamenti libros spectant; meruit de iis *Joh. Chr. Gottlieb Ernesti*, qui glossas illas sacras ex universo opere excerperet, notisque illustraret. [Adiecit etiam, praeter dissertationem de glossis sacris Hesychii, glossas graecas in Psalmos ex Catal. Mss. Bibl. Taurin. denuo editas, Lips. 1785. 8.]

[Sententiae doctorum hominum de indole lexici Hesychiani, etsi sunt paullulum discrepantes, tamen in eo conveniunt, *auctorem illius, quod hodie nobis relictum sit, sua duxisse ex antiquioribus scriptoribus atque grammaticis, contraxisse multis modis et breviasse.* VALCKENARIUS autem, quum vidisset Hesychii lexicon non respondere praefixae ad Eulogium epistolae, statuit, lexicon, quod nunc habemus, non esse maioris epitomen; quae communis fuit plero-

plerorumque opinio; ſed ſic de auctoris ſui manu exiiſſe; epiſtolam vero illam ad Eulogium ab impoſtore Graeculo, qui dotes libri, quisquiliis a ſe aucti, verbis exaggerandas ſplendidisque mendaciis commendandas putaret, illiberali facinore eſſe confictam. (v. Schediasma eius *de epiſtola ad Eulogium, Heſychio praefixa, operisque inſcriptione*, ſubiunctum *F. Vrſini Virgilio cum Graecis collato*, Franeq. 1747. 8. p. 150. ſeqq.) Sed rationes Valckenarii, neque ALBERTUM moverunt, neque RUHNKENIUM, qui vulgarem opinionem tuendam explicatiusque tradendam arbitratus, in praefatione To. II. Heſychii praefixa, multa disputavit in eam partem, ut Heſychium quidem optimorum Grammaticorum, Ariſtarchi, Heliodori, Orionis aliorumque interpretationes vocibus ſubieciſſe, easque, inter ſe ſi discreparent, nomine auctoris diſtinxiſſe; epitomatorem vero, ineptum hominem, fortaſſis Chriſtianum, maximum ampliſſimumque lexicon in compendii anguſtias coëgiſſe, et nomina Grammaticorum brevitatis cauſſa ſuſtuliſſe oſtenderet. Significavi iam, ad indolem lexici cognoſcendam iudicandamque parum intereſſe, utra ſententia probetur. Mihi quidem, diligenter ponderatis omnibus rationibus, animus ad Ruhnkenianas partes inclinat; quamquam Valckenarium video etiam ſenem demotum non eſſe ab opinione, quam iuvenis ſuſceperat, (v. *notas* eius *ad Adoniazuſas Theocriti* p. 300.) et cui, poſt alios, nuper etiam quaedam oppoſuit VILLOISONUS in Prolegomenis ad Hom. Iliad. p. XXVIII. Praeterquam vero, quod Heſychii Lexicon ab imperito ſequioris aevi epitomatore in compendium redactum eſt; idem illud, in quo ſeries litterarum ab auctore diligentiſſime ſervata erat, permultas continet gloſſas, in primis *biblicas*, a Chriſtianis ex

 Cyrillo

Cyrillo aliisque glossographis sacris primum in margine adscriptas, deinde in locis quam plurimis ex Archetypi marginibus negligenter et contra ordinem alphabeticum in textum iniectas, in paucioribus locis apte et convenienter insertas. Quod quum BENTLEIUS in epistola ad Bielium de *biblicis glossis* iampridem iudicavisset, adstipulante Valckenario; nuper iudicium hoc ad caetera quoque omnia, quae ad pristinam seriem hodie revocari nequeunt, intelligenter traduxit NIC. SCHOW, qui *Hesychii Lexicon ex codice Ms. bibliothecae D. Marci restitutum et ab omnibus Musuri correctionibus repurgatum, sive Supplementa ad Editionem Hesychii Albertinam* edidit, Lips. 1792. 8. Add. Eiusdem *Epistolas criticas*, unam ad *C. G. Heynium* (in qua Lexicon Hesychii Ms. Venetum accurate describitur), alteram ad *T. C. Tychsenium*, Rom. 1790. 4. — Caeterum ad *sacras Hesychii Glossas* quod attinet, constituerant iam olim eas edere JOH. CHRIST. BIELIUS, et is, qui Hesychium in paucis gnaviter pertractaverat, LUD. CASP. VALCKENARIUS. v. *Mutzenbecheri* praefat. ad *Bielii Thesaur. philolog.* To. I. p. 22. et *Valckenarii Schediasmata academica*, n. 3. Franequer. 1737. 4. E.]

XXVIII.

b) *Suidas.*

Secundus est SUIDAS. Huius autem lexicon toto genere distat ab Hesychiano. Quum enim Hesychio id esset propositum, ut non nisi singulares glossas cum aliqua explicatione poneret, Suidas suum illud lexicon etiam reale voluit esse, ita, ut admisceret historias, dogmata et sententias philosophorum antiquorum, insereret alias res, interdum vero etiam adspergeret

geret huiusmodi gloſſas cum explicatione aliqua. Quocirca multo rarius licet Suida in hoc genere uti, quam Heſychio, quum hic conſulto collegerit tales gloſſas, Suidas vero veluti per transcurſum et obiter adſperſerit. Editionem Suidae optimam curavit *Lud. Kuſterus.* [Cantabrig. 1705. III. fol.]

[Etiam SUIDAE Lexicon, ex diverſis auctoribus, praecipue e Scholiaſtis Ariſtophanis, Thucydidis et Apollonii Rhodii conflatum, nobisque in hac clade librorum veterum, propter hiſtoricas potiſſimum notitias et ſcriptorum vitas utiliſſimum, non integrum nunc habemus, quale ex manu auctoris venit, ſed mutatum, ut videtur, ab imperito homine et paſſim mutilatum. Fontes illius lexici ne quis forte indicari ſibi putet praefixa praefatiuncula, in qua undecim lexica antiquorum Grammaticorum deſignantur; eſt iſte catalogus non ab ipſo Suida fronti praeſcriptus, ſed additus a falſario, qui lexicorum illorum nullum viderat. Vere ita poſt HERM. CONRINGIUM in *Apologetico contra Borrichium*, p. 440. iudicavit D. RUHNKENIUS in diſſ. *de Longino*, §. XIV. p. 38. praemiſſa edit. Longini Toupianae; contrariam ſententiam defendente FABRICIO *Bibl. graec.* Vol. IX. p. 652. et ex parte iam KUSTERO in praefatione. De fontibus autem Lexici, in quibus etiam fuit *Photii*, Patriarchae Conſtantinopolitani onomaſticum, in lucem nondum protractum, optime disſeruit VALCKENARIUS ad *Theocriti Adoniazuſas*, p. 294. ſeqq. — Add. J. C. G. ERNESTI epiſtola ad J. F. Schleusnerum *de Suidae Lexicographi uſu ad criſin et interpretationem librorum ſacrorum*, Lipſ. 1784. 8. et JOH. LUD. SCHULZII *Specimen Obſervationum miſcellan. in Suidam*, cum proluſione critica *de Gloſſarii a Suida denominati indole et pretio*, Hal. 1761. 4. E.]

XXIX.

XXIX.

c) *Phavorinus et Etymologicum M.*

Addi his poteſt PHAVORINUS, cuius lexicon, ex variis auctoribus collectum, plane ſimile eſt gloſſario Heſychiano. Raro invenitur in eo aliquid, quod non et in Heſychio et in Suida exſtet. Quapropter multo etiam anguſtior fit ac limitatior huius lexici uſus. Caeterum nondum habemus editionem illius amplam ſatis et illuſtratam. Quae editio exſtat, ea prodiit, cum praefatione *Joach. Camerarii*, Baſileae a. 1538. Sed in ea ne umbra quidem alicuius notae apparet.

[Poſtea prodiit Venet. 1712. f.]

Pauciſſimae tantum gloſſae, quae ad Novum Teſtamentum pertineant, reperiuntur in ETYMOLOGICO MAGNO, quod in tradenda verborum etymologia occupatur.

[*Etymologicum M.*, quod ex duobus diverſis lexicis conflatum cenſebat *Valckenarius* ad Theocr. Adoniazuſas p. 204., editum eſt *cura et cum notis Friderici Sylburgii*, Heidelb. 1594. f., et corruptum multis modis, ex recenſione *Panagiotae Sinopenſis*, Venet. 1710. fol. Caeterum has omnes gloſſas idem, quem Auctor ſupra laudaverat, vir doctus perutili libello comprehendit: SUIDAE et PHAVORINI *Gloſſae ſacrae, graece. Cum ſpicilegio gloſſarum ſacrarum* HESYCHII *et* ETYMOLOGICI M. Congeſſit et illuſtravit *Joh. Chriſt. Gottlieb Erneſti*, Lipſ. 1786. 8. Add. *Alberti* Miſcellanea critica, adiecta Gloſſario Graeco in N.F. libros, L.B. 1735. 8. E.]

XXX.

XXX.

d) *Photius et Cyrillus Alexandrinus.*

Referri porro huc debent GLOSSAE PHOTIANAE *ex Onomaſtico inedito.* Sed quum in lucem nondum protractum illud ſit lateatque adhuc in bibliothecis, praeſertim Angliae; non licet uti, niſi fragmentis quibusdam, quae editores Heſychii (in primis autem Valckenarius ad Euripidis Hippolytum, et Ruhnkenius ad Timaeum) paſſim ex codice Britannico protulerunt et cum Heſychio compararunt. Denique etiam Wetſtenius interdum in ſuis ad Novum Teſtamentum notis ad illud provocavit. De eo vid. *Joh. Alb. Fabricii Bibl. Graec.* Vol. IX. p. 566. Caeterum PHOTIUS, ſi modo eſt libri auctor, eſt notiſſimus ille epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui ſaec. IX. floruit.

[Notitiam huius Onomaſtici in *Anglia* latentis uberiorem dedit *Joh. Alberti* in praefatione ad Heſychium, p. 37. Novam eius editionem promiſit *Ancherus* in *Sendſchreiben an den Hrn. Paulus, das ungedruckte Gloſſarium des Photius betreffend*, Hafniae 1792. 7. cfr. *Paulus* Bibliothek von Anzeigen kleiner akad. Schriften, To. III. P. III. a. 1792. p. 1. ſeqq. — Cum hoc Lexico Photii clar. *Ammon* ad Erneſti Interpret. p. 92. aliud confudit *Etymologicum Graecum*, quod ex bibliotheca Gudiana venit in *Guelpherbytanam*, et Photio illi male adſcribitur. Cfr. *J. C. Bielii* Epiſtola de Etymologico inedito, quod Photio vulgo adſcribitur, in Actis Eruditor. Supplem. To. VI. p. 253. ſeqq. Qui vir doctus opinatur, Etymologicum Gudianum ſimile eſſe Etymologico, quod in bibliotheca *Vltraiectina* aſſervetur. (v. *Saxii* Onomaſt. litterar. To. II. p. 159—163.)

Add.

Add. *J. C. Harenbergii* Diatribe epiſtolica ad Nic. Barkey de Photii Etymolog. Ms. in Bibl. Brem. nov. Claſſ. V. Faſcic. II. n. 5. p. 290. ſeqq. et ibid. To. VI. p. 133. ſeqq. et 278. ſeqq. — Caeterum *Joh. Alberti* ad calcem Gloſſarii in N. F. libros p. 322. ſeqq. ſcriptores indicavit, in illo Photii lexico paſſim laudatos. E.]

Addenda mentio CYRILLI *Alexandrini*, cuius Lexicon ineditum ſaepe commemoratur, et ab Heſychii editore conſultum eſt. Apparet ex editis illius fragmentis, eſſe plane tale opus, quale in Heſychiano gloſſario nobis eſt relictum. Partem huius Lexici non parvam publici iuris fecit *Chr. Frid. Matthaei* in *Gloſſariis graecis minoribus et aliis anecdotis graecis*, quae ex variis codicibus edidit et animadverſionibus illuſtravit, Mosquae 1775. 4. n. 2.

[Praeter haec Gloſſaria, recte monuit AMMON V. C. p. 72. non negligendas eſſe notas Scholiaſtarum auctorum graecorum. Inprimis commendaverim hoc conſilio ſcholia, quae ſcripta in Alexandrinos poëtas ſunt, e quibus ſane peti poteſt nonnihil praeſidii tum ad N. T. libros intelligendos, tum maxime ad verſionem V. T. Alexandrinam et libros Apocryphos. E]

XXXI.

Gloſſarum ſacrarum qui ſint fontes, quale pretium.

De Gloſſis, quas hactenus nominavimus et quodam ordine deſcripſimus, in univerſum tenendum eſt, eas eſſe ex antiquiſſimis Novi Teſtamenti interpretibus ductas, minimeque contemnendas (Ern. P. I. Sect. II. Cap. III. §. 31). Nemo igitur, qui Heſychium conſu-

consulit, existimare debet, reperturum se in eo, quod suo ipse ingenio ita explicarit; compilavit ille potius ex aliorum interpretum scriptis suum opus, et obscura diligentia congessit. Hoc palam fit, si quis cum eius lexico conferat Origenis, Chrysostomi, Theodoreti, Origenis reliquias, item Isidori Pelusiotae epistolas, in quibus saepe digito monstrari potest, quae et quomodo ille contulerit in suum opus. Solet v. c. Chrysostomus verbo obscuriori addere: *τί ἐστι τοῦτο*; *quid hoc sibi vult?* ac deinde subiicere explicationem. Veluti Col. I, 12. *venisse* dicimur *ad sortem hereditariam ἐν τῷ φωτί*, *per lucem*. Hic quaerit Chrysostomus: *τί ἐστὶ τοῦτο*; et addit: *ἐν τῇ γνώσει*, *per cognitionem*, *dum lux animi oritur*. Aut ubi occurrit: *ut sitis δόκιμοι*, quaerit: *τί ἐστι τοῦτο*; addit: *εὐάρεστοι*, *virtutis studiosi*. Quando igitur Hesychius et Suidas perlustrabant opera Patrum graecorum, inter legendum excerpebant hos locos cum additis explicationibus, eosque in alphabeticum ordinem redigebant. Sic oriebantur Glossaria illa, quorum omne pretium pendet ab auctoribus, e quorum libris Glossographus notas repetiit. Vnde si fuerint glossae illae e bono interprete desumptae, valebunt saepe ad adiuvandum, reperiendum, confirmandum sensum; neque tamen umquam obliviscemur, esse et hic mala mixta bonis.

[Permultae enim glossae magnam arguunt linguae inscientiam; aliae, tametsi non falsae sunt, tamen non sunt idoneae ad explicationem, propterea quod adiunctum synonymum perspicuitate non superat vocem, quae explicari debebat. Plurimae glossae casu potius et fortuito natae sunt, quam consilio factae; ab insciis aut semidoctis primum adscriptae codicum marginibus, deinde, non maiore cum iudicio, translatae in syllogas et glossaria. Inde vilissimae

saepe

ſaepe numero gloſſae excerptae, multae truncatae, aliae perobſcurae propoſitae reperiuntur. E.]

XXXII.

Gloſſaria ſingularia in N. T. libros.

Nec vero tales Gloſſae in iis ſolis exſtant operibus, quae nominavi; verum habemus et alia Gloſſaria in *ſingulos*, tum profanos, tum ſacros Novi Teſtamenti ſcriptores. Ita EROTIANUS et GALENUS ſcripſere *Gloſſas Hippocrateas*, quae difficiliora Hippocratis vocabula ſynonymis explicarent. Eae tum in editionibus Hippocratis quibusdam reperiuntur, tum ex recenſione *Henr. Stephani*, graece et latine cum multis animadverſionibus editae ſunt a *Joh. Geo. Fr. Franzio*, Lipſ. 1780. 8. — Pariter HERODOTO tribuitur *Gloſſarium*, in quo ex ſingulis libris excerpta ſunt difficiliora cum explicatione. Id optime editum cum animadverſionibus *Petri Weſſelingii* ad calcem Herodoti legitur. Praetereo alia huius generis.

Nam et in Novi Teſtamenti libros *peculiaria* ſunt *Gloſſaria* edita, in quibus rurſus ex ampliſſimis Patrum locis ſelectae reperiuntur gloſſae, quae ad illos libros pertineant, miſſis omnibus aliis.

Primum eiusmodi *Gloſſarium in N. F. libros* debemus JOH. ALBERTI ſtudio (L. B. 1735. 8.), quamquam ille omnia deinde rurſus intulit in Heſychii Lexicon.

Collectae porro ſunt *Gloſſae in Epiſtolas Paulinas*, quae ex ordine verſuum verba nonnulla obſcuriora recenſent atque explicant. Ex hoc genere ſunt, quae CHR. FR. MATTHAEI in *Gloſſariis graecis minoribus et aliis anecdotis graecis* (Mosquae 1775. 4.) vulgavit.

[Idem

[Idem V. D. alias *Gloſſas in Epiſtolas Apoſtol.*, comparatas cum Cyrilli Lexico Ms., e codicibus edidit in *Lectionibus Mosquenſibus*, Lipſ. 1779. Vol. II. p. 72. ſeqq. E.]

De ſtudio JOH. CHR. GOTTL. ERNESTII, hac in re collocato, ſupra diximus.

Add. *Fabricii* Bibl. Gr. Vol. X. init.

XXXIII.

Gloſſae in textu.

Atque etiam gloſſae, quae in textum interdum pro vera lectione irrepſerunt in codicibus nonnullis, poſſunt vel aditum facere ad intelligendum, vel copiam illuſtrandi et firmandi veras interpretationes (Ern. Part. I. Sect. II. Cap. III. §. 32). Scilicet quum v. c. Chryſoſtomus aliquod verbum explicaſſet, factum eſt haud raro, ut haec explicatio primum adſcriberetur marginibus, deinde ex iis in textum illata, veram et genuinam lectionem expelleret. Talia multa apparent in Wetſtenianis notis, quae ſub textu ſunt. Vt Luc. XI, 12. dicitur Deus petentibus ab ipſo dare πνεῦμα ἅγιον. Pro hoc eſt in codicibus: δῶρον ἀγαθόν. At haec non eſt varia lectio, ſed gloſſema: *utile aliquod bonum.* Luc. II, 25. eſt ἄνθρωπος εὐλαβής. Id e ſtilo Novi Teſtamenti verſionisque Alexandrinae eſt: *religioſus homo.* Pro eo in codicibus eſt εὐσεβής, explicatio mera. Sed hoc magis pertinet ad caput de Variis Lectionibus. Hic ſatis erat, attigiſſe paucis, quod poſſit interdum habere uſum exegeticum. Apparet enim, aliquem ſic explicuiſſe locum, eamque explicationem ita placuiſſe aliis, ut etiam in textum veniret.

De hoc ufu exegetico gloffarum plura funt disputata in JOH. FR. FISCHERI prolus. XXIV. *de vitiis Lexicorum N. T.*

XXXIV.

Admonitiones de ufu gloffariorum.

De *Gloffariis*, quae ordine fuo defcripfimus, eorumque ufu, duo maxime proponi folent praecepta (Ern. Part. I. Sect. II. Cap. I. §. 12):

I. *Quo est Gloffarium antiquius, eo est melius iudicandum eoque plus fidei meretur.*

Verum et hoc praeceptum, neceffe eft, iisdem limitibus circumfcribatur, quos fupra (XXIV. p. 113. f.) Scholiaftarum teftimoniis pofuimus. Simpliciter enim ab antiquitate ad bonitatem concludi nequit.

II. *Quo doctior fuit Gloffarii auctor, eo plus fidei meretur et auctoritatis.*

Sed eum fuiffe doctiorem caeteris, id nonnifi tractando libro et ufu diuturno difci poteft. Eft autem *doctrina* Gloffographi vel *ipfius*, quum ipfe eft auctor explicationum, vel *aliorum*, quum fuum Gloffarium ex libris aliorum compilavit; id quod de omnibus valet, quae hodie quidem nobis fuperfunt; fi modo illud fciremus femper, e quibus libris fingula compilaverint.

XXXV.

3. *è verfionibus.*

Vltimum denique praefidium directum, quo confirmari verborum fignificatus poteft, erat in *Verfionibus.*

bus (IV). De his nunc duo sufficiet tenuisse, quae *Ernestius* etiam §. 14. proposuit. *Primo*, quum versio alicuius libri bona exstat, ex ea sane peti potest adminiculum ad interpretandum. *Secundo*, ut adhibere illud adminiculum possim, necesse est, linguam accurate intelligam, e qua versio facta est. Verum illud maxime quaeritur, quae sit versio bona, cur et quo modo iudicanda sit, quo modo hinc derivanda adminicula interpretandi. Haec omnia, quae ERNESTIUS mire discerpsit, et per Interpretem suum dispersit (v. pag. 78. 126. et 160), unum in locum collecta, infra commodius pertractabuntur.

XXXVI.

Loquendi usus cognoscitur etiam ex iis, quae per occasionem interdum adsperguntur.

Praeterea etiam alia exstant, *per occasionem* tradita, quae possint utilia esse interpretationi. Adhibeantur ergo in auxilium etiam ii, qui vel *obiter* alterius linguae verba et genera dicendi obscuriora, praesertim iis, quibus ipsi scriberent, explicarunt, ut Cicero graeca multa, Dionysius Halicarnasseus latina; vel sua interdum ex alterius linguae scriptoribus sumpsere (§. 15.), ut locos aliquot ex Polybio sumpsit Livius, ut Homerum imitando expressit Virgilius, idem in bucolicis carminibus Theocritum &c. Similiter Novi Testamenti scriptores e textu Veteris Testamenti hebraico multa sumpserunt. — Sed ex omni illo apparatu citationum in N. T. obviarum quid tandem pertinet ad interpretandum?

I. Pertinent huc ea loca ex Veteri Testamento repetita, ubi in Novo explicationis aliquid accedit. Vel-

uti quae Jef. XL, 13. leguntur, ea funt comparanda cum 1. Cor. II, 16. [Luculentior comparatio inftituetur cum Rom. XI, 34.] In hebraicis eft: quis comparare, cognofcere poteft *Spiritum Domini?* In loco Paulino eft: quis cognofcere poteft *νοῦν Κυρίου*; h. e. *mentem*, *intelligentiam*, *confilium Domini?* Ergo apud Jefaiam *Spiritus* non eft tertia perfona trinitatis, fed mens divina: quod patet ex authentica loci illius explicatione.

II. Conferendi funt ii loci Novi Teftamenti, ubi Veteris Teftamenti verba proferuntur, non ex Alexandrina verfione, fed ex hebraico textu. Ita locus Matth. XIII, 18. non ex ifta verfione petitus, fed ab ipfo Matthaeo converfus eft.

XXXVII.

In primis cognofcendus eft character cuilibet fcriptori proprius.

Quae hactenus expofuimus, ea fere funt communia fcriptorum omnium, quorum nemo eft, in quo non liceat uti iftis praefidiis interpretandi. In his autem non acquiefcendum interpreti; fed cognofcendus etiam eft fcriptoris cuiuslibet character proprius, proprium idioma, eique convenienter verba explicanda (§. 16). Iam quia hic proprius fcriptoris character ineft in proprio loquendi ufu, in certa quadam fecta aut religione, in certa aetate, in gente et natione, quacum vixit, denique in genere fcriptorum, ad quod quis pertinet; noffe et confulere proprium fcriptoris characterem, nihil erit aliud, quam noffe ea omnia, quae fingulatim recenfuimus, eaque accommodare ad interpretationem. Quapropter id nobis agendum eft, ut fingula genera eorum, quae propria fcriptori cenfentur, accuratius pertractemus.

XXXVIII.

XXXVIII.

Ideoque a) *proprius ſcriptori loquendi uſus.*

Primo igitur ſi proprius ſcriptori eſt *loquendi uſus;* ſequitur, eum ex ſeſe maxime explicari debere: nam ſolus ita loquitur, caeteri aliter; ſolus in hoc libro ita loquitur; quorſum utamur caeterorum auctoritate? Sed haec ſcriptoris propria conſuetudo loquendi cognoſcitur *ſuo ipſius teſtimonio*, vel *diſerto* illo, quando definitiones verborum a ſe uſurpatorum proponit, mentemque diſertis verbis ſuam explicat, vel *implicito*, quum per deſcriptionem uberiorem rei docet, quid ipſe ponendo verbo aliquo intellexerit. Ad hoc implicitorum teſtimoniorum genus referri etiam poteſt tum *parallelismus verborum*, cuius adminiculo diſcitur, quo modo ſcriptor ſua verba aliis locis explicet, tum *parallelismus rerum*, quo eadem res aliis verbis exprimitur. Sic formula illa καταλλάσσειν τὸν κόσμον nullus utitur ſcriptor Novi Teſtamenti praeter Paulum. Vult autem Paulus hoc, Deum inter ſe hominesque mutuam feciſſe amicitiam et benevolentiam. Qui ſenſus verborum unde intelligatur, niſi adſit rerum parallelismus? Denique ad uſum loquendi alicui proprium cognoſcendum faciunt et *Gloſſaria*, in eum ipſum ſcriptorem, quem tracto, proprie ſcripta.

XXXIX.

b) *propria ſcriptori ſecta et religio.*

Non difficile eſt intellectu, quare et hoc ſcriptori ſit proprium, quod in ipſius *ſecta aut religione* eſt. Quaelibet enim religio habet quaedam ſibi propria, ſicut quaelibet ſecta et ars; ut adeo neceſſe ſit, in eo, qui religionis et ſectae alicuius aſſeclam ſe profitetur,

propria multa inesse, quum in rebus describendis, tum in singulis etiam vocabulis. Recte itaque praecipitur, non esse quemlibet scriptorem explicandum ex quolibet et cuiuslibet disciplinae scriptore, sed ex eo, qui eamdem artem, disciplinam, sectam et religionem habet. Et quemadmodum scriptori sectae Platonicae lux est quaerenda ex Platonicis: ita scriptores de divina religione sunt ex similibus interpretandi, ideoque Veteris Testamenti scriptores ex scriptoribus Novi, Apostoli ex Evangelistis, Evangelistae ex Evangelistis et Apostolis. Eodem modo in singulis. Multa Paulus dicit de secta *Pharisaica;* haec oportet nos explicare ex scriptoribus aequalibus de illa secta. Talis autem antiquus scriptor est JOSEPHUS, et ipse Pharisaeus, in cuius praesertim libro, quem de vita sua conscripsit, et *H. P. C. Hencke*, Prof. Helmstadiensis, seorsum edidit (Brunsvici 1786. 8.), magna pars disciplinae Pharisaicae verborumque, quibus illa usa est in rebus singulis, continetur. Similiter Coloss. II. sermo est de aliquo genere hominum, qui prae se ferant cultum aliquem Dei excellentiorem, quam pro humano ingenio humanisque viribus. Hi sunt ex illa, quae *Therapeutarum* secta dicitur. De hac adeundus est PHILO, scriptor coaevus Paulo, qui de Therapeutis singularem libellum composuit, omnesque eorum ritus atque universam disciplinam descripsit.

XL.

c) *propria scriptori aetas.*

Porro quoniam propria est scriptori aetas; sequitur, quemlibet ex suae aetatis scriptoribus esse interpretandum, non e recentioribus, non ex antiquioribus, neque ex omnibus promiscue. Huc autem pertinent:

1. *ritus.*

1. *ritus.* Etenim ritus illius aetatis, qua vixit aliquis ſcriptor, procrearunt verba multa formulasque illi ob aetatem ſuam proprias. Quodſi ſcriptores Novi Teſtamenti explicentur e ſcriptoribus coaevis tam graecis, quam latinis; facile etiam intelligentur *alluſiones* multae, e ritibus illi aetati propriis ductae. Nec vero ſatis eſt, interpretem ex aliquo ſcriptore explicare ritum aliquem iudaicum, aut graecum, aut romanum: illud quaeritur, num illa aetate, qua ſcriptor vixit, hic ritus, qui nunc enarratur, etiam revera fuerit, annon aut antiquior ſit aut recentior. Et in ritibus quidem Judaeorum explicandis interpretem oportet diligenter discernere iudaicas antiquitates ab hebraicis, ita, ut *hebraicae* ſint primae aetate, quae pertineant ad tempora Moſis, Iudicum, Regum; *iudaicae* contra, aetate poſteriores, referantur ad tempus exilii Babylonici. Operae igitur pretium fecit HENR. EHRENFRIED WARNEKROS, qui in libro, quem inſcripſit *Entwurf der hebräiſchen Alterthümer* (Vinar. 1782. 8.), diſtinxit priſcae aetatis hebraicos ritus a iudaicis ſequioris aevi, quos etiam in Novo Teſtamento reperimus.

[Plures libros, qui huc pertinent, indicavimus ſupra pag. 15. E.]

2. *uſus loquendi.* Nam et is ex aetate cuiuslibet ſcriptoris multa habet propria, variaturque temporis ſucceſſu. Expedita autem eſt (§. 17.), ac per ſe plana regula, quae et hic communi ſe ſenſui obtrudit, non eſſe ſcriptorem quemque e ſcriptoribus quibusque, antiquioris aut recentioris aetatis, explicandum, ſed ex aequalibus maxime et coaevis. Quamquam enim, ut exemplo utar, in univerſum verum eſt, innumera verba inde a Platone usque ad Aelianum eadem ſignificatione uſurpata fuiſſe: tamen id non valet de omnibus;

 unde

unde neceſſitas oritur conſulendorum ſcriptorum, qui coaetanei ſunt. Quod ſi ad Novi Teſtamenti libros transferamus, nonne Joſephus et Philo ad cognoſcendum loquendi uſum, in iis obvium, plus facient, quam Xenophon et Plato, quippe qui iſtis ſcriptoribus non fuerunt aequales? Atque ut in Novo Teſtamento paſſim ſpiritus dicitur παράκλητος ἡμῶν; ita ipſi illi παράκλητον dicunt ita, ut appareat luculentiſſime, iſto tempore et graece et hebraice פְּרַקְלִיט vel פְּרַקְלִיטָא vocabulum uſurpatum de eo fuiſſe, *qui in auxilium ſumeretur, qui eſſet adiutor.* Ob eamdemque cauſſam cavendum eſt, ne libros Novi Teſtamenti e Patribus graecis, qui inferiores ſunt Apoſtolorum aetate, explicemus. Saepe enim Patres iisdem verbis cum ſcriptoribus ſacris utuntur, ſed ſenſu longe diverſo. Sic v. c. πνευματικῶς apud iſtos nihil aliud eſt, quam *allegorice, non litteraliter;* eodem modo multi voluerunt etiam in Novo Teſtamento illud πνευματικῶς explicare, lapſi errore exegetico-chronologico. In Novo Teſtamento *illuminati* dicuntur ii, qui cognitione religionis imbuti ſunt; ſed in Patribus graecis ita appellantur *baptizati.* Inde Patres saepe numero ipſi errarunt, dum ex ſua recentiori conſuetudine loquendi explicarent Novi Teſtamenti libros. Ita ex Hebr. VI, 4. dogma eruerunt plane falſum, docentes, baptizatos (nam ita ceperunt vocabulum φωτισθέντας), qui fiant apoſtatae, non poſſe ſe convertere ideoque nec recipi debere in coetum Chriſtianum. Fit etiamnum ſaepenumero, ut ex noſtris compendiis dogmaticis explicemus illos primorum ſaeculorum ſcriptores N. T., tametſi non raro in definitionibus compendiorum vocabula ſumantur multo anguſtiore ſenſu, et ipſae illae definitiones recentiori tempore conſtitutae ſint. Quid? quod ipſa ſermonis noſtri quotidiani conſuetudo, ſi transferatur ad libros ſacros, pervertere ſenſum ſcriptorum

rum poteſt atque obſcurare. Nos quum dicimus *maritum unius uxoris*, intelligimus eum, qui non eſt polygamus: ſed longe diverſo ſenſu de epiſcopo occurrit 1. Timoth. III, 2. diſcimusque ex aliis monumentis hiſtoricis, eum ſic fuiſſe appellatum, qui non ſecundas contraxiſſet nuptias, qui ſemel tantum matrimonium iniiſſet.

3. *modus cogitandi, qui fuit ſcriptoris aetate.* Quaelibet enim aetas habet ſuum cogitandi modum de rebus politicis, litterariis, etiam moralibus, qui modus varie afficit linguam redditque diverſum uſum loquendi. Et Judaeis quidem modus cogitandi et loquendi fuit proprius vel *per omnes*, vel *per certas quasdam aetates*. Exprimunt v. c. illam coniunctionem (relationem), quae inter Deum et homines intercedit, nomine foederis; neceſſitudinem, quae inter Deum et homines eſt, appellant regnum; neceſſitudinem, quae inter Deum et Judaeos fuit, appellant regnum Dei in Judaeos. Ergo adſcribitur Deo palatium, tribuitur thronus, ſunt miniſtri adſtantes throno, atque haec omnia deinde transferuntur ad Judaeorum urbem et templum. Eodem modo illud iudicandum eſt, quod res adverſas, morbos nominatim, tractant ut poenas; quod ſanationem ſpectant ut veniam peccati, quae, ſublata illius poena, contingat hominibus; quod, quicquid eſt in Dei providentia mundique adminiſtratione obvium, ab ipſo Deo dicunt effici et agi, quaſi ille ſit cauſſa efficiens, etiamſi ſatis clare apparet, eum non poſſe cauſſam eſſe efficientem caecitatis, ſcelerum, perverſitatis, ἀπιςίας; quod futuram vitam deſcribunt et exprimunt rebus iis, quae ſunt ex hac vita depromptae, convivio, laeto conventu, ſimilibus. Atque haec valent de *omnibus* Judaeorum aetatibus. Iam fuit praeterea etiam cogitandi modus, Judaeis proprius *certa*

 tantum

tantum *aetate*. Sic Christus, quoad vitam pro genere humano deposuit, cogitatur sic, ut comparetur cum sacrificiis. Hinc dicitur victima; dicitur sacerdos victimam offerens, dicitur intrasse in sanctum sanctorum, et quae sunt alia huius generis. Valuit autem ille cogitandi hac de re modus maxime Apostolorum aetate. Atque ut coeptus erat gentis illius futurus servator Davidi similis Rex nominari: ita omnis illius exspectatio rursus erat exspectatio Regis. Iam coetus eius erat regnum, omniaque, quae de eo dicuntur, ut de regnante traduntur.

[Vtinam b. Auctor pluribus exposuisset de ratione, qua scriptores sacri N. T. sequuti sint cogitandi modum, qui viguit ipsorum aetate, sermonesque suos ac scripta ad captum atque intellectum vulgi accommodaverint! Sed nec ERNESTIUS hunc locum, qui latissime patet, in Interprete suo attigit, mirante iam Venerabili TELLERO in libello: *Joh. Aug. Ernesti's Verdienste um die Theologie und Religion*, Berl. 1783. p. 10. Necesse igitur erit, infra de his monere, ubi *historicae interpretationis* ratio exponetur et commendabitur. E.]

XLI.

d) *propria scriptori gens et natio, in qua vixit.*

Quum porro docemus, habere scriptorem quemlibet sibi propria ex *gente* ac *natione*, in qua vixerit; rursus hic omnia tum ad ritus singularum gentium, tum ad cogitandi modum illis usitatum referuntur. Ita in legendis interpretandisque Novi Testamenti libris, res ipsa loquitur, *rituum* iudaicorum, graecorum et romanorum notitiam ex iis esse scriptoribus petendam, qui

qui gente quidem fuerint Judaei, ſed inter Graecos tamen et Romanos vixerint. Inde ERNESTIUS etiam in ultimo *Interpretis* ſui capite non contemnendam ſyllogen fecit rituum omnium, quorum fit mentio in Novo Teſtamento. Multa etiam inſunt in ISAACI CASAUBONI *Exercitationibus XVI. ad Cardinalis Baronii Prolegomena in annales* (Genevae 1655. 4.) et in JOSEPHI SCALIGERI *opere de emendatione temporum* (Genev. 1629. f.). Quibus in libris dixerim propemodum plus reperiri diligentiae ac praeſidii ad interpretandum, quam in compendiis de induſtria hoc in genere ſcriptis. (v. ſupra pag. 15.) Sed in ea quaeſtione, cuius gentis ac nationis fuerit aliquis ſcriptor, etiam *modus cogitandi*, nationi illi proprius et uſitatus, diligenter reſpiciendus eſt. Qua de re quum paulo ante (XL.) quaedam adſperſerim, iuvat nunc unum illud adiicere, derivandum ex hoc fonte eſſe morem ſcriptorum, qui tropos a certis rebus lubentiſſime depromant. Nam quae gens paſtoritiae vitae dat operam, omnia fere tropica ab his rebus repetit; ſicut ab agrariis rebus, aut militaribus, aut mercenariis, aut maritimis tropos ſumunt gentes, quae his potiſſimum negotiis occupantur. Hinc nonne ſunt derivandae tot rerum deſcriptiones, quae ad Deum pertinent, repetitae a paſtore? Hinc nonne grex commemoratur, paſcua, pabulum, prata? Quibus imaginibus omnino Dei adverſus gentem ſuam amor ac benevolentia deſcribitur.

Caeterum exſtant in eam rem obſervationes in JOH. AUG. NOESSELTI *Anweiſ. zur Kenntniſs d. allgem. Bücher in allen Theilen d. Theol.* (ed. III. Lipſ. 1790. 8. p. 98.), ut et in omnium illorum libris, qui e iudaicis et rabbinicis ritibus illuſtrare libros ſacros inſtituerunt.

Pari

Pari confilio THO. HARMER librum fcripfit: [*Obfervations on divers paffages of Scripture, placing many of them in a light altogether new — by means of circumftances — mentioned in books of Voyages and Travels into the Eaft*, Ed. II. Vol. I. II. Lond. 1776. Vol. III. IV. 1787. 8.] Quem librum JOH. ERN. FABER germanicum fecit (*Beobachtungen über den Orient aus Reifebefchreibungen, zur Aufklärung der h. Schrift*, Hamb. 1772.), et aliis deinde duobus tomis auxit [proprio ftudio confcriptis, quum Anglici quidem operis non nifi priora duo volumina vertiffet. His adde libros, quos pag. 15. memoravimus.]

Neque ignoratur variorum itinerariorum utilitas ad eam rem, ut cognofcamus maxime domefticos mores coniunctumque cum his modum cogitandi, genti ufitatum, dedifcamusque e noftris moribus metiri ea, quae toto coelo ab iis diftant.

[Commendantur in primis interpreti librorum facrorum *Voyages du Chevalier* CHARDIN *en Perfe et en autres lieux de l'Orient*, Amfterd. 1735. IV. 4. FR. HASSELQUIST *Reife nach Paläftina*, Roft. 1762. 8. CARST. NIEBUHR *Befchreib. von Arabien*, Copenhag. 1772. 4. Ej. *Reifebefchreib. nach Arabien und den umlieg. Ländern*, 1774. 1778. II. 8. *Voyage d'Egypte et de Nubie*, *par* FR. L. NORDEN, Copenh. 1755. II. f. (german. verf. et in compendium redact. Berl. 1779. II. 8. fine mappis geograph.) *Voyage en Syrie et en Egypte* — par C. F. VOLNEY, Par. 1787. II. 8. (vertit *J. Gotth. Schneider*, Jen. 1788. II. 8.) *Die Sitten der Beduinen Araber; a. d. Franz. des* R. ARVIEUX, mit Anm. und Zufätzen v. *E. F. Rofenmüller*, L. 1789. 8. *Defcription of the Eaft and fome other Countries*, *by* RICH. POCOKE, Lond.

Lond. 1743. II. f. (german. verſio emendatior prodiit, Erlang. 1771 — 73. III. 4.) E.]

XLII.

e) *proprium ſcriptori argumentum et genus ſcribendi.*

Habet denique quilibet ſcriptor multa ſibi propria propter *genus ſcriptorum*, ad quos pertinet. Genus autem ſcriptorum iudicatur tum *argumento*, tum *charactere* maxime *orationis*, quem vocamus (§. 17).

Ac de *argumento* quidem nulla eſt dubitatio. Praecipimus enim ſaepenumero, hiſtoricos eſſe ex hiſtoricis, poëtas ex poëtis interpretandos, quoslibet ex ſui ſimilibus. Quamquam hoc non eam habet vim, quaſi hiſtoricus *non niſi* ex hiſtoricis poſſit explicari, orator *non niſi* ex oratoribus. Sed explicandus eſt hiſtoricus ex ſui ſimilibus in *narrationibus* et in *ſimplicitate narrandi*, ne, ubi narrat, ibi cenſeatur improprie loqui, ut poëta; ne ubi ſimpliciter narrat, cenſeatur fictione uti. Non debemus itaque ex hiſtoria Moſis allegoriam facere aut fictionem, ſed explicare narrationes eius ut res in facto poſitas, quo modo explicare ſolemus hiſtoriam Herodoti. Pariter oratores ex oratoribus explicandi ſunt; non, quo orator omnino nequeat ex philoſophis et hiſtoricis interdum explicari, ſed quod in *oratoriis locis* iisdemque affectu plenis, in deſcriptionibus, in exornationibus, in argumentationibus oratorem ex oratore explicare conſentaneum eſt.

Par habenda eſt ratio *characteris*. Facit autem characterem ſcriptoris hoc, quod ille aut *inventor* eſt aut *imitator*. Scriptor aliquis eſt *inventor* (nos dicimus *Originalſchriftſteller*), quum ſuum habet ſingularem cogitandi

gitandi et ſcribendi modum, quem ipſe pro ſuo ingenio ſibi formavit, ita, ut, quod nos certe ſciamus, primus ſit in hoc genere. De HOMERO res nota eſt omnibus. Sed tales etiam ſcriptores ſunt THUCYDIDES et TACITUS, qui ut ſunt ex genere eodem, ita *ſuum* habent *modum cogitandi*, valde illum ſeverum et gravem, ſecundum quem de omnibus rebus iudicant. Habent etiam *ſuum loquendi ſcribendive modum.* Nil enim difficilius eſt Thucydide; nil laborioſius Taciti lectione, propter brevitatem inſignem et hinc natam obſcuritatem. Hunc modum ſingularem ſibi quisque formavit *pro ſuo ingenio:* nos ſaltem non ſcimus antiquiorem. Pariter in ſcriptoribus ſacris praeter MOSEN talem ſingularem characterem habent JESAIAS, quem omnes propemodum Prophetae imitatione expreſſerunt; DAVIDES, in cuius canticis fere inſunt preces, querelae, declaratio ſummae fiduciae in Deo poſitae, laudes Dei, uno verbo: *Empfindungen;* ASSAPHUS, in cuius carminibus tractatur potius aliqua ſententia, v. c. neminem eſſe ante obitum beatum, divitias non poſſe quemquam liberare a iudicio Dei aut moriendi neceſſitate (quam ſententiam Aſſaphus in primis repetit verſatque in omnem partem, non ſine magna copia verborum), ita, ut character horum canticorum cernatur in eo, quod nos appellamus *Betrachtungen.* E ſcriptoribus Novi Teſtamenti addi poterat PAULUS et prae caeteris JOHANNES, ſi uberius haec perſequi nunc liceret.

Venimus ad characterem *ſcriptoris imitatoris.* Etiam hic res ad exempla redit. Conſtat, Graecorum et *tragicos* et *epicos poëtas* pendere omnes ab imitatione Homeri, neque intelligi ſine hoc poſſe. Pariter *hiſtorici* verſantur in THUCYDIDIS aut XENOPHONTIS imitatione. Qui ornate ſcribere voluerunt, omnes

ſequuti

fequuti funt imitatione PLATONEM. Vnde etiam in philologiae ftudio accuratiori tales fcriptores cognofcendi funt primo loco, ut fontes omnis graecitatis, caeterique ordine quodam chronologico legendi; quoniam, fi inceperimus ab eo, quem omnes deinde expreſſerunt in hoc genere, facile, quod reliquum eft laboris, profligatur in caeteris. In libris facris MOSES eos habuit imitatores fere omnes, qui hodie vocantur hebraici fcriptores. Sic Deuter. XXXII. aliquod illius canticum proponitur; quod quis non exprimere ftuduit et imitari in Pfalmis ac propheticis libris? Deuter. XXVIII. fervantibus legem aut negligentibus commoda aut incommoda longa ferie praedicuntur. Ex hoc loco quis non petiit multa, ubi fermo effet de praemiis fervatae, poenis violatae legi conftitutis? Venerunt adeo hinc multa in fermonem populi, ut talia: *das Land bewohnen; unter dem Feigenbaum ficher fitzen* &c. De JESAIA fupra monui, et hodie fatis notum eft, lectionem eius effe praefidium ftili omnium Prophetarum facilius intelligendi. Omnes, qui poft DAVIDEM fcripferunt, ex eo fumpfere varias formulas loquendi. Neque fane mirum eft, fi qua in gente fcriptor aliquis in primis excelluiffet, ex eius libris derivaffe deinde alios multa in fuos, feque ad exemplar illius plane compofuiffe. Caeterum cadere hoc non poteft in Novi Teftamenti fcriptores, in quibus quamvis emineant nonnulli proprio quodam charactere, tamen nulla eft inter eos orta imitatio.

Ex his omnibus, quae disputavimus, apparet, characterem orationis effe vel certae aetati aut genti communem, vel certo fcriptori proprium, vel a certi fcriptoris imitatione ortum.

[Etiam haec, quae univerfe et fummatim funt tradita de *characterum proprietate*, operae pretium erat,

erat, ad ſcriptores N. T. accuratius accommodare. Pendet enim ab hac re et intelligentia illorum, et rectum de iis iudicium, omninoque Hermeneutices ſacrae etiam hoc eſt, declarare, quae ſit ſcriptorum divinorum ſimilitudo, quae diverſitas, unde orta utraque, et quid inde ad interpretationem illorum derivandum ſit. Vltimae quaeſtioni ſatisfacient obſervationes, quae paſſim ſunt de recta et utili comparatione ſcriptorum adſperſae. Ad tres priores autem quia nusquam in hoc libro b. Auctor rediit, eas hoc loco paucis attingere conabor, non ſolum, ut quodam modo inſigniantur ii N. T. ſcriptores, quos b. MORUS monuit *proprio charactere eminuiſſe*, verum etiam ut appareat, an et quatenus verum ſit, quod idem negavit, *nullam eſſe inter illos ortam imitationem.*

Nimirum CHRISTUS ipſe quum eam doctrinam, cuius partes ante ipſum iam multis eſſent cognitae, tum auctoritate ſumma firmare, tum nova donare luce, atque in complurium hominum notitiam adducere inſtitueret, quantum ex ipſius ſermonum reliquiis, per evangelia conſervatis, iudicare licet, ſimpliciſſima et ad populi captum accommodatiſſima uſus eſt docendi methodo, familiari magis, quam artificiali. (v. *Henkii Lineamenta inſt. fid. chriſt.* p. 43.) Sed diſcipuli eius et ſectatores, pro ingenii inſtitutionisque diverſitate, coeperunt iam doctius explicare doctrinae per illum publicatae nonnulla capita. Atque in his eminent maxime, quos b. Auctor nominavit, PAULUS et JOHANNES. Quorum in ſcriptis ſub tractationis elocutionisque diverſitate rerum delectarum traditarumque ſimilitudo latet maxima. Neque id mirum; quamquam nec Paulus Johannem legerit, neque Johannes Paulum ſit

imita-

imitatione consectatus. Verum Paulus Apostolus quum ipse non fuisset cum Christo his in terris versatus eiusque usus disciplina, nec haurire sua posset ex Evangeliis, quae nulla tum erant; cognitionem religionis petiit ex ea institutione, quae populo iudaico a Christo impertita, multorum adhuc in memoria et sermonibus vigebat. Nec sane fieri poterat, ut Gamalielis discipulum, Hierosolymis commorantem, lateret doctrina, quae ista aetate tantopere celebraretur. Huius autem doctrinae explicatione quemadmodum Paulus eos potissimum erudiit, qui cogitandi quamdam peritiam sibi et sollertiam comparavissent: ita Johannes quoque iis maxime scripsit, qui varia iam scientia essent aucti. Hinc magna utriusque scriptoris similitudo et convenientia, valde proficua diligenti interpreti. Tamen alia fuere, quae discriminis multum inter eos importarent, sita tum in disciplina, cui uterque addictus fuit, tum in scribendi consilio. Johannes enim, si non omnino et aperte impugnavit sectam et opiniones Cerinthi, quod nuper etiam venerabilis theologus, *Paulus*, negavit, tamen passim videtur tecte ad eas respexisse, retinendo quoque hic illic loquendi usu, qui Cerinthianis placuisset. Paulus contra iudaicae philosophiae habitum christianae doctrinae induxit. Quamobrem quae in Johannis evangelio naturali simplicitate retinent lectorem, mulcentque et suaviter commovent animum, in Pauli epistolis artificiosius definita, illustrata, confirmata erudiunt ingenium, pectus implent, nec raro sua obscuritate (2. Petr. III, 16.) acriorem attentionem postulant. Ac magis patescet Johannis character, si, quantum intersit *inter huius et caeterorum Evangelia*, diligenter attendatur. Johannes enim, proprium plane et peculiarem nactus τρόπον παιδείας

Baptiſtae cognominis diſciplina, e qua prodierat, in multisque Zabiae ſcholae ſermonem ſequutus, non modo Judaeorum uſibus inſervivit, qui platonicae et zoroaſtricae doctrinae placita cum popularibus commentis ſic coniunxerant cabbaliſtica arte, ut novam ſibi γνῶσιν produxiſſent, verum etiam alienus fuit ab imitatione aliorum, excultusque ipſe ingenio, cultius ſcribendi genus adhibuit. Caeteri Evangeliſtae libros ſuos vulgo Chriſtianorum deſtinarunt, popularem ſequuti modum ſcribendi, et commentariis uſi eorum, qui ad vulgi ſe captum et conſuetudinem dederant. His adde, ut indolem Johanneorum ſcriptorum recte diiudices, ingenii et imaginationis facillimam agitationem, animique tenerrimi affectum, elucentem utrumque ex imaginibus et comparationibus, quas ſectatur, e paradoxis, quibus attentionem acuit, ex aculeis denique, quos in animis lectorum relinquit. Animadvertes, Chriſtum in Johannis evangelio doctori Alexandrino-iudaico ſimiliorem eſſe, quam Palaeſtinenſi, qualem caeteri Evangeliſtae eum exhibent, ſermonesque ferere non didactica methodo, ſed familiariter et dictitante ſenſu animi. De caeteris Evangeliorum ſcriptoribus non opus eſt ſingulatim disſerere. Quamquam enim eſt illorum aliquod discrimen, tamen non tantum inter ſe diſsident omnes, quantum LUCAS a ſe ipſe diverſus eſt. Etenim in Evangelio, quoniam pependit a fide et narratione aliorum, ſtilus eius abruptior eſt, aſperior, prorſus hebraizans; in Actis, in quibus ſuam ipſe ſibi narrationem texuit, puriore ac beatiore copia fluit. — Reſtat admonitio de epiſtolis JACOBI, PETRI et JUDAE. In quibus quae facile obſervatur non modo ſententiarum, argumentorum et cohortationum, ſed ipſius quoque ſermonis maxima conſenſio et conſpiratio, ea vel ad communem fontem

tem nos ducit, e quo omnes ſimili conſilio iisdemque temporibus hauſerint, vel mutuae imitationis ſtudia agnoſcere iubet. Verum haec omnia e libris ſubtiliſſimorum interpretum, qui noſtra aetate ſcripſerunt, plenius diſcenda ſunt. Apparebit, puto, ex iis, ad quae digitum intendi, qui fuerint inter ſcriptores N. T. *inventores*, ut MORI verbo utar, qui *imitatores*. Nam ea nunc ne tangam quidem, quae GRIESBACHIUS, Vir Summus, duobus libellis, Jenae 1780 et 1780 in lucem emiſſis, inſertisque nuper non ſine recognitione et novis additamentis *Velthuſenii* caeterorumque *Commentationibus theologicis*, Vol. I., hoc conſilio disputavit, ut MARCI Evangelium totum eſſe e Matthaei et Lucae commentariis decerptum, ad eorumque normam haud raro etiam in ſingulis loquendi formulis compoſitum, oſtenderet. E.]

CAPVT SECVNDVM.

DE SENSVS REPERIENDI RATIONIBVS VSVS SVBSIDIARIIS.

I.

Quare uſus loquendi non ſemper ſufficiat.

Variae ſunt cauſſae, propter quas uſus loquendi, de quo hactenus egimus, nullo pacto ſufficiat, neque ad ſignificationem alicuius verbi conſtituendam, neque ad ſenſum loci inveniendum (§. 1).

Primum enim ſufficere uſus non poteſt in *verbis rarioribus aut ſemel tantum obviis.* Quippe in his prorſus deſtituimur exemplis et teſtimoniis; illa autem etſi hic illic reperiantur in aliquo libro, tamen pauci illi, ubi occurrunt, loci poſſunt eſſe obſcuri.

Deinde non ſufficit uſus *propter πολυσημίαν*, h. e. quoniam uſus eadem aetate, eodemque in ſcriptore varius eſt atque inconſtans. Iam poteſt quidem uſu loquendi cognoſci, quae ſint alicuius verbi ſignificationes plures; ſed quaenam ex illis pluribus *hoc loco* debeat praeferri et eligi, id aliunde cognoſcendum eſt.

Denique non ſufficit uſus *propter rerum obſcuritatem aut novitatem.* Ita *obſcura* ſunt vaticinia, quae aliquot ſaeculis ante de futuris rebus loquuntur. Etſi enim in ſumma id dicitur, eventura eſſe laeta aut triſtia: tamen rurſus quaeritur, quaenam ſint haec laeta, quaenam

nam triſtia. *Obſcura* ſunt, neque certo definienda, quae dicuntur de reditu corporum in vitam, de conditione et ſpecie illorum corporum: quippe et hic de futuris rebus ſermo eſt. Porro, ubi de ipſa Dei natura eiusque attributis ſermo eſt, nonne hic quoque caecutimus, et omnia noſtro loquendi more exprimimus? — Pariter, ubi de *rebus novis* ſermo eſt, ibi inveniuntur etiam nova verba, velut in deſcribendis inventis Phyſices. Similiter in religione, ubi ſermo eſt de *πίστει εἰς Χριστὸν, εἰς τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ* &c. quod nullo modo pendet ex uſu loquendi linguae graecae. Quid enim ſit *πίστις*, h. e. quae ſint vocabuli ſignificationes, docet me uſus loquendi; ſed quid ſibi velit *πίστις εἰς Χριστὸν*, id aliunde diſcendum eſt.

Accedit ad haec, quod *ſcriptor interdum ipſe uſum loquendi neglexit.*

[Quod factum in primis eſſe conſtat ab Helleniſtis, de quorum ſermone infra dicetur. E.]

II.

Rationes uſus ſubſidiariae.

Quae quum ita ſint, aſſumendae et quaſi *in ſubſidium vocandae ſunt aliae rationes*, per quas elici vera verborum ſignificatio eruique verus locorum ſenſus, ſine uſu per teſtimonia cognito, poſſit. Ac de his rationibus ſubſidiariis nobis nunc eſt praecipiendum.

III.

1. *Orationis contextus*, *patens* a) *e ſcopo ſcriptoris.*

In his ſubſidiariis adminiculis primum eſt, quod *orationis contextu* utitur, idque modo multiplici. Pri-

 mum

mum comparando orationis universae consilio, quem vulgo *scopum* dicunt (§. 2). Hic enim pertinet sine dubio ad orationis contextum, estque illius pars, ad quam oratio ipsa refertur. Respiciendum autem est ad hunc scopum, quoniam, ut in vita communi quilibet praesumitur esse bonus, ita scriptorem bonum et prudentem, non credibile est, sine scopo scripsisse, aut dixisse aliter, quam consilium dicendi pateretur.

IV.

Vnde scopus intelligatur.

Hic vero quaestio ea oritur, quam plane praeteriit ERNESTIUS, quo modo et per quae adminicula possit iudicari scriptoris consilium. Intelligetur id et iudicabitur

1. *e diserta commemoratione scriptoris*, et ex hac quidem omnium certissime. Si quis enim diserte dicit, se nunc hoc consilio scribere; negari nequit, hunc esse scopum scriptoris. Id autem valet partim de integris libris, partim de singulis locis. *De integris libris:* — Sic Johannes sub finem evangelii sui dicit (cap. XX, 31.), esse hunc librum a se scriptum, ut persuadeatur omnibus, Jesum esse Messiam. Cum hoc igitur consilio coniungi debent omnes sermones Christi, ad illud revocari, quaecunque Johannes scripsit. Similiter *in singulis locis.* Quum v. c. 1. Cor. VII. incipiat in hunc modum Paulus, se nunc dicere velle, de quibus Corinthii per epistolam ipsi quaestiones proposuerint; apparet, per integrum caput ad quaestiones propositas responderi. Iam versatur illud caput etiam in eo, non videri consultum, inire matrimonium. Hoc per se, absolute positum, quî potuit ab Apostolo scribi?

Sed

Sed e commemoratione ſcopi intelligitur, eum non voluiſſe hic dogma, aut univerſale quoddam de moribus officiisque praeceptum, tradere, ſed reſpexiſſe ad propoſitam ſibi quaeſtionem huiusque reſpectu iudicaviſſe, quatenus his temporibus calamitoſis conſultum ſit, aut non, inire matrimonium.

2. *Cognoſcitur ſcopus ſcriptoris animadvertenda occaſione, quae ei ſuppeditata eſt.* Quum v. c. temporibus Apoſtolorum permulti eſſent, qui errores ſpargerent et Judaismum defenderent; oportebat Apoſtolos saepenumero contra hos errores dicere, et oppugnare Judaiſmi defenſores. Talis error occaſionem hiſtoricam praebuit toti epiſtolae ſecundae, quae a Petro ſcripta eſt. — Ex eodem genere multa ſunt in Chriſti parabolis. Cui quum proponitur aliqua quaeſtio, aut exprobratur aliquid, veluti, quod ipſe verſetur cum hominibus ſceleſtis; hac re occaſio ei praebetur reſpondendi, aut defendendi ſeſe per parabolam. Nonnunquam etiam ubi Apoſtoli aliquo errore laborant, Chriſtus per parabolas eos docet ſecus ſtatuere. — Pariter in multis vaticiniis Veteris Teſtamenti initium fit ab eo, fore, ut hoſtes bellum gerant contra Judaeos. Apparet, occaſione belli proponi vaticinia. — Inde etiam ſunt admodum utiles Pſalmorum inſcriptiones, in quibus notatur, quo quodque canticum tendat, quo conſilio ſcriptum ſit. Omnino autem haec via, animadvertendi ſcopum, omnium facillima eſt ac tutiſſima. Quoniam enim omnia redeunt ad hiſtoriam; hac cognita, ſcopus ſponte apparet. Nam quis ſerio neget, eo conſilio ſcribi, ut ſatisfiat ſcribendi occaſioni ſuppeditatae?

3. *Cognoſcitur ſcopus ſcriptoris ex addita in fine concluſione aliqua diſerta.* Rom. III, 28. poſt longam

 diſpu-

disputationem additur haec conclusio: λογιζόμεθα οὖν, πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον, χωρὶς ἔργων νόμου. Ex ea intelligitur, quo consilio scriptus sit totus locus, et ad quam sententiam referenda omnia sint.

4. *Poterit etiam ex historia scopus loci cognosci.* Historia ostendit, temporibus Apostolorum varios fuisse errores sparsos, ideoque multos ab iis locos necessario scriptos hoc consilio, ut refutarentur errores. Historia docet, in epistola Judae ne unum quidem versum reperiri, in quo non contra hos dicatur, qui docendo libidini indulgeant, et libertatem Christianam eant mutatum in perversam licentiam. Argumentum totius epistolae secundae, Corinthiis scriptae, indicat, Paulum vindicare se velle a criminationibus eorum doctorum, qui detrahere ipsi de auctoritate moliebantur. Agit ergo hoc, ut doceat, se habere parem cum caeteris Apostolis auctoritatem. Obiectum ei fuerat, ipsum non nisi lucri studio docere; confirmat multis, se docere gratis. Verum talia, quae ab scriptore aliquo sunt contra homines certos defendendi consilio scripta, non pertinent ad omnes Christianos, neque dogmata continent aut officia omnibus temporibus communia. Tenendum etiam est, propterea non singulas libri partes cum argumento primario cohaerere, praesertim in populari scriptore. Nam in eadem illa epistola Paulus cap. VIII. et IX. exponit de eleemosynis colligendis, et postea demum ab hac digressione redit ad eam, quam instituerat, auctoritatis suae suique studii defensionem. Et fortasse hoc in genere ab iis erratum est, qui evangelii Johannis *totius* hunc scopum facerent, ut Cerinthiani refutarentur, h. e. qui existimarent, eos tantum Christi sermones delectos a Johanne et consignatos fuisse, quibus Cerinthianorum errores redarguerentur, ita, ut ubivis reperirent antitheses contra illorum sententias.

tentias. Iam licet verisimile sit, capite primo ad eos respici: tamen nec hic a particulari ad universale concludendum est. Dixit idem ille Johannes sub finem evangelii, fuisse haec a se scripta, ut fides fieret omnibus, Jesum esse Messiam. Quid? si ne hunc quidem scopum affingere toti libro liceat? Ita fortassis videatur quibusdam, qui reputantes nexum, meminerint, paullo ante de miraculis quibusdam, post Christi in vitam reditum peractis, sermonem esse, respicique ab auctore ad haec potissimum miracula, quum addat, se plura commemorare posse, nisi magna esset libri moles futura, et haec suffectura ad confirmandam Christi doctrinam viderentur. Haec utcunque sint, illud certe apparere arbitror, rationem istam concludendi ab historia et argumento libri habere quasdam cautiones, quas observare interpretem oporteat.

5. Quodsi nihil horum, quae hactenus commemoravi, adest, unum illud relinquitur lectori, *ut librum integrum, locum totum cognoscat, et ad scopum attendat.* Hoc uti sensus communis praecipit: ita cavendum est, ne librum omnem, in primis eum, qui est populariter scriptus, tentemus ad aliquam dispositionem redigere; ut si in epistola Pauli esset propositio aliqua, qua niterentur omnia, deinde partes explicarentur, denique plures subpropositiones, quas vocant, traderentur. Quod valde absonum est.

V.

Scopus non semper evidens.

Sed in tali indagatione scopi non semper ea est evidentia, quae certam interpretationem efficiat (§. 2); quod interdum plures interpretationes consilio oratio-

nis satis consentaneae reperiri possunt. Sic in locis iis, ubi de *παρουσία τοῦ Χριστοῦ* sermo est, non disceptatur semper, sitne adventus eius ultimus, an adventus ille ad sumendum de Judaeis supplicium intelligendus. In talibus contentus esse interpres debet aliqua probabilitate, praesertim, si unum ei relinquatur illud, quod quinto loco commemoravi, neque adhiberi possint superiora quatuor scopi inveniendi adminicula.

VI.

Vbi evidens explicationis cum scopo coniunctio.

Habet ergo observatio scopi varias cautiones; primam hanc, ut ei non nimis, aut soli, confidamus, et qualicunque cum consilio convenientia contenti simus: quod solent facere ii, qui linguarum non satis sunt periti; sed *ut sit evidens et necessaria explicationis cum consilio orationis coniunctio* (§. 3), cui confidere queamus. Quaeritur itaque, ubi et cur explicatio *necessario* et *evidenter* cohaereat cum consilio et scopo? Huic quaestioni satisfacere conabor tribus observationibus.

I. *Vbi altera explicatio seriei orationis manifeste repugnat; ibi necessitas oritur, praeferendi alteram.*

Ps. XLII, 3. haec leguntur: *quando perveniam eo, ut Dei faciem spectem!* Hic versus in asceticis libris explicatur sic: cupere hominem mori, et ita maturius pervenire ad felicitatem illam futuram, quae interdum exprimitur formula: *ὄπτεσθαι τὸν Θεόν.* Sed haec explicatio utique repugnat consilio orationis. Davides nimirum, exul, in fugam coniectus metu Absalonis, versansque in bellis, optat, ut Hierosolymam redeat et *Deum videat*, h. e. ut Deo cultum praestet in templo. Nam

Nam v. 4. ponitur id: o quam laetus conferam me ad laudes Dei in templo Hierofolymitano! Eſt itaque hoc loco neceſſaria et evidens coniunctio alterius explicationis cum ſcopo et ſerie orationis. 1. Cor. III, 17. *Si quis templum Dei corrumpit, hunc perdet Deus.* Id ſolet ſic accipi, ut *templum Dei* intelligatur de corpore humano, et *perdere* referatur ad impudicitiam libidinoſam. Ita viciſſim *Deus perdens* erit: incommoda et mala tribuens homini libidinoſo. Et fatendum eſt, omnia verba optime convenire, explicationemque illam ſuadere, praeſertim, quum cap. VI., ubi talia dicuntur adverſus libidinoſos, haec ipſa allegoria *templi Dei* de corpore hominum reperiatur. Verum praeceſſerant de officio doctorum religionis haec monita, ut cum doctrina palmaria de Jeſu ſervatore alias coniungant veras doctrinas, neque illi addant falſas. Hoc ut late diſputatum erat ante; ita poſthaec ſequitur illud, Paulum eſſe huius officii memorem. Iam medius inter hos verſus locus legitur, de quo dicebam. Quid hic tandem ad rem facit, in hac ſerie orationis, monitum tale, libidinoſum libidinis ſuae manere incommoda? Neceſſe ſit, ut alter ſenſus verborum praeferatur, quo ναὸς ſit *coetus Chriſtianus; φθείρειν ναὸν, violare et corrumpere hunc coetum*, ſc. per errores, qui ſpargantur; denique θεὸς φθείρων, *Deus puniens illam errores propagandi libidinem.* Ita ſingula congruunt cum loco, qui de officiis doctorum exponit.

II. *Vbi ex parallelismo doceri poteſt, ſic utique locum eſſe explicandum, aliter non poſſe intelligi; ibi reiiciendus eſt alter ſenſus, etiamſi ille grammatice, etiam per ſcopum, intelligi poterat.*

Matth. V, 25. *Eſto benevolus et facilis adverſario tuo mox, quam diu in itinere cum illo verſaris, ne fortaſſe*

te

te adverſarius tradat iudici, et iudex publico miniſtro, et tu in cuſtodiam coniiciare. Haec duplicem poſſunt interpretationem habere, ut referantur aut ad futuram vitam aut ad hanc. Ex priori ratione, quae centies eſt repetita ab interpretibus, id dicitur: eſſe placabilitati ſtudendum, dum in his terris (in via ad coelum) vivamus cum adverſario, ne olim animi implacabilis poenas a Deo, iudice noſtro, luamus graviſſimas. Ex poſteriore ſenſus hic prodit: ſi tibi cum adverſario controverſia eſt de re forenſi, fac, ut ei aliquid cedas, ut leniter cum eo agas, redeasque adeo cum eo in amicitiam inter eundum *(während daſs du mit ihm vor Gericht geheſt):* ita non opus erit adire iudicem, quia rem ipſi inter vos compoſuiſtis. Sin fueris tenax; re ad tribunal delata, iudex erit ſeverus, decernetque, etiam ultimum obelum tibi eſſe ſolvendum. Vtraque explicatio convenit cum ſcopo; in utraque gravis eſt cohortatio ad placabilitatem. Sed ſi conferatur parallelus locus, qui eſt Luc. XII, 58.; rem ſic reperimus expreſſam: *quando tu cum adverſario tuo tendis ad magiſtratum* (ἐπ' ἄρχοντα), *in via* (ἐν τῇ ὁδῷ) *des operam, ut ille tecum reconcilietur, ne neceſſe ſit ad tribunal accedere: nam ibi ſeverius ſtatuetur.* Nihil hic de vita in his terris. Additur etiam: *ne ille alter te rapiat in ius.* Nec id poteſt ad futuram vitam referri. Sequitur denique: *iudex te tradet* τῷ πράκτορι. At is eſt publicus miniſter, cuius eſt *in carcerem coniicere.* Nec haec poſſunt ad mala pertinere, quae in futura vita oriantur ex implacabilitate. Sic unus oſtendit *parallelismus,* quum ſenſus uterque conſilio orationis conveniat, uter ab interprete praeferendus ſit.

III. *Vbi e duabus explicationibus una frigidum ſenſum efficit; ibi altera praeferenda neceſſario eſt.*

Fri-

Frigidum appellatur omne id, quod vim non habet, ſeu quod non efficit id, quod debebat efficere. Ita *iocus* eſt *frigidus*, qui non riſum efficit, ſed improbationem. Pariter *ſenſus* eſt *frigidus*, quum vim nullam habet nihilque confert, neque ad demonſtrationem, neque ad perſpicuitatem, neque ad exornationem. Iam quia nemo ſcriptor exiſtimatur ita ſcripſiſſe, ut frigidus oriatur ſenſus; aequitas interpretem ducit huc, ut frigidum ſenſum repudiet, alteram explicationem teneat. Jac. I, 17. *Omne bonum et donum proficiſcitur deſuper a patre luminum, apud quem ne umbra quidem mutationis aut viciſſitudinis eſt.* In his *pater luminum* poteſt ſignificare auctorem ſolis, lunae, ſiderum; poteſt etiam ſignificare patrem beatiſſimum, ut ergo πατὴρ τῶν φώτων, *fons beatitudinis*, ille vocetur eodem modo, quo pater benignitatis h. e. benignus, pater miſericordiae, h. e. miſericors. Nam φῶς, ut hebraicum אוֹר, centies occurrere de beatitudine, notiſſimum eſt. Iam frigidus haud dubie ſenſus oritur, ſi πατέρα τῶν φώτων intelligam patrem, creatorem ſolis ac ſiderum. Mens enim ſcriptoris haec eſt: Deus eſt immutabilis, et quicquid ab illo nobis datur, id bonum eſt. Quodſi ſequeretur: *creavit enim ſidera;* nihil id afferret ad perſpicuitatem, quod unusquisque ſentit, multo minus ad demonſtrationem, quoniam cohaerere in logica demonſtratione nullo pacto poſſunt notiones hae: *Deus bonus*, *Deus ſiderum creator;* nec faceret denique is ſenſus ad exornationem. Nam quae foret tandem haec exornatio, ſi quis dicere vellet: Deum non dare niſi bona; creaviſſe enim ipſum ſidera? Contra vero ſi haec inferatur idea: Deus, *beatitudinis omnis fons et auctor*, nihil dat, niſi quod bonum nobis ſit; egregie omnia et commodo nexu videmus cohaerere. 1. Cor. IV, 1. dicuntur Apoſtoli et omnes doctores religionis Chriſtianae eſſe οἰκονόμοι μυστηρίων

ϱίων θεοῦ. Hoc ab aliis ſic eſt intellectum: *miniſtri incognitae hactenus doctrinae*, ab aliis autem ſic: *diſpenſatores ſacramentorum.* Hinc, addunt, confirmari morem, ſacramenta adminiſtrandi per ſacerdotes. Sed haec altera interpretatio eſt frigida, utpote quae nihil conferat, neque ad confirmandum, neque ad illuſtrandum, neque ad exornandum. Dicit Paulus, id ſufficere doctori debere, ſi Deus eius fidem in munere gerendo probet, etiamſi homines eum ſiniſtre diiudicent. Addit cauſſam, quare id debeat ei ſufficere. Eſſe enim doctorem *oeconomum myſteriorum Dei*, h. e. *miniſtrum Dei in doctrina incognita aperienda.* Ergo ex notione *miniſtri* colligit, ſatis eſſe, ſi Deo bonam fidem probet; plus ab eo non poſtulari.

VII.

Senſus e ſcopo repertus comparari debet cum loquendi uſu.

Altera cautio, quam habet obſervatio ſcopi, haec eſt, ut ſenſum e conſilio orationis repertum comparemus cum uſu loquendi, videamusque, an cum eo in concordiam redigi poſſit, vel ſic, ut verba per conſuetudinem loquendi hunc ſenſum habere poſſint, quod fit in primis in πολυσήμοις, vel ſic ſaltem, ut ei non repugnent (§. 3). In quo praecepto duo inſunt:

I. *Senſus e conſilio orationis reperiri poteſt.* Id ſatis demonſtratum eſt. 2. Tim. II, 15. poſtulatur a doctoribus ὀρθοτομεῖν, quod eſt vi verbi *recte ſecare.* Vnde mira ſunt efficta. Docet autem ſcopus, exprimi debere *officium*, praeſtandum quotidie per facta; ideo non fundamentum dividendi doctrinam in duas partes, in legem et evangelium.

II. *Re-*

II. *Repertus ſenſus eſt cum uſu loquendi comparandus*, ὀρθοτομεῖν dicitur graece de his, qui *recto curſu navigant*, *recto tramite pergunt*; ut alibi καινοτομεῖν, *novum plane iter facere*. Atqui hoc eſt officium, recto curſu pergere in tradenda doctrina vera, recta via incedere in docendo, a vero non aberrare. — Philipp. II, 6. *Chriſtus*, *etſi erat par Deo*, *tamen non rapinam cenſuit hanc ſuam cum Deo aequalitatem*. Id accipi ſic ſolet: non oſtentavit illam ſuam divinitatem, ut ſolent victores rapinam oſtentare et de ea gloriari. Hunc ſenſum ſane patitur ſcopus orationis; agitur enim de animo demiſſo, qui non oſtentet ſuam excellentiam. Tamen verba iſta: οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, nullo modo poſſunt grammatice hunc ſenſum habere. Ex certo enim et evidenti uſu linguae graecae phraſis illa indicat, *cupide aliquid et rapide uſurpare*. Ita erit ſenſus: non ſolebat cupide et avide rapere hoc, ut ſuam ubique oſtenderet excellentiam. De hoc uſu loquendi cfr. LAMB. BOS *Exercitatt. philol. in N. T.* p. 198.

VIII.

Idem ad reperiendum uſum interdum adducit.

Si quis igitur e ſolo conſilio orationis, ſine auxilio et conſenſu verborum, aut etiam repugnante uſu dicendi, interpretatur, is temere ac ſine cauſſa iuſta coniicit potius et divinat, qui ſenſus eſſe poſſit, quam certa ratione interpretatur. Interdum tamen fieri ſolet, ut ille ipſe ſenſus, per conſilium orationis repertus, deducat nos in viam reperiendi conſenſum cum uſu loquendi. Sic ubi 1. Petri III, 21. *baptismus* dicitur *interrogatio bonae conſcientiae erga Deum*, facile apparet e ſerie orationis et ſcopo, tale quid eſſe, quale nos appellamus *promiſſionem*, quae fiat Deo. Sed ἐπερώ-

τημα

τημα per se est *quaestio.* Quod ergo ex serie et scopo orationis intellectum fuerat, id nunc in viam nos ducit reperiendi consensum cum usu loquendi. Sponte tamen hinc fluit admonitio, non esse utendum ea ratione, nisi vel in ambiguis, vel in ἅπαξ λεγομένοις, omninoque in quibus usum loquendi idoneis testimoniis satis cognoscere non detur, aut ille non sufficiat ad sensum definiendum.

IX.

b) *Ex antecedentibus et consequentibus.*

Alter modus adhibendi orationis contextum ad indagandum verborum sensum ille est, qui *antecedentia* et *consequentia* consulit (§. 4). Eum modum quod ERNESTIUS dicit *angustiorem*, quasi ille non aeque late pateat ac scopi spectandi utilitas, de hoc dubitare liceat. Quaestio enim illa de antecedentibus et consequentibus *omni* est *in loco* instituenda, ut recte procedat interpretatio. Facile autem apparet, antecedentia et consequentia hic non intelligi localiter, ut ita dicam, sed logice aut dialectice. Volo hoc, non quaeri, quid proxime antecedat aut proxime subsequatur aliquo in loco, sed quod cogitatione antecedat et sequatur. Igitur *consulere antecedentia et consequentia* erit nihil aliud, quam omnem seriem ac nexum propositionum logicum (*logikalisch-gedachte Gedankenreihe*) perquirere et spectare. Vbicunque enim aliqua propositio tractatur, cum ea cohaerent multae aliae, quae eam demonstrant, limitant, illustrant, dilatant, varie persequuntur: ea omnia efficiunt seriem idearum, propositionumque nexum logicum.

Iam vero in tali connexione sententiarum potest aliqua res vel *uberius pertractari*, vel *paucis attingi.*

Vbi

Vbi *res pertractatur uberius*, reperietur nexus logicus, ſi attendamus, quid doceatur, per quae argumenta confirmetur, quo modo definiatur, quo modo illuſtretur, quo modo repudietur altera ſententia, quid et quibus e principiis concludatur, quid inde derivetur ad ipſam praxin. Patet, eſſe hoc conſilio integrum locum cognoſcendum, ut iudicari poſſit, quid antecedat et ſequatur. Exercitii cauſſa perlegi poſſunt loci hi: Rom. VII. qui eſt de vitioſitate hominum interiore. Rom. XIV. de adiaphoris. Epheſ. II, 11. ſeqq. de felicitate Paganorum, qui ſunt traducti ad Chriſtianam religionem. 1. Cor. XV. de reditu hominum in vitam. Pertinent et huc Pſalmi multi.

Vbi *brevius res proponitur*, vel obſervabitur praeter id, quod dicitur, *addita cauſſa;* vel obſervabitur id, quod dicitur, et *illuſtratio* rei aliqua, velut per additum exemplum; vel obſervabitur id, quod dicitur, et *concluſio* inde derivata. Ita meditando tandem cognoſcitur, qui ſit ſenſus. Proferam exempla quaedam. Luc. XX, 36. de redituris in vitam hoc dicitur: *non amplius poſſunt mori*, addita cauſſa: *nam ſunt angelorum ſimiles.* Quodſi quis diceret, angelorum ſimiles hoc loco ſignificare *celeres* et *agiles;* miſerrimus ille foret nexus praecedentium et conſequentium. Sunt potius angelorum ſimiles ii, qui ſunt *ſpirituum ſimiles*, ideoque non craſſo amplius corpore praediti, *neque mortales.* Matth. VII, 20. *cavete vobis a docentibus falſa.* Exemplum: *num poteſt ex ficu decerpi uva?* Concluſio: *e factis igitur et vitae ratione eos iudicabitis.* Sententia: Vita illorum doctrinae reſpondere debet.

Tali igitur conſideratione antecedentium et conſequentium fit, vel, ut ex pluribus ſenſibus, ab uſu lo-

 quen-

quendi non abhorrentibus, fiat delectus, consulto nexu logico, vel, ut verbum insolens, nec usu satis cognitum, quid significare debeat, intelligatur. Sic v. c. τὰ ϛοιχεῖα τοῦ κόσμου apud Paulum singulari plane usu loquendi dicuntur de lege Judaica rituali; ut Galat. IV, 3. *Christiani non amplius subesse* dicuntur *elementis mundi*, *quia sint per Christum redemti ab illorum servitute*. Addit: *nolite igitur redire ad illa servilia elementa*. Nec hoc est satis perspicuum. Attendendum igitur ad modum, quo illustret rem: *Nolite amplius observare dies, menses, cibos* &c. Haec si revocemus omnia ad certum aliquod genus; erit: *observare ritus*. Contra quos autem scribebat? Contra Judaeos. Intelligentur itaque *ritus Judaici*, seu *Mosaica lex ritualis*. Sponte igitur apparet e nexu logico illius loci, τὰ ϛοιχεῖα τοῦ κόσμου esse ex Paulino dicendi genere *Mosaicam legem, praeceptricem rituum*.

Caeterum tenendum est, in hoc studio, eruendi significationem verbi insolentis e nexu logico, interdum non licere progredi ultra verisimilitudinem, et habere genus hoc easdem, quas superius, cautiones. In omni autem illa re non possumus exerceri melius, quam per studium philologiae profanae, quae dicitur: cuius officium etiam in eo cernitur, quod docet animadvertere nexum logicum. Ac satis declaraverunt multi viri doctissimi, quo modo scriptores veteres legi debeant logice. Sufficiet ex iis nominare BIESTERUM et GEDICKIUM, qui dialogos Platonicos hoc modo tractarunt, GARVIUM et KINDERVATERUM, qui in Ciceronis libris, qui sunt de Officiis et Natura Deorum, eadem ratione eodemque consilio explicandis, operam laudabilem posuerunt.

X.

X.

Cautiones quaedam.

Sed adſpergenda hoc loco quaedam ſunt, ne nexum logicum alieno tempore obſervemus, h. e. ne ſtudeamus, diſpoſitiones logicas eorum librorum et locorum componere, quorum indoles ab iſta ratione abhorret. Nam ubi Pſalmus aliquis continet preces aut querelas, quis in eo ſerio quaerat diſpoſitionis logicae ordinem? Non ſolent nimirum precantes nexu logico ac ſubtiliter exprimere ea, quae ſentiunt. Et tamen factum eſt olim, in Pſalmorum commentariis, ut cuique cantico praemitteretur aliqua tabella, nectens talem diſpoſitionem. Similem ob cauſſam non debebant Epiſtolarum integrarum diſpoſitiones condi. Neque enim illae ſic verſantur in uno eodemque argumento, ut omnia cohaereant inter ſe invicem; ſed magna in iis eſt variatio rerum, quarum aliae poſt alias ponuntur. Alienum id quoque eſt a natura epiſtolae, praeſertim ubi ab indoctis hominibus ſcripta eſt. Quamobrem ſatis erit, in ſingulis locis attendere, quid, quo modo illud, quove ordine tradatur.

XI.

c) *Ex ſubiectis et attributis.*

Ad exercitationes iſtius modi logicas, quae e contextu orationis ſenſum vel obſcurorum reperiant, vel ambiguorum definiant, pertinet porro *comparatio ſubiectorum et attributorum*, ſeu, quod idem eſt, *ſubſtantivorum et adiectivorum* (§. 5). Continetur autem haec comparatio notiſſima illa regula: qualia ſint ſubiecta, talia eſſe attributa, et viciſſim. Conſule igitur naturam ſubiecti; et videbis, quid eſſe debeat in praedicato, utrum-

utrumque ut ſibi conveniat. Vno autem hoc fundamento nonne nituntur, quaecunque de Deo dicuntur humano more? In his enim ſubiectum, quod eſt *natura Dei*, non patitur proprie intelligi attributa talia: *digito tangere*, *olfacere*, *deſcendere*. Similiter quum magiſtratus homines dicuntur *Dii*, aut quum Moſes homo Exod. IV, 16. dicitur *Deus Aaronis;* intelligitur, quo ſenſu haec ita dicantur. Neque enim homines dici poſſunt Dii eodem ſenſu, quo verum Deum appellamus, ſed quod ſimilitudinem Dei gerant, quippe imperantes aliis. Nam de Moſe quidem praeceſſerant haec: Deus mandata Moſi dat; Moſes eſt Dei os; eloquitur Dei mandata. Additur hoc: qualis Deus eſt Moſi, talis Moſes erit Aaroni. Atqui Deus Moſi mandata dabat exſequenda; ergo et Moſes, qui Aaroni multa mandabat, hoc ſenſu erat Deus eius. — Ex eadem norma ſaepiſſime in Epiſtolis Apoſtolorum declarari debet, quinam loci ſcripti ſint Chriſtianis, nuper Judaeis; quinam Chriſtianis, nuper Paganis; qui denique utrisque. Quodſi legitur: vos quondam fuiſtis cultores idolorum; id non poteſt pertinere, niſi ad Paganos, qui nuper fuerant. Sin ſcribitur: vos habuiſtis multa promiſſa; id non poteſt pertinere niſi ad Judaeos, qui nuper fuerant. Quo in discrimine obſervando admodum diligentes fuere Theodorus Beza et Hugo Grotius.

Caeterum haec coniunctio ſubiecti et attributi, ſive ſubſtantivi et adiectivi non eam ſemper habet neceſſitatem, ut certa et evidens concludendi ratio detur, (§. 6. med.). Neque enim apparet iſta neceſſitas, ubi ſubiectum *per imagines multas* exprimitur. At in imagine fieri facile poteſt, ut ſimilitudinem ſpectemus alia ex parte, quam ex qua ſcriptor voluit. Pertinent etiam huc *Proſopopoeiae*, ut Sap. Sal. VIII., ubi Sapien-

pientia tamquam aliqua persona introducitur. Quid fit? Alius intelligit Dei essentialem qualitatem, alius sapientiam hypostaticam, h. e. filium Dei. Venitur ad praedicata, h. e. ad singulos locos; manet eadem dissensio. Laboratur enim in subiecto. Rom. VIII, 22. locus est celebratissimus de creatura gemebunda. Alius intelligit naturam rerum, alius Paganos, alius Judaeos, alius Christianos. Praedicata quivis suam in rem et sententiam convertit: pauci animadvertunt, esse figuram orationis, nec licere in praedicatis omnia nimis urgere.

XII.

d) *Ex comparatione casus recti et obliqui.*

Alius modus adhibendi orationis contextum ad indagandum verborum sensum ille est, qui *casus rectos et obliquos comparat* (§. 5). Etenim si comparo nominativum et genitivum, animadverto relationem logicam, quae inter utrumque est. Sic constat, Paulum *captivum Christi* saepe dici sensu hoc: qui sit Christi et religionis caussa captivus. Nec raro *δικαιοσύνης Θεοῦ* sensus variatur. Nunc est ipsa Dei iustitia; nunc attributa eius; nunc pietas hominis ad exemplum Dei; nunc iustitia, quae a Deo venit, aliis verbis, iustificatio et absolutio a peccatis (Rom. III, 5. Philipp. III, 9.); nunc est virtus ea, quae a Deo probatur, ut Matth. VI, 33. *ζητεῖτε τὴν δικαιοσύνην.* Id igitur quid sit quoque in loco, non potest nisi e serie orationis cognosci. — Similiter quae sint *παθήματα τοῦ Χριστοῦ*, num quae ipse tulerit Christus, an quae homines perferant eius caussa, ex orationis serie iudicandum est.

[Videtur haec paragraphus aliqua obscuritate laborare. Nam in exemplis, quae b. MORUS attulit,

comparatio casus recti et obliqui non habet vim ad sensum vel ambiguorum definiendum, vel obscurorum reperiendum, neque in hac comparatione inest modus adhibendi contextum ad indagandum sensum; sed ipse ille contextus consulendus est et in auxilium vocandus, ut casus recti et obliqui sensus detegatur. Melius huc quadrat exemplum ab AMMONE allatum ex Ephes. I, 23. ubi πλήρωμα illustrat sequens πληρωμένου. E.]

XIII.

e) *Ex comparatione verborum adiectarumque determinationum.*

Pertinet enim et hoc ad contextum, quod comparantur verba et adiectae determinationes, quae vel in adverbiis, vel in nominibus, vel per praepositionem verbo adiunguntur.

Adiecta igitur *determinatio* est notio, quae ostendit, quatenus, qua ex parte et quo respectu verbum aliquod spectandum sit, ita, ut excludantur caeterae omnes partes, e quibus etiam spectari possit. Eiusmodi autem determinatio est in omni *adiectivo*, v. c. ubi domus, quae e multis partibus spectari potest, vocatur spiritualis, aut victima spiritualis &c.; est etiam *in adverbiis*, ut in illo ἀληθῶς λέγειν, in quo spectatur notio dicendi quoad veritatem; tum *in nominibus, quae adiunguntur verbo per praepositionem, suntque fere adiectivorum* περιφράσεις, v. c. κατ' ὄψιν κρίσις, ubi notio τῆς κρίσεως ita determinatur per adiunctionem, ut intelligamus iudicium e rebus externis factum; vel ἡ κατ' εὐσέβειαν ζωὴ, et quae sunt his similia.

XIV.

XIV.

f) *Ex comparatione disiunctorum.*

Iudicatur contextus orationis etiam *comparandis disiunctis.* *Disiuncta* vero hoc loco ſunt ea, quae alibi appellantur *notiones repugnantes*, ſeu uſitatiore vocabulo *oppoſita.* Iam e logicis conſtat, oppoſita eſſe vel contradictoria, vel contraria. *Contradictoria* — quum unum negat, alterum affirmat, v. c. dives, non dives. *Contraria* — quum unum ex hac, alterum ex alia parte ſpectatur, v. c. coelum et terra; Deus et homo; ſpiritus et caro; fides et adſpectus. Hoc loco ſermo eſt de ultimo genere, ſeu de oppoſitione tali, quae alicui linguae in primis familiaris eſt pertinetque ad adminicula interpretandi. Videamus itaque, an, quae tradantur de oppoſitionibus, via quadam ac ratione tradi poſſint. Ponamus obſervationem; hinc derivemus praeceptum.

I. *Quot modis variatur una oppoſitio, tot modis variatur etiam altera.*

Coeleſte opponitur *terreſtri.* Quot modis variatur illud? *Coeleſte* eſt divinum, perfectum, moraliter perfectum, ſempiternum. Iam quot modis hoc variatur, totidem variatur alterum. *Terreſtre* igitur erit humanum, infirmum, moraliter imperfectum, caducum. Ita in ſingulis locis, uno oppoſito definito, facile intelligetur alterum. Pariter *ſpiritus* multis modis variatur, totidem *caro.* Vbi *ſpiritus* eſt inviſibile, ibi *caro* erit viſibile. Si *ſpiritus* eſt potens quid, *caro* erit neceſſario aliquid infirmum. Si *ſpiritus* dicitur intelligens quid, *caro* dicetur inſcium quid; ſi *ſpiritus* morale bonum, *caro* morale malum.

II. Praeceptum, quod ex illa obſervatione ſponte fluit, erit hoc: *Conſtituatur alterutra oppoſitio accurate.*

Id autem fieri nequit, niſi per orationis ſeriem. Si conſtitutum ſit, quid ſibi velint iſta: *τὸ γράμμα ἀποκτείνει*, per ſe planum erit, quid ſit in oppoſito: *τὸ πνεῦμα ζωοποιεῖ.* Nimirum: lex reddit triſtes; evangelii doctrina laetos reddit et exhilarat.

Talis itaque disiunctorum comparatio habet hanc vim (§. 6.), ut ſemper certam interpretationem gignat, ut primum alterutrum perſpicue intellectum eſt. Valet enim etiam hic, quod philoſophi dicunt, non poſſe, quod ſit, idem ſimul non eſſe. Caeterum in his omnibus ſenſus etiam pendet ab uſu loquendi, cavendumque eſt interpretibus, ne, quae per ingenii acumen et felicitatem hoc modo repererint, ab illo uſu reſpuantur.

XV.

II. *Analogia linguarum; eaque* a) *grammatica.*

Altera ratio ſenſus reperiendi, uſus ſubſidiaria, eſt ea, quae dicitur *Analogia linguarum* (§. 7). Sed ea non eiusdem eſt generis. Primum eſt ſingularum linguarum, quarum quaelibet habet analogiam ſuam, h. e. ſimilem plane et aequalem rationem derivandi, componendi, definiendi, declinandi, flectendi et conſtruendi vocabula, quam nemini licet violare. Eam appellabimus *analogiam grammaticam.* Diſcitur enim, quum elementaris linguae grammatica diſcitur, contineturque praeceptis Grammaticorum de uſu *recte* h. e. iuxta regulas loquendi. De quibus regulis quoniam hic

hic ſermo non eſt, ubi ſpectantur praecepta interpretandi; ideo grammatica illa analogia hic non valde utimur.

[Ἀναλογίας vox olim Mathematicorum propria, deinde communicata eſt cum philoſophis atque artium doctoribus. Significat autem primo *ſimilitudinem rationum;* deinde, in grammaticorum disciplina, *verborum ſimilitudinem*, eamque vel unius linguae, vel plurium. *Vnius linguae analogiam* dicimus *vel* eam ſimilitudinem verborum, quae ab ipſorum origine, declinatione ac coniugatione ducatur; quo ſenſu etiam Varro de L. L. vocabulum uſurpavit: *vel* communem quamdam verborum et loquendi modorum rationem, per quam, comparatis eiusdem linguae diverſis dictionibus, lucem obſcurae phraſi ex ſimili ratione loquendi, ſed clariori, afferre poſſis. Hac ratione, quicquid abhorret ab linguae alicuius communi ratione et univerſa conſuetudine, id contra linguae illius ἀναλογίαν eſſe iudicamus. Vtramque ἀναλογίας formam voluit b. MORVS *analogiae grammaticae* nomine comprehendere: quod adiecta §. XVI. exempla docent. Sed *analogia linguarum plurium* eſt ea illarum ſimilitudo, qua fit, ut certae linguae certa verba, tropi, phraſes iisque ſubiectae ſententiae alterius linguae certis verbis, tropis, phraſibusque et de eadem re loquendi modis reſpondeant ac ſubſtitui poſſint. Sed quaedam linguae magis a ſe diſtant: arctius quaedam coniunctae ſunt. Oritur hinc *analogia et dialectorum*, quae communis matris quaſi filiae ſunt, et *linguarum cognatarum*, quae coelo locique vicinitate, commercio vel origine magis conſentiunt (XVII), denique *linguarum diverſarum* (XX). Quamvis autem in omnibus, etiam diverſorum generum, ſcriptori-

 bus,

bus, antiquis praecipue, aliqua communis reperiatur consuetudo loquendi, propter quam diversarum quoque linguarum verba et dictiones sibi substitui atque in interpretando se mutuo adiuvare possint: tamen dialectorum cognatarumque linguarum similitudinem in primis observandam esse, quivis intelligit. — Repetiimus haec, quae ad constituendam *ἀναλογίας* notionem eiusque formas discernendas necessaria videbantur, magnam partem ex GEO. GOD. ZEMISCH disputat. philol. *de Analogia linguarum*, L. 1758. E.]

XVI.

Vsus analogiae grammaticae.

Est tamen, ubi etiam haec grammatica analogia in dubiis et obscuris lucem aliquam praefert (§. 8); ut, quum in verbo aliquo de genere significationis constat, comparandis aliis eiusdem generis verbis, et modo ei linguae proprio de talibus rebus loquendi, iudicamus de vera verbi similis vi. Solent v. c. in hebraica lingua e radicibus verborum derivari substantiva, vel praefigendis, vel affigendis litteris, et quidem sic, ut alia ex Kal, alia ex Hiphil, alia ex Niphal &c. deriventur. Iam fieri potest, ut incidamus in verbum obscurum, quod aut semel, aut raro occurrat, et cuius vis ex lingua ipsa cognosci nequeat. Hic nos oportet ex analogia concludere. Itaque si formatio verbi v. c. indicat, illud esse ex Hiphil derivatum; sponte hinc sequetur notio, quae sit tali verbo usitata. Pariter in latina lingua constat, verba talia: *auctor*, *doctor*, *lector* &c., derivari a supinis. Ita *auctor* est qui auget: id interdum ducit in viam, ubi non respondet vocabulum nostro *Urheber*, sed v. c. indicat suasorem; quippe qui

auget

auget me consilio suo, auget propositum meum. Addam exempla quaedam e graecis. Coloss. II, 23. occurrit ἐθελοθρησκεία. Quod verbum quum sit sine exemplo; videndum est, an possit ex analogia cognosci, quid omnino sibi velit vocabulum cum ἐθέλω compositum. Habemus eius generis varia. Sic ἐθελοπρόξενος est is, qui hospitium praebet aliis sua sponte, nullius iussu; ἐθελόδουλος, qui sua se sponte offert alteri ad servitutem, non cogente eum domino; ἐθελαστεῖος, qui vult formosus esse, sectator elegantiae et formositatis. Ex hac analogia poterit in Paulino loco ἐθελοθρησκεία esse *affectata religio*, quum quis prae caeteris affectat pietatem, cultumque Dei sibi iniungit sua sponte, non cogentibus praeceptis. Iam vero sermo ibi est de iis, qui corpus habent duriter, ieiunant, se ipsi castigant, idque faciunt sua sponte, affectantes praecipuam laudem pietatis. Consequitur ergo tum ex ista ratione analogiae, tum e serie orationis, ἐθελοθρησκείαν esse *sedulitatem in affectando praecipuo Dei cultu*. Pariter huc pertinet Rom. XI, 12., ubi *Judaeorum* ἥττημα occurrit, verbum sine exemplo. Rursus res omnis redit ad analogiam. Descendit autem ἥττημα a verbo ἡττοῦν, et hoc a comparativo ἥττων *minor*. Erit igitur ἡττοῦν, *reddere minorem*, *deprimere*, et ἥττημα *status deterior*. Nam ἐλάττωμα est a verbo ἐλαττοῦν, et hoc a comparativo ἐλάττων: hinc ἐλαττοῦν *minorem reddere*, et ἐλάττωμα *status deterior*, *Verfall*, *Abnahme*. Sunt ergo ista verba synonyma, et quae ratio est derivandi ἐλάττωμα, eadem valet in vocabulo ἥττημα; et quod ἐλάττωμα, centies illud obvium, notat, idem denotat ἥττημα. Dicitur autem ita in isto loco *defectus Judaeorum*, quoniam reiecerant Messiam et eius religionem, bonisque se ipsi exspoliaverant. — Verbum ἐγκομβώσασθαι 1. Petr. V, 5. occurrit de *animi submissione*. Hoc in verbo quaeri

quaeri ſolet magna emphaſis ab interpretibus, dicentibus, *κόμβον* ſignificare veſtem, qua ſervi uti ſoleant. Intelligendam hinc eſſe *maximam* demiſſionem animi: *ſich in Demuth kleiden, wie in eine Sclaventracht.* Sunt alii, qui haereant in praepoſitione *ἐν* — debere, inquiunt, aliquem ſibi admodum propriam reddere illam virtutem. At contra eiusmodi emphaticas interpretationes recte provocatur (§. 8.) ad caeteras formas loquendi graecas, quae veſtiendi vim habent. In iis videmus praepoſitiones *περὶ*, *ἀμφὶ*, *ἐν* uſurpari, ſine acceſſione aliqua ſententiae, ad ſimplicem veſtiendi ſignificationem. Sic veſtem *περιβάλλειν*, *ἀμφιβάλλειν*, *ἐμβάλλειν* eſt ſimpliciter *induere veſtem;* et ſi tropice dicimus: *circumdare* ſibi honorem, gloriam &c., non ſolemus argutari in adiuncta verbo praepoſitione, intelligentes id potius de eo, qui facit, ut honore et gloria utatur. Quod denique attinet ad *κόμβον*, comparentur haec: amictus, involucrum, indumentum. Iam ubi quis legerit, aliquem eſſe amictum gloria, indutum virtutibus, audebitne in his inaniter argutari? Hinc apparet, verbum *ἐγκομβώσασθαι* nil aliud aut plus eſſe, quam *ἐνδύσασθαι*, quod cum eo permutat Clemens R. Ep. I. p. 39.

XVII.

b) *Analogia linguarum plurium.*

Veniemus ad genus alterum analogiae, quam brevitatis cauſſa *analogiam linguarum plurium* appellabimus. Comparantur enim inter ſe invicem etiam linguae ſimiles (§. 9.), quae vel ſunt a communi ſtirpe natae, vel a ſe invicem procreatae. Illae ſunt *dialecti*, hae autem *linguae cognatae.* Vtraeque quo modo differant inter ſe, exponemus.

I. *Dia-*

I. *Dialecti* non efficiunt diverſas linguas, ſed pertinent ad unam linguam, quae origine et progreſſu eadem eſt, diverſa tantummodo formis grammaticis et vocabulis provincialibus. Sic in lingua graeca dialecti omnes pertinent ad *unam* linguam; *origine* verba omnia ex uno themate veniunt; *progreſſu* manſit una ſemper eademque lingua; ſed *diverſae* illae ſunt *formis grammaticis* et *vocabulis provincialibus;* unde exortae ſunt dialecti, dorica, aeolica, ionica, attica. Ita et linguae hebraicae diverſae ſunt dialecti, ſyriaca, chaldaica, arabica, addi etiam poteſt ſamaritana. Ac revera ſyriaca et chaldaica lingua non diſtant magnopere ab hebraica, niſi ſono, formatione et quibusdam vocabulis: plus differt arabica. Tamen omnino illud apparet, has unius linguae varias dialectos inter ſe comparari poſſe ac debere.

[Hanc analogiae rationem in linguis orientalibus declarant maxime ALB. SCHULTENS *Origines hebraeae linguae ex Arabiae penetralibus.* Editio altera, cui adiectum eſt *Opuſculum de defectibus hodiernis linguae hebr.* L. B. 1761. 4. Ej. *Vetus et regia via hebraizandi*, L. B. 1738. 4. Studuit idem SCHULTENSIUS in commentariis ſuis ad *librum Jobi* (L. B. 1737. 2. Tom. 4.) et *Proverbia Salomonis* (L. B. 1748. 4.), quorum utrumque in compendium redegit criticisque et exegeticis obſſ. auxit *G. J. L. Vogel* (Hal. 1769. 1773. 8.), magna cum ſubtilitate efficere, ut ad indagandam hanc analogiam grammaticam variis modis viam muniret. Add. JOH. ABR. KROMAYER *de uſu linguae arabicae in addiſcenda hebraea et explicanda ſcriptura;* JOSEPH. FR. SCHELLING *Abh. von dem Gebrauche der arabiſchen Sprache zu einer gründlichen Kenntniſs der hebräiſchen*, Stuttg. 1771. 8. G. C. STORR *Obſervationes ad analo-*

analogiam et syntaxin hebraicam pertinentes, Tubing. 1779. 8. Add. JOH. JAC. REISKII *Oratio studium arabicae linguae commendans*, ad calcem Coniect. in Jobum, Lips. 1779. E.)

II. *Linguae cognatae* sunt linguae, qua originem quidem eaedem, sed progressu temporis factae penitus diversae. Exemplum reperimus in lingua latina et, quae hodie floret, italica, pariter in lingua graeca et latina. Quae non sunt dialecti, sed prorsus diversae linguae, ita tamen, ut latina multa receperit a graeca. Hinc enim, quod coloniae Graecorum in Italiam catervatim venere, factum est, ut Itali veteres in linguam suam multa inferrent graeca variis modis. Pluribus hoc docuerunt SCALIGER *de caussis linguae latinae*, et VOSSIUS in *Etymologico* L. L. — Eodem fere modo cognatae sunt vetus graeca et hodierna russica, vetus germanica et hodierna danica; britannica et germanica inferioris Saxoniae &c. Ac quamquam linguae temporis progressu factae sunt diversae; tamen possunt omnes in multis spectari ut similes, illustrarique una ex altera, quod aliqua est cunctarum inter se connexio.

Eum nexum historicum linguarum, quotquot sunt, illustravit BR. WALTONUS in *Prolegom. Polyglott.* cap. I. §. 14.

Eodem consilio CHR. W. BÜTTNERUS edidit *Vergleichungstafeln der Schriftarten versch. Völcker*, [Gotting. 1771. 8.], ut quaedam veluti genealogia appareret linguarum, quae ex se invicem essent ortae et inter se cohaererent.

Pertinet etiam huc JOH. DAV. MICHAELIS *Beurtheilung der Mittel, welche man anwendet, die ausgestor-*

geſtorbene hebr. Sprache zu verſtehen. [Gotting. 1757. 8.] In mediis enim praeſidiis diſcendae eius linguae eſt ipſa analogia linguarum orientalium et modus earum inter ſe invicem comparandarum.

XVIII.

Vſus analogiae linguarum plurium.

Haec analogia prodeſt interpreti modo triplici (§. 10), primum hactenus, *ut radices verborum, quae in una lingua perierunt, reperiat ex cognata, ubi ſervatae ſunt.* Id autem non tam facit ad ſingulos locos explicandos, quam ad doctiorem aliquam et altiorem linguae indagationem, conſuliturque inveſtigandis primis thematis magis hiſtoriae verborum, quam interpretationi (§. 11). Deinde illa analogia ſic prodeſt, *ut aditum patefaciat ad ſignificationem verborum:* quam in rem commendandus in primis eſt uſus meliorum lexicorum: denique, et prope plus, *ut, ubi cognoverimus verborum, quorum radices deperditae ſunt, ſignificationes e contextu, eae illuſtrari hoc modo et firmari queant.* Nam ſi omnes dialecti Orientis conſentiant in ſignificatu verbi alicuius, nonne hic eſt Orientis totius conſenſus? Hoc nonne multum firmet interpretationem verborum?

[Quod analogiae lumen ALB. SCHULTENSIUS Orientalibus, id eodem tempore linguae graecae et latinae intulit, civis eius et aequalis, TIB. HEMSTERHUSIUS. Doctrinam huius ſummi viri propagarunt ſcripta diſcipulorum, LUD. CASP. VALCKENAERII *obſervationes, quibus via munitur ad origines graecas inveſtigandas lexicorumque defectus reſarciendos*, et JOH. DAN. a LENNEP praelectt. *de analogia linguae graecae* — edid. *Everard. Scheidius*, Trai.

Trai. ad Rh. 1790. 8. Ej. LENNEP *etymologicum linguae graecae*, f. *obfervationes ad fingulas verborum nominumque ftirpes.* Cum animadverff. fuis edidit *Ev. Scheidius*, Trai. ad Rh. 1790. 8. In praefatione Etymologici plura de hac linguarum analogia a SCHEIDIO disputantur. E.]

XIX.

Praecepta duo ad regendum illum ufum.

Quo magis vero et amplius hunc fructum confequamur, opus erit regula duplici:

I. *Eft certa lex, fecundum quam dialecti inter fe invicem comparandae funt.*

Neque igitur licet ob vocalis aut litterulae fimilitudinem aliquam dialectorum variarum analogiam confulere, neque omnino quidlibet comparare cum quolibet, fed eft certa quaedam comparationis lex, certa methodus, ad quam amplius cognofcendam utilis eft liber MICHAELIS, quem fupra commemoravimus.

II. *Cavendum eft ftudium fectandi meram etymologiam.*

Sed quid eft in his fequi *meram* etymologiam, et quinam hoc in genere peccant? Faciunt nimirum id *primo* ii omnes, qui vocabulum aliquod, quod in hebraeo fermone unam tantummodo vim habet, comparant cum alia dialecto, in qua plures accepit fignificationes, quas ipfi deinde cunctas coniungunt et quafi compingunt in unum illud hebraicum verbum, appellantque *praegnantem* eius fignificationem. V. c. Pf. XV, 1. le-

1. leguntur haec: *quis habitabit in tentorio tuo?* Senſus eſt: quis iure ac vere poteſt eſſe particeps divini cultus publici? Nos dicimus: *wer iſt geſchickt zur Theilnahme am öffentlichen Gottesdienſte?* Sed illud אֹהֶל *tentorium*, dicunt eſſe verbum praegnantis ſignificationis: indicare enim coetum eorum, qui pertineant ad eumdem dominum, ad eamdem familiam, ad eamdem religionem, ad eamdem domum. Cogitanda igitur eſſe haec: primum, quis ſubiectus eſt domini imperio? deinde, quis eius populo annumerandus eſt? tum, quis particeps eſt eius religionis? denique, quis habitat in Palaeſtina? Hae notiones variae, quas conſtipatas eſſe et condenſatas in uno vocabulo volunt, ducuntur ex analogia linguae arabicae. Sed numne id voluit is, qui ſic loquutus eſt? Num ſolemus ita loqui et ſcribere? annon hic abuſus potius eſt comparandarum dialectorum plurium? Etſi enim linguae ſunt ſimiles, tamen quaelibet ſua ingreditur via. Docet id ſatis luculenter comparatio linguae graecae et latinae. In hanc, ut exemplo utar, venit vocabulum *fama*, ductum e dorico Φάμα pro Φήμη, quod deſcendit a radice Φημί. Iam quis hinc argumentetur, *famam* dici Latinis omne id, quodcunque dicatur, et quum Φῆμαι Graecis etiam ſint reſponſa Deorum et auguria avium, quis haec inferre in latinam linguam, et ſignificationes prorſus ab ea alienas comminiſci ſuſtineat? Sed quo modo vix labi quisquam ſolet in caeteris linguis, eo ut ſaepenumero aberraretur in hebraica, cauſſa potiſſimum haec fuit, quod in illa fere peculiare quiddam quaerere et invenire volebant. Quae ſuperſtitio accepta refertur Judaeis, ſuam linguam etiam hoc ſenſu ſanctam appellantibus. Expoſuit de his erroribus, qui manarunt in Teſtamentum Vetus a Judaeis, FROMMANNUS *Opuſculorum* p. 82.

Deinde *meram* etymologiam sequuntur etiam ii, qui sola possibilitate alicuius significationis contenti sunt. Concluditur autem talis possibilitas e comparatione cum cognata lingua, omittiturque gravissima quaestio, annon forte perierit ista significatio in altera lingua, eamque repudiet contextus? Atque ad hoc temerarium studium, possibilitatem tantum modo amplectendi, fortassis referenda sunt, quae ERNESTIUS (§. 11. fin.) monuit, et quae universe pronuntiata vix probaverim, indagandis radicibus verborum investigandaque linguarum analogia raro plus, quam tenuem aliquam veri speciem teneri. Immo plus tenetur multis in locis, ubi hac una via optime invenitur interpretatio, egregie conspirans cum orationis contextu.

XX.

c. *Analogia linguarum omnium, eiusque* a) *caussae.*

Nec vero dialecti tantum unius linguae, aut cognatae duntaxat linguae, sed omnes omnino linguae componi inter se et comparari possunt ad sensum constituendum. Quo modo ne quis putet comparari dissimillima, aperiendae sunt eius rei caussae. Est autem una caussa *physica*, quam ERNESTIUS quoque (§. 13.) attigit, altera *historica*, de qua pauca nobis addenda sunt.

Physica caussa est in similitudine ingenii et naturae humanae. Quaecunque enim res *sensibus externis* percipiuntur, eae ab hominibus eiusdem generis eodem modo percipiuntur, ideoque homines iisdem rebus eadem ratione afficiuntur. Hinc oritur humani generis communio quaedam et consensio in usu loquendi. Tenebrae afficiunt nos omnes quodam tristitiae sensu; omnibus lux affert aliquid hilaritatis. Quid mirum igitur, si omnes nationum omnium linguae lucem dicant

cant de gaudio, tenebras imaginem faciant moeſtitiae? Etſi enim nationes modis loquendi, qua etymologias verborum, valde disſimilibus utantur: tamen facile apparet, omnes ſenſiſſe idem, ob eamque cauſſam alterum ex altero facile intelligi poſſe. Porro non tantum quae in externos ſenſus cadunt, ſed etiam quae in *internos*, eodem modo ab hominibus ſolent exprimi. Internum ſenſum percipimus, quum ideae in animo quaedam formantur, v. c. ubi imago rei nobis obverſatur, quam memoria inſtaurat et in abſentibus etiam rebus depingit. Nihil itaque mirum, propter hanc internam perceptionem factum eſſe, ut notiones rerum in animo orientes appellarentur omnibus in linguis ideae, imagines, ſpecies, effigies, figmenta. Pariter interior ſenſus, quum animo commoto ſumus, indicat, nil eſſe tranquillum et aequabile; moveri omnia, agitari, perturbari, velut gaudio, dolore &c. Omnes igitur linguae in affectibus deſcribendis uti ſolent vocabulis commotionis, perturbationis, iactationis, agitationis, tumultus. In hac tanta linguarum conſenſione, quae et externorum et internorum ſenſuum aequali affectione nititur, nonne fieri poteſt, ut una lingua ſuccurrat alteri, utque ſaepe admodum utiliter oſtendatur, nos quoque ſic loqui, neque aliter homines omnes?

Hiſtorica cauſſa eſt in mutuo nexu et commercio gentium omnium aut ſaltem plerarumque. Etenim hoc nexu, quem genuere migrationes ex aliis terris in alias, effectum eſt, ut ab unius gentis lingua aliquid in linguam alterius derivaretur. Vnde, quotquot nobis ſunt cognitae gentes cultiores, quae inter ſe invicem habuerunt aliquid commercii, multa communicarunt ſecum, receperuntque in conſuetudinem. Nec vocabula tantum et phraſes alterius linguae in ſuam trans-

 tulere,

tulere, ſed mores etiam omnemque modum cogitandi. Ac ſi qua gens in primis valuit opibus et imperio, ad eam ſe caeterae maxime conformaverunt. Hinc quanta vi graſſata eſt per terrarum orbem lingua graeca, ad cuius rationem omnes ſe vellent componere! Nec defuit talis aemulatio ſuperioribus temporibus noſtrae linguae; quae quum obruta eſſet Britanniae, Galliae aliisque peregrinis vocabulis, multi laborarunt, ut, expulſis illis, vernacula reducerent. De moribus, cogitandi modo, omnique externa conditione vitae, non opus eſt dicere, quantum et noſtra natio traxerit ab exteris.

XXI.

b) *Exempla.*

His ita explicatis, afferemus exempla quaedam (§. 12.), quae obſervationes noſtras de analogia et ſimilitudine omnium linguarum vel illuſtrent, vel tueantur. Rom. VII, 14. dicitur aliquis *πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν*, *venditus ſub peccatum*, ſ. *venditus in peccati dominium.* Hebraei enim dicunt *ſervum vendi ſub dominum*, vendendo venire in dominium alterius, fieri eius mancipium. Quare quum Paulus ita dixerit, voluit hoc, eſſe hominem ſervum ſeu mancipium peccati. Cum hoc iam conferatur linguae latinae uſus in verbo *addictus.* *Addictus alicui rei* dicitur, qui ei plane deditus eſt, et in malam partem, *addictus vitiis*, qui ſervus eſt et mancipium vitiorum. Sed hoc *addictus* plane exprimit ideam illam: venditus in dominium alterius. Vſurpatur enim, latinae linguae conſuetudine, illud verbum, quum in auctione aliquid emitur et, poſtquam multi licitati ſunt, uni tandem addicitur, ita, ut addicta hoc modo res eius poſſeſſioni ac iuri tradatur.

tur. Hoc modo quamquam vocabula, in ſe ſpectata, toto coelo differant; tamen in re eſt quaedam analogia, quae nos iubeat unam linguam explicare ex altera. — 1. Cor III, 15. Paulus dicit, hos, qui ſpargant errores, oleum et operam perdituros eſſe; immo ipſos evaſuros eſſe periculum, *ὡς διὰ πυρός*. In quo cui non ſponte veniat in mentem: *wie ein Brand aus dem Feuer geriſſen;* ut ſenſus ſit: *vix ac ne vix quidem*, *aegerrime evadent periculum.* Conferri cum hoc poteſt Latinorum *ambuſtus*, v. c. ap. Cic. Or. p. Milon. cap. 5. ubi *ambuſti* tribuni plebis intermortuae conciones occurrunt *). Geneſ. XLIX, 10. vehementer torſerunt interpretes verba מִבֵּן רַגְלָיו. Sed facile inveniri illorum ſenſus poteſt, ſi conſulantur Graeci, qui iſtam loquendi formam, Hebraeis uſitatam, רַגְלָיו et סוּר רַגְלַיִם ad verbum exprimere ſuo ſermone ſolent, valdeque frequentant. Sic Plato in Theage *ἐκ τῶν ποδῶν ἀποχωρήσομεν.* Alibi eſt *ἐκποδὼν* vel *ἐκ ποδῶν γίνεσθαι.* Id autem nihil eſt amplius, quam quod Latini dicunt *e medio diſcedere*, *e conſpectu abire*, *e medio evadere*, *evaneſcere.* Senſus igitur Moſaici loci erit hic: *non deerit legislator e tribu Judae.*

XXII.

Concluſio loci de Analogia.

Omnino autem latiſſime patet haec analogiae ratio (§. 14.): pertinet enim ad omnes omnino gentes

 et

*) [Magis videntur huc facere loca LIVII XXII, 35. ubi aliquis dicitur *prope ambuſtus evaſiſſe*, et cap. 40. ubi aliquis, *ſe populare*, ait, *incendium ſemiuſtum evaſiſſe.* Sed claſſicus de hac re locus eſt CICERONIS, Verrin. I, 27. *ex ſociorum incendio ambuſtus*, *ex illo tamen incendio* periculoque evolavit. Caeterum Graecis ſimilem eſſe loquutionem: *σώζεσθαι ἐκ πυρὸς*, aut *ἐκ φλογὸς*, notavit GROTIUS ad locum Amos. IV, 11. וַתִּהְיוּ כְּאוּד מֻצָּל מִשְּׂרֵפָה cui ſimilis locus eſt Zach. III, 2. E.]

et linguas, ad mille etiam perceptiones externas atque internas, quae nobis omnibus communes ſunt. Valet eadem ad troporum vim iudicandam, ne forte eos urgeamus nimium; pariter ad emphaſes fictas cavendas. Quoniam enim ita loquimur quotidie, ut non quaeramus in ſingulis emphaſin; ideo nec in aliis linguis ſunt emphaſes alieno loco ſectandae. Sed de hoc pluribus dicetur Cap. V. quod eſt de Emphaſibus. Hic addi poteſt, valere etiam comparationem linguarum, quae vel cognatae ſint vel diverſae, ad proverbia, locos communes, parabolas, allegorias et ſimilitudines recte iudicandas. Monebit enim iſta comparatio recte ac prudenter inſtituta, talia non eſſe premenda nimis aut cum pulviſculo excutienda.

[Subiiciam cautiones quaſdam atque admonitiones, quae analogiae ſtudium regant, oſtendantque, quo modo omnino intelligendi ſubtilitas ex linguarum comparatione naſcatur.

I. Si linguas conferre interpretationis cauſſa volumus, non ſufficit, verborum copiam cum ſuis iſtis ſignificationibus lexicaribus memoria complecti, ſed oportet nos linguarum in verbis ac modis loquendi omnem rationem et conſuetudinem bene cognitam habere, ductam ex optimis cuiusque linguae ſcriptoribus eorumque interpretibus.

II. Verba, phraſes ac tropos veterum linguarum iudicare interpretem oportet ex ingenio cuiusque linguae, in qua occurrunt, non exigere ad rationem recentiorum, quae temporum intervallo, atque etiam indole ſua longius ab unaquaque veterum diſtant, quam ipſae inter ſe. Factum autem in primis hoc eſt in tropis et ſublimiori dicendi ratione, quae

quae propria Orientalium eſt, ut theologi, non inſtructi ſatis ab linguarum ſcientia, tales tropos vel ad vernaculae linguae uſum, vel ad ſyſtematis quaedam capita conformarent iisque ſubiicerent ſenſum, de quo ſcriptor ipſe non cogitaverat. Ab hac vitioſa ratione avocabitur et ad ſubtilitatem acuetur, qui ſubactum exterorum ſcriptorum lectione ingenium ac veluti guſtum attulerit ad ſacros ſcriptores, et ad legitimam illorum interpretationem, uſu et exercitatione in libris humanis, adiutus idoneis magiſtris, ſibi aditum muniverit.

III. Quum linguae, etiam veteres, in multis discrepent, ſive, quod natura ipſa non omni loco ac tempore ſibi ſimilis eſt, ſeu, quod mores et opiniones ſubiacent inconſtantiae, ſeu denique, quoniam, quas res ab una gente ad alteram transtulit commercium vel vicinitas, in iis interdum non leviter mutandis uſus et temporum vis laborat; ideo non imitanda eſt illorum interpretum ſuperſtitio, qui origines ſignificationesque verborum ex diverſis plane, vel eiusdem vel alterius linguae, in primis hebraicae, quam primaevam duxerunt et ſacroſanctam, vocibus, propter ſoni litterarumque tenuiſſimam ſaepe ſimilitudinem, eruere et explicare conati ſunt.

IV. Male etiam agunt, qui vel ad doctrinae copias oſtentandas, vel ad levitatem interpretationis tegendam occultandamque, uno hoc analogiae linguarum plurium argumento innituntur, ubi ea lingua, e qua vocabulum aut phraſis petita eſt, ad explicationem illius, ex uſu loquendi derivandám, ſufficit; ſed ut inventus directis atque proximis interpretationis ſubſidiis ſenſus utiliter confirmabitur, in tropis praeſertim et loquendi modis ab noſtrae

linguae consuetudine remotioribus, si eumdem sensum similibus etiam ex alia, in primis cognata, lingua verbis significari apparuerit: ita consentaneum est, ad unam analogiam confugere tum demum, quum directa illa et ordinaria praesidia, posita in ipsis scriptorum testimoniis, in versionibus et scholiastarum glossographorumque annotationibus, aut non sufficiant, aut plane deficiant.

V. Vtroque autem in genere, sive analogia unice consulatur, seu in subsidium tantum modo vocetur, diligenter videndum est, ut eorum, quae comparamus, *vera* similitudo eluceat. Comparabimus itaque non modo *scriptores* diversarum linguarum *similes*, sed *similes* etiam *loquendi modos*, h. e. eos, qui et per se aliquam notionis similitudinem ostendant, et de rebus vel iisdem, vel valde similibus occurrant. Hoc e contextu intelligetur; illud vel ex interiore linguarum indole, vel ex natura et ingenio humano sic judicabitur, ut in similibus verbis, tropis, phrasibus, quas comparamus, aliqua caussa eiusmodi similitudinis appareat.

Post JOH. AUG. ERNESTIUM, qui hac de analogia linguarum multa passim disputavit in progr. *de vestigiis linguae hebraicae in lingua graeca*, Lips. 1753. 4. (in Opusculis philol. crit. p. 171. ed. sec.) tum et in disp. *de difficultate interpretationis grammaticae N. T.* L. 1755. 4. (in Opp. p. 252.) §. XIV., copiosius omnia, quae hactenus proposita sunt, pertractavit exemplisque pererudite confirmavit GEO. GOTTFR. ZEMISCH in disp. *de Analogia linguarum, interpretationis praesidio*, L. 1758. 4. Adde RINKII dissert. *de linguarum orientalium cum graeca mira convenientia*, Regiom. 1778. 4. et orationem

de

de linguarum analogia, quae praemiſſa eſt JOH. DAN. a LENNEP libro in *analogiam linguae graecae*, Lond. et Par. ſ. a. (1777.) 8. E.]

XXIII.

III. *Senſus communis.*

Sed praeterea conſulendus etiam eſt in interpretando *ſenſus communis*, eiusque auxilio iuvanda atque conſtituenda interpretatio (§. 15. 16). Quae eſt tertia ratio reperiendi ſenſum, uſus ſubſidiaria. Sumi nimirum poteſt, omnes homines, qui rationis uſu polleant, conſentire inter ſe invicem in quibusdam ſenſibus (Gefühlen), iudiciis, concluſionibus. Quam coniunctionem ubi cogitamus coniunctim, dicimus *communem ſenſum*; et qui particeps eſt talium ſenſuum, iudiciorum, concluſionum, ei tribuere *ſenſum communem* ſolemus. Iam vero quum hic communem illum ſenſum eatenus ſumamus et ſpectemus, quatenus facit ad interpretationem; quaerendum nobis eſt, *quomodo ſpectanda ſint verba aliorum, ne contra communem ſenſum ſcripſiſſe videantur.* Huic quaeſtioni ſatisfacere tribus obſervationibus conabor.

XXIV.

Obſervationes de ſenſu communi, qui ſpectandus eſt in interpretando.

Obſervatio I. *Loquentes ſic ſunt intelligendi, ut natura rei patitur.*

Natura rei hic non ſpectatur ſubtiliter: ne quis exſpectet eſſentiam rei definiendo explicatam; ſed pinguius, ut dici ſolet in vita communi. Eam naturam

rei discimus per *sensus externos*, per *experientiam*, magnamque experientiae partem, *historiam*, denique per *elementa doctrinae et certa quaedam lemmata.*

1. *Per sensus externos.* Hinc fons uberrimus innumerabilium troporum, quos quilibet videt non posse proprie intelligi, quia proprie intellecti pugnant contra naturam rei; v. c. *animus inflammatur.* Quamquam vero, qui contra sensuum testimonium interpretatur, idem interpretari contra rei naturam recte censetur: tamen episcopi Romani credere homines iusserunt, quae sensibus externis in sacra coena perciperentur, panis et vinum, suam deposuisse substantiam, mutatam illam in substantiam alius rei, quae non perciperetur sensibus.

2. *Per experientiam.* Omnes experimur quotidie, homines non posse plane perfectos fieri, quibus ne una quidem virtus desit. Hinc ubi scriptura sacra dicit: *estote perfecti*, limitandum id est interpretatione, ut natura rei consentiat.

3. *Per historiam.* Vbi legimus πάντα κόσμον audivisse evangelium, seu ὅλον κόσμον illustratum Christi doctrina esse saeculo primo, Pauli temporibus; historia docet, non inter omnes omnino omnium angulorum homines, sed latissime, inter Paganos et Judaeos, inter cultas et incultas gentes, propagatum esse Pauli aetate evangelium. Quapropter qui in compendia sua, ubi articulum tractabant de Vocatione, transtulerunt hanc thesin, nullum fuisse angulum totius orbis terrarum, in quem non venerit evangelium, istos, quoniam interpretati sunt contra historiam, contra communem sensum in interpretando egisse, recte arguemus. Hoc nonne etiam locum habebit in vaticiniis

Pro-

Prophetarum, ubi futurarum rerum felicitas defcribitur fic, ut hiftoria teftetur, id non poffe proprie intelligi? Reperiuntur enim in his, veluti ubi propagatio religionis Chriftianae praedicitur, paffim talia: urfos eo tempore et agnos, leones et oves in iisdem effe pratis verfaturos, communique pabulo ufuros. Qua imagine nihil nifi hoc exprimitur: fore illa tempora longe laetiffima. Qualis autem intelligenda laetitia fit, id ex hiftoria cognofcendum eft.

4. *Per elementa doctrinae et certa quaedam lemmata.* Etenim in interpretando quoque locum habent lemmata non minus, quam in caeteris difciplinis, in quibus multa ponimus fundamenti loco et tamquam evicta et conceffa fumimus. Ita quae in aftronomicis dicuntur de ftante fole, de terra fe movente, haec fumimus tamquam evicta et certa per longam obfervationem. Quae igitur in vitae communis fermone repugnant iftis lemmatibus, veluti folem currere, ftare terram, haec dicimus κατ' ὄψιν tradi, h. e. tradi fic, uti incurrere foleant in oculos. Pariter e primis elementis religionis cognofcimus, Deum effe fimplicem, non praeditum corpore. Iam quum fcriptores facri nihilominus Deo tribuunt corpus, multaque corporea; non eft credibile, eos hoc intellexiffe proprie. Repugnaret enim id primis elementis doctrinae, quae illi habuerunt cognita: foret itaque interpretatio talis contra naturam rei; foret contra communem fenfum. Eodem modo iudicanda funt, quae de Deo ex alio loco in alium transeunte, explorante item et fcifcitante leguntur; fcimus enim ex elementis, Deum et immutabilem effe et omnifcium. Fieri etiam potuit, ut fcriptores interdum uterentur formis loquendi minus accuratis et ab ἀκριβείᾳ dialectica valde abhorrentibus, propterea, quod doctrinam, quam hoc modo exponerent, vel per fe

faci-

facilem et perſpicuam, vel e diſciplina ſuperiori notam eſſe omnibus putabant, ita, ut error in ea intercedere nullus poſſet.

Obſervatio II. *Loquentes ſic intelligendi ſunt, ut notitiae inſitae patiuntur et poſtulant.*

Inſitae notitiae nunc non ſunt ideae connatae, de quibus philoſophi disſerunt, ſed communes omnium hominum ſenſus, communia iudicia de rebus phyſicis, moralibus et vitae communis, quae quilibet habet ſine praeceptione, et concedit ſine demonſtratione. Talis inſita notitia eſt haec: Serva et tuere te ipſum. Proinde quum ſcriptores ſacri interdum his praeceptis utuntur: eneca corpus, reſcinde pedes et manus, exſcinde oculos, cruci membra affige; docent notitiae inſitae, iſta non proprie poſſe intelligi. Nam is, qui me amat, qui me vult felicem reddere, qui me in hac terra conſtituit et conſervationem corporis ac vitae commendavit, non poteſt velle, ut mutilem membra, et corpus enecem. Igitur qui inducti talibus locis, quos intellexerant proprie, membra ſua mutilaverunt, ſeſeque excruciarunt, illi quodam modo juſſerunt Jeſum contra communem ſenſum praecipere et loqui. Ex eodem genere eſt inſita notitia: vitanda eſſe, quae indecora ſint et legi naturali contraria. Nullus igitur locus ſic eſt explicandus, ut contra decorum praecipere videatur aut contra naturalem legem. At vero Luc. X, 4. iubentur diſcipuli Chriſti neminem ſalutare in itinere. Quod ſi proprie capitur, parum abeſt ab ſumma ruſticitate. Nihilo tamen minus ſic intellectum fuit; et mos adeo invaluit, Quackerorum exemplo, neminem ſalutandi. Docet communis ſenſus, locum ſic debere intelligi: nolite in itinere cum hominibus diutius verſari, quo maturius ad deſtinatum locum per-

perveniatis. 2. Joh. v. 10. haec occurrunt: ſi quis venerit ad vos, pervertens erroribus doctrinam, nolite illi dicere: Salve. Quidni? Additur haec cauſſa: Nam qui dicit χαῖρε, is particeps fit peccatorum illius. Foret haec ratio plane abſona, ſi verba proprie caperentur. Capiamus ſic: nolite eum adire cum eoque familiaritatis multum contrahere. Subiiciam his exemplum legis alicuius naturae. Ea lex praecipit amare parentes. Quamobrem ubi legitur, nos debere Chriſti cauſſa odiſſe parentes, pertinet id eo, religionis cauſſa discedendum etiam a parentibus eſſe. Verum hoc nondum exſtirpat amorem, neque odium indit animo.

Obſervatio III. *Loquentibus id eſt concedendum, quod in vita communi quilibet loquentibus concedit.*

Damus et concedimus hoc omnes in vita communi, ut, qui ſint animo commoto, dicant minus accurate, exaggerent rem et praeter modum augeant, iuſto durius loquantur, nec ponderent ſingula orationis momenta. Quodſi quis ſcriptor explicatur, popularis praeſertim imitansque communis vitae ſermonem, in eo, ubi animo loquitur commoto, non urgenda nimis ſunt omnia, non reprehendenda neglectio nexus; limitanda potius ſunt multa duriter dicta, dandum aliquid affectui, neque ex arte iudicanda, quae ex artis iudicio fortaſſis ei vitio verti queant. In communi vita porro concedimus iis, qui ſunt rudes ſcholae et doctrinae, ut non ſemper accurate loquantur. Concedimus loquentibus in communi vita, ut dicant ita, prouti aetas illorum et natio fert; ut multa κατ' ὄψιν loquantur, prouti res in oculos incurrunt. Concedimus in communi vita, ut de rebus vitae communis loquentes intelligantur etiam ex uſu vitae communis; ut v. c. qui utantur parabolis, allegoriis, compara-

parationibus e medio sumptis, ii non existimentur partes omnes inter se accuratissime conferre. Quapropter etiam scriptores sacri, non docti illi, sed homines de plebe, loquentes centies de vitae communis rebus, tractandi eodem modo sunt, ita, ut agnoscantur in iis catachreses, hyperbolae, hypallagae (§. 15).

Catechresis ea est figura, quum tribuimus rei, quod illi per naturam tribui nullo modo potest, seu abusio verbi, quo utimur ibi, ubi proprie illo uti non possumus aut debemus. Catechresis igitur est, quum Virgilius agricolam dicit cogere arva et imperare agris, describens indefessum illius studium; quum idem ille post Homerum vocem dicit ferream, exprimens summam illius vim, quae frangi nequeat. Tali catachrestica ratione dicendi si scriptor utatur, id quis vertet ei vitio? *Hyperbole* est aliqua veluti supergressio, quum dicimus plus quam verum est, aut rem supra modum augemus. Quum Christus dicit, facilius posse camelum transire acus foramen, quam divites felicitate sese dignos praestent aeterna; nihil nisi summam exprimit illius rei difficultatem. Sed quis talia reprehendat, praesertim, si usurpentur in sermone vitae communis, et ad affectum referantur? *Hypallage* denique est immutatio: quum plane immutatur id quod dici debebat; ut, dare ventos classibus, oppidum immittere flammae. Ita in optimis scriptoribus, in primis poëtis, aut iis, qui ad poëticam dicendi rationem propius accesserunt, saepenumero fit praedicatum, quod esse debebat subiectum, et vicissim. — Addam illud, a scriptoribus interdum universe ac simpliciter pronunciari, quod de parte aut certo genere valeat. Dicuntur πάντες ἄνθρωποι, ubi non intelliguntur nisi multi. Legimus, omnes eos iri vexatum, qui pie vivere velint; non accidit id omnibus, neque, si referre ad priora Christianismi

nismi tempora velis, proprie dictae perſequutiones tetigerunt omnes. Similiter in aliis locis. Nec profecto cauſſa ulla erat, cur talia vitarent ſacri ſcriptores [cfr. Matth. II, 3. III, 5. IV, 8. VIII, 34. XXI, 10.], quae eſſent uſu loquendi vulgari in omnibus linguis, praeſertim orientalibus, frequentata; neque ſi adhibetur ab iis hypallage, ideo quisquam auſit ſpiritui ſancto imputare culpam mendacii. Faceret enim id non magis abſone, quam qui in aliis ſcriptoribus ob talia vitioſam orationem iudicaret, (§. 16), aut qui, quae dicta ſunt ex uſu et conſuetudine vitae communis, ſustineret ad amuſſim exigere, et miras hinc comminiſci explicationes.

[Ad eamdem *ſenſus communis* normam et *vitae quotidianae* conſuetudinem plura ſunt exigenda in litteris ſacris N. T., quae non raro ſatis contortis et argutis interpretationibus tentata ſunt, vel quod in ſe ſpectata, offenſionem quamdam praeberent antiquitatis et interpretationis iuſtae rudibus, vel quod adiuvare viderentur illorum ſtudia, qui ſcripturis ſacris ingenioſe et abuſi ſunt, et hodienum abutuntur, ad concordiam quamdam chriſtianae doctrinae cum philoſophiae ſuae placitis introducendam. Quo in genere praeclari etiam viri labuntur, non reputantes, Chriſtum, ſapientiſſimum religionis noſtrae auctorem, non tradidiſſe principia doctrinae moralis *purae*, ſed *applicatae* potius, ſeu *practicae anthropologiae*, eaque, ut vulgi tum captus ferebat, proverbiis, parabolis, allegoriis et narrationibus incluſa propoſuiſſe. Obſervandumque etiam hic eſt, ne Chriſti moralem doctrinam philoſophico molimine torqueamus, non traditam ab eo fuiſſe eam doctrinam, quam KANTIUS *die Klugheitslehre* appellat, ſed hanc, quae de officiis praecipit, *eine ächte Pflichtlehre.*

lebre. — Igitur 1) in *proverbiis*, quae in N. T. paſſim occurrunt, repetita ex uſu vitae quotidianae, *ſenſus communis* ſuadet, ut ſimplicem quaeramus ſenſum, conſuetudini aptum et contextui orationis conſentaneum, neu ſententias ſectemur ignotas, aut doctrinas etiam arcanas, quas nemo ſolet in vita communi adagiis ſuis includere. Exemplum eſt Matth. XXIII, 24. 2) In explicandis Chriſti *allegoriis* et *parabolis*, quae et ipſae ſunt e media vita hauſtae, non arceſſitae a rebus abſconditis aut parum vulgo cognitis, poſtulat *communis ſenſus*, ut ne in ſignificatione verborum ſubſiſtamus ſimpliciter, neque ultra conſilium dicentis philoſophando progrediamur; ſed ut, detractis orationis ornamentis, ſeparatoque narrationis velut apparatu, vim atque ſenſum totius loci ſpectemus, h. e. eruamus univerſam ſententiam, quae imaginibus ſubeſt, ad eamque reperiendam vitae quotidianae et hominum, quibus dictae aut ſcriptae ſunt, conſuetudinem conſulamus. Ita tribus iſtis ſimilitudinibus, quae leguntur Matth. IX, 14 — 18., de convivis, qui non triſtes ſoleant eſſe praeſente ſponſo, de panno recenti, qui non aſſuatur veſtimento veteri, de muſto, quod non condatur utre attrito, ſi conſilium orationis ſpectes et rem ſimilitudine illuſtratam, haec univerſa continetur ſententia: neminem facile in vita communi facere ſolere, quod *ineptum* ſit, h. e. quod a re, loco, tempore, natura abhorreat. Caeterum huius loci egregia dilucidatione MORUS (Diſſertatt. theol. I. p. 94.) exemplum praeivit allegoriarum e vitae communis ratione recte iudicandarum et explicandarum. 3) Quemadmodum in formulis loquendi atque phraſibus, quae per imaginem exprimuntur, res ipſa debet ſpectari, cuius illuſtrationi imago inſervit: ita paſſim etiam, ubi tropus nullus adeſt, *ſenſus com-*

communis docet, verborum vulgarem et propriam ſignificationem mutandam eſſe, h. e. agendum eſſe ſic, ut, deſerto litterali ac grammatico ſenſu, verbis modo laxior, modo anguſtior notio tribuatur, ſive etiam mitigatio adhibeatur interpretationis et quoddam veluti emollimentum. In qua univerſa ratione ſi moniti fuerimus a ſenſu noſtro; in ſingulis deinde loquendi modis, a noſtra conſuetudine nimis abductis, videbimus, an et quo modo illum ſenſum alia quoque argumenta, ducta in primis ex uſu loquendi et linguarum analogia, adiuvent, confirment, regant. Sic qui laboraverunt iis in locis, quibus Deus aliquid mali aut adverſi dediſſe mortalibus dicitur, cum benignitate et iuſtitia divina conciliandis, nulla profecto neque diſtinctionum neque harmoniarum ſubtilitate opus habebant, ſi ſenſus recti iudicio addidiſſent uſum loquendi omnium linguarum, ex quo intelligitur, verba נָתַן, עָשָׂה, *διδόναι*, *τιθέναι* et ſimilia ſaepe ſic uſurpari, ut *permittere*, *concedere* ſignificent. Geneſ. XXXI, 7. לֹא נְתָנוֹ אֱלֹהִים לְהָרַע *non permiſit Deus, ut noceant.* Marc. X, 40. *τὸ καθίσαι ἐκ δεξιῶν μου — οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι.* Quamquam igitur fatendum hiſtorico interpreti eſt, iſtius modi loquutiones fluxiſſe primitus e notionibus, quas homines de Deo habebant nondum excultas ſatis ac dignas natura virtutibusque divinis: tamen illa communis linguarum conſuetudo oſtendit, quod ſenſus communis veluti praeſagiebat, eas formulas ſic receptas fuiſſe in vitae quotidianae ſermonem, ut propriam ac duriorem vim prorſus amitterent. Saepe enim in vita communi in cauſſis rei commemorandis ſolemus tribuere alicui, quod permiſerat, vel ſemper tribuere, quod ſemel fecerat &c. 4) Vbi univerſalitas alicuius rei per ſpecies varias et quemdam eorum *μερισμὸν* ex-

 pri-

primitur: quod genus dicendi a prophetis in primis frequenter ufurpatum, deinde a fcriptoribus facris N. T. adhibitum eft: monet *fenfus communis* et vitae quotidianae ratio, non effe in fingulis, quae afferuntur, diutius inhaerendum, neque omnia anxie excutienda, fed fimplicem potius atque univerfam fententiam conftituendam atque explicandam. Exempla funt 1. Cor. III, 22. Rom. VIII, 38. 39. 5) Omnino autem in his omnibus, quo maior eft fimplicitas fcriptorum N. T. fcribentium narrantiumve (v. MORI disfert. *Defenfio narrationum N. T. quoad modum narrandi*, in Disfertatt. theol. et philol. I. no. 1.), et quo rarius narrationes atque defcriptiones in iis occurrunt elegantius compofitae: occurrunt enim etiam ex hoc genere nonnullae (v. NOESSELT *Vertheidig. d. Wahrheit d. chriftl. Religion*, p. 363.): eo diligentius videndum eft, primum, ut ea explicandi fimplicitate utamur, quae linguae vitae communis omni propria eft, neque de allegoriis, emphafibus, aut fenfu arcano et myftico cogitemus, nifi peculiare et perfpicuum confilium fcriptoris id flagitare deprehendimus; deinde ut ne fingula urgeamus et ad vivum refecemus; denique ut ad ea loquendi genera attendamus, quorum fimilis etiam apud nos hodienum ufus eft in vita communi. E.]

Quae dicta funt de variis modis *fenfus communis* in interpretando, ea latius expofuit TURRETINUS in libro *de interpretatione Scr. Sac.* p. 249. feqq. et in *Excurfu* ad illum librum editor doctiffimus, W. A. TELLERUS p. 105. feqq.

Add. JOH. CHR. THEOPH. ERNESTI disf. *de ufu vitae communis ad interpretationem N. T.* Lipf. 1779. 4.

Quantum autem haec valeant in poëtica dictione et in allegoriis, declaravit ROB. LOWTHIUS *de facra poëfi Hebraeorum*, Praelect. VI. et VII., ad quos locos multa funt MICHAELIS ftudio utiliter addita.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

DE REPERIENDO VSV LOQVENDI NOVI TESTAMENTI.

I.

Introitus.

Exponendum igitur nunc seorsim est, quae propria habeat usus loquendi Novi Testamenti, seu qui occurrant in eo idiotismi. Quamobrem videndum est primum de genere orationis universo, quo scriptores N. T. usi sunt (§. 1.), quod in eo permagnum saepenumero momentum est ad inveniendum et iudicandum, ut res ipsa declarabit.

II.

Pura dictio quaenam dicatur.

Redit autem res universa ad quaestionem, sitne stilus Novi Testamenti pure graecus, an hebraicae dictioni similis (§. 2). *Purum stilum* dicimus eum, in quo nihil admiscetur peregrini, nihil a regulis grammaticis alieni, neque in significatibus verborum, neque in constructione dictionis. Primum igitur quando negamus *peregrini* quicquam inesse in oratione debere, exprimere id sic solemus clarius: non inesse debere barbarismos. Barbarum enim est extraneum, et quaecunque lingua adsciscit extranea verba, quorum loco suis poterat vocabulis uti, ea lingua censetur barbarismis infecta esse.

Nec ineſſe porro orationi debet quicquam *alieni a regulis grammaticis;* dicimus brevius, ſoloecam non eſſe debere orationem. Sed, ut ad barbariſmos redeamus, ii reperiuntur non modo in *conſtructione*, verum etiam in *ſignificatibus verborum.* Ita dicimus latine *verba facere*, ſed non dicimus eo ſenſu, quo Germani *Worte machen*, h. e. inania verba proferre. Quare qui tribueret latinae formulae hunc ſenſum, ab extraneis ei ſubiectum, is uteretur Germaniſmo.

Si vero, ut diximus, pura dictio nihil peregrini admittit in verborum ſignificatione, formularumque conſtructione; in iudicando ſcriptoris ſtilo quaerendum erit *primum*, an *verba ſingula*, exprimentia res, de quibus etiam Graeci vulgo loquuti ſunt, dicantur ſenſu eodem, quo Graeci dixerunt (§. 6). Apparet autem facile, in N. T. multorum verborum ſignificationes petitas eſſe ex alia lingua, nempe hebraica. Quando igitur voc. δικαιοσύνη 2. Cor. IX, 9. et, ex vera quidem lectione, Matth. VI, 1. occurrit de *liberalitate;* non quaeritur, an id ſit bonum verbum graecum, ſed an ſit ſignificatu illo graecum. At quia nemo umquam Graecorum ita uſurpavit verbum, ſed orta eſt ſignificatio ex hebraico צְדָקָה: ſequitur, eſſe illud in locis, quae adduximus, impurum. Pariter 2. Cor. IX, 5. εὐλογία legitur de *copia* et *abundantia.* Eſt illud graecum verbum bonum, ſignificans *laudem*, ut εὐλογεῖν, *laudare.* At iſta ſignificatione Graeci illud numquam adhibuerunt: eſt ergo extraneum et peregrinum, petitum ex alia lingua, in qua reſpondet τῷ בְּרָכָה, ideoque impurum.

[Monuit b. Auctor tantum de iis vocabulis, quae origine eſſent graeca, ſignificatu hebraica. Et ad haec ſane inprimis eſt hac in quaeſtione reſpiciendum.

dum. Tamen verbo adiicere liceat, occurrere etiam vocabula, quae ſcriptores ſacri, loquentes de rebus ad religionem pertinentibus, propter defectum idoneorum verborum graecorum, ex hebraica lingua adſciverint et in vernaculam transtulerint. Qualia ſunt Μεσσίας, ἀλληλουϊα, ὡσαννὰ, γέεννα, πάσχα, ἀμὴν, alia. E.]

Deinde etiam videndum eſt, an *phraſes* non modo habeant ſyntaxin graecam, ſed etiam ſenſum, quem iis graeca conſuetudo attribuit (§. 6). V. c. δίκαιος ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, Luc. I, 6. Singula verba ſunt bene graeca, ſed *conſtructio* eſt extranea, ex hebraica ducta, ubi eſt לִפְנֵי יְהוָֹה, ergo vitioſa. Etiam *ſignificatus* eſt ex hebraico ſermone ductus: nam δίκαιος, ut צַדִּיק, ſignificat bonum ac probum in univerſum. Eodem modo in N. T. occurrit παραστῆναι ἐνώπιόν τινος ſenſu hoc, *miniſtrare alicui;* ſed graece diceretur παραστῆναι τινι, idque ſenſu diverſo. In phraſi illa ἄρτον φαγεῖν conſtructio eſt graeca, ſed ſignificatio peregrina, Luc. XIV, 1. Significat enim *coenam parare et ſumere*, ad normam hebr. אָכַל לֶחֶם.

Denique videndum eſt, an *univerſa forma orationis* (§. 8.) *et habitus* ſit graecus, aut ei proprius linguae, in qua ſcribitur. Habitum orationis dum dico, intelligo tranſitus ab uno ad alterum, periodorum formas, connexionem vocabulorum. Iam vero talia, qualia occurrunt in Evangelio Lucae I, 5. 6. 7., poſt praefatiunculam pure graecam, ſatis indicant habitum orationis hebraicae, quae non continet periodos ſimiles graecis; non nectit commata per particulas ut graeca, ſed ſingulatim fundit, utens fere copula καί; non tranſit ab uno ad alterum ut graeca; neque collocationem habet verborum genuinam et germanam linguae graecae.

[De his cfr. J. D. MICHAELIS praefatio ad R. L. *Lowthii praelectiones de ſacra poëſi hebr.* p. 33. ſeqq. E.]

III.

Dictionem N. T. non eſſe puram, argumentis oſtenditur.

Atque ita conſtituta ac definita quaeſtione, negamus ſine dubitatione, dictionem N. T. eſſe pure graecam, hebraicamque conſuetudinem imitari defendimus, nec modo in ſingulis verbis ac phraſibus et figuris dicendi, ſed etiam univerſa forma orationis (§. 8). Reſtat igitur, ut proferamus eius rei firmiora et illuſtriora argumenta.

I. *Multa graeca in Novo Teſtamento non poſſunt in aliam linguam facilius ad verbum verti, quam in hebraicam* (§. 10). Vnum commemorabo exemplum: *factum eſt in diebus Herodis:* id nonne totidem ſyllabis in hebraicam linguam transferri poteſt? Quid inde? Caſu fieri non potuit haec tanta conſenſio ſtili, praeſertim quum eadem ſcribendi ratio in toto paene libro dominetur; excidere talia ſcriptori non potuere, niſi adſciviſſet de induſtria. Hinc etiam iudicatur, ad interpretandi N. T. ſtudium et exercitationem nil melius eſſe, quam graeca ad verbum hebraice vertere (§. 21); quod ſaepe mediocriter hebraice doctis proclive eſt, tum in verbis ſingulis, tum in formulis verborum.

II. *Ne explicari quidem multa poſſunt niſi ex hebraicis* (§. 10). Quid? quod multi etiam errores in Theologiam importati ſunt, multa falſo explicata ideo, quod non aſſumeretur lingua hebraica. Quodſi neceſſaria eſt huius linguae perpetua comparatio: intelligitur,

tur, graeci ſtili tantam cum ea ſimilitudinem caſui non poſſe attribui, neque iudicari fortuitam. Act. XIII, 48. verba τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον non poſſunt aliter niſi ex hebraicis explicari. Nam ſi aeſtimentur graece, habere hunc ſenſum debent: *translati in vitam aeternam, translati in ſtatum illum feliciorem.* At ſic prodiret ſenſus plane abſurdus, quoniam qui Paulum audierant docentem ſusceperantque eius doctrinam, ibi dicuntur τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον. Illi vero adhuc erant in vivis, adſtabantque Paulo doctrinam tradenti. Quid igitur? Nempe hebraici ſermonis comparatio indicat, *poſitum et ordinatum ad aliquam rem* dici eum, cui res illa certa eſt et deſtinata. Sic bonus oritur ſenſus: quotquot certi erant futurae felicitatis, quibus deſtinata illa felicitas erat, hi ſusceperunt Pauli inſtitutionem. Coloſſ. III, 14. ἀγάπη dicitur σύνδεσμος τῆς τελειότητος. Qui in memoriam ſibi hic revocant hebraici uſum ſermonis, vertunt per ſubſtantivum et adiectivum: *vinculum perfectum.* At תָּמִים ab Hebraeis dicitur, quod eſt tale, quale eſſe debet, item praeclarum, pulcrum. Iudicato ſic commate ex conſtructione hebraica et ſignificatione hebraica, ſenſus erit: *Liebe iſt das ſchönſte Band.* Ac ſermo ibi eſt de mutuae concordiae ſtudio, quod niſi abfuerit, nihil abfore unquam, quum illud ſit optimum ac firmiſſimum ſocietatis omnis vinculum. Iam vero qui id interpretantur e graeco loquendi more, quid tandem hi proferunt? Scilicet σύνδεσμον graece eſſe *faſciculum;* faſciculum conſtare multis rebus in unum complicatis: amorem itaque, qui dicatur σύνδεσμος, conſtare multis virtutibus in ſe quaſi complicatis. Τελειότης, ſi metaphyſice aeſtimetur, a Graecis dicitur tum, quum nihil plane additur, *conſummatio ſumma.* Quid ergo *faſciculus perfectionis?* Explicant ſic: in amore tamquam in faſciculo colligatas et comprehenſas reperiri omnes

omnino virtutes; *die Liebe ist ein Ganzes, das die höheren, schwereren, wichtigeren Tugenden in sich enthält.* Non melius sese expediverunt, qui vocabula *electionis, praedestinationis, vocationis* &c., non nisi ex hebraicis interpretanda, aut definirent e *graecis* ἐκλέγειν, προορίζειν, καλεῖν, aut explicare ex *latinae* linguae usu mallent. Similiter e voc. πνεῦμα, e phrasibus de *Christo in nobis*, e voc. *foederis*, quid non extricatum ab his, qui *spiritum* vel graeco vel latino sensu acciperent, *foedus* explicarent sic, ut nos homines foederatos dicere solemus, et *Christum in nobis* de Christo in pectoribus hominum latente. Consulta hebraica lingua, intelligitur, רוּחַ non semper esse personam, sed multis aliis modis dici; בְּרִית esse simpliciter promissionem cum adiuncta conditione; *Christum in nobis* esse doctrinam eius in coetu obviam et animis hominum praesentem. Ex eodem fonte fluxerunt tot dicta falso probantia, quorum auctoritate sumebatur, agi alicubi de persona Spiritus, quum ageretur de re longe diversa; agi ex. gr. 2. Cor. XII, 9. de infirmitate fidelium morali, quibus dubitantibus adhuc progressusque tardos facientibus promissum sit divinum auxilium, quamquam omnis ibi orationis series doceret et demonstraret, ἀσθένειαν esse miseriam et calamitatem. Neque rarius factum est, ut, qui ignari vel hebraismorum, vel graeci etiam sermonis, in Vulgata Versione acquiescerent, contortas proferrent interpretationes. Ita Galat. III, 1. Christus dicitur veluti *depictus ob oculos Galatarum*, perspicue descriptus. Ea bene graece dicuntur: κατ' ὀφθαλμοὺς προεγράφη. At quia verterat Vulgata illa: *Christus est proscriptus ante oculos*, latini Patres docebant, Christum dici proscriptum eo sensu, quo homines Romani a Sulla olim et Antonio proscripti sint; Christum a Judaeis in exilium eiectum esse. Potestne magis inepta cogitari explicatio?

[Addo

[Addo etiam hoc, quod bene admonuit JOH. CHR. G. ERNESTI (in disputatione *de usu vitae communis ad interpretationem N. T.* p. 15), si reputemus apud animum et temporum illorum rationem et ingenia conditionemque scriptorum, sponte nos duci huc, ut agnoscamus, orationem illam hebraizantem necessario formari debuisse ad *vitae communis* linguam eo tempore, quo vixerunt scriptores sacri, usitatam, vel certe maximam partem illi accommodari. Etenim si recordemur, Judaeis primum innotuisse doctrinam Christianam, mox ab his transiisse ad gentiles seu Graecos homines, Judaeos inter Graecos habitasse, Graecos vicissim inter Judaeos; si cogitemus, graecam linguam eo tempore inter Judaeos fuisse valde usitatam, et sic porro; facile patebit, linguam communem neque pure hebraicam seu syro-chaldaicam, neque pure graecam esse potuisse, praesertim inter homines et negotiis multis districtos, et humilioris sortis ac conditionis, quos omni tempore scimus ab elegantia et puritate sermonis afuisse, ei certe non magnopere studuisse. Accedit, quod illi non scripserunt philosophis et grammaticis graecis, sed maximam partem Judaeis. Omnino igitur, nisi iniuriam velimus scriptoribus sacris inferre, *ex lingua vitae communis* potius, quam ex subtilitate grammatica aestimanda et interpretanda sunt ea loca, in quibus constructio et oratio abhorret ab eleganti et recepta bonorum scriptorum consuetudine, et iam ab antiquissimis iisdemque eruditissimis N. T. lectoribus et iudicibus, Celso, Origene, Chrysostomo, Hieronymo (v. RICH. SIMON *Hist. critiq. d. text. d. N. T.* cap. 26 — 28. et WETSTENII *libellos ad crisin N. T. pertinentes*, pass.) barbarismi ac soloecismi nomine notata est. Hoc in genere quantum tribuendum sit

 vitae

vitae communis ad interpretationem ſcripturae ſacrae ſubſidio, docuit etiam MICHAELIS in Introduct. ad N. T. I. p. 164. Add. TURRETINUM de ſacr. ſcript. interpretatione, p. 391. HAENLEIN *Handbuch der Einleitung in die Schriften des N. T.* P. I. p. 332. ſeqq. E.]

IV.

Argumenta eorum, qui puritatem defendunt, ponderantur.

In tanta luce ſententiae, quae negat puram eſſe Novi Teſtamenti dictionem et vacuam ab hebraismis, mirum eſt, fuiſſe, qui contrariam opinionem acriter defenderent. Qui quibus uſi ſint argumentis, breviter exponamus.

I. *Multa relata ad hebraismos eſſe, quae tamen non ſint, ſed bene graece dicantur.*

Ea obiectio ut recte iudicari poſſit, tenendum eſt, non quaeri, an quaedam pro non bene graecis, ſed hebraismis habita ſint a nonnullis, aut etiamnum habeantur, quae ſint in bene graecis numeranda: quod facile concedimus (§. 3). Quid v. c. uſitatius eſt illo: *ἐϱγάζεσθαι καλὸν* aut *κακόν*? quid notius, quam id reſpondere hebraicis verbis פָּעַל טוֹב aut עָשָׂה רָע, עָשָׂה טוֹב aut פָּעַל אָוֶן. Tamen ſic quoque Xenophon dicit *ἐϱγάζεσθαι καλά*, Mem. Socr. II, I. 27. Quid notius his: *pugnare pugnam*? quid notius illo *δύναμις* de copia et exercitu? Sed ea omnia Graecis quoque dicuntur, nec referenda ſunt ad hebraismos. Et ſane erratum eſt hoc in genere a multis, non reputantibus, eſſe quaedam genera dicendi omnibus linguis communia. Quid mirum itaque, occurrere in Novo Teſtamento, quae et hebraicae linguae,

guae, et graecae, et latinae communia ſint? Hinc etiam GLASSIUS in ea *Philologiae Sacrae* parte, quae *grammatica* dicitur, ſaepe admonuit de talibus, quae et apud exteros ſcriptores, tum graecos, tum latinos, eodem modo occurrant.

Quamquam vero concedi poteſt, talia eximenda eſſe nomine ac numero hebraismorum; tamen illud admonendum videtur (§. 9.), phraſes quasdam, etſi eodem ſenſu in Graecis reperiantur, nihilominus hebraicas, ſeu potius ex hebraica lingua in N. T. translatas eſſe. Sic caſu nata eſt illa puritas. Etenim qui ſcripſerunt libros N. T., hebraicam linguam vernaculam habuerunt. Quod ergo dicunt quaedam omnibus linguis communia, dicunt ideo, quia ſic didicerant in lingua vernacula. Ita quum tirones ſcribimus latine, caſu ſolet fieri, ut e vernaculis multa faciamus latina, quae etiam in probatiſſimis ſcriptoribus reperiantur. De ſcriptoribus autem N. T. ſcite id obſervavit GATAKERUS, contr. Pfochen. p. 61. probaveruntque philologi doctiſſimi. [cfr. WERENFELS Opuſcul. Disſert. XIV. de ſtilo ſcriptorum N. T. p. 360.]

II. *Dicunt porro, vocabula et phraſes easdem, quae ſint in N. T., etiam in ſcriptoribus graecis exſtare* (§. 4).

Quis hoc neget, legi in graecis *δικαιοσύνην*, legi *κοινὸν*, legi alia? Sed hoc non quaeritur: quaeritur, an eo ſenſu legantur in ſcriptoribus graecis, quo ſenſu in Novo Teſtamento leguntur. Diximus ea de re ſupra II., apparetque operam omnem perdidiſſe PFOCHENIUM et BLACKWALLUM, qui nil niſi hoc agerent, ut vocabulum aliquod, in N. T. obvium, oſtenderent etiam apud exteros occurrere. Quid? quod occurrunt perpauca in N. T. verba, quorum exem-

exempla in alio ſcriptore nullo exſtare, ab illis ipſis moneatur.

III. *Defendunt puritatem linguae N. T. etiam ſic, ut vocabula et phraſes easdem eodem ſenſu in ſcriptoribus graecis legi dicant.*

Id qui contenderunt, non habuere *iuſtum delectum ſcriptorum*, e quibus puritatem N. T. defenderent. Primum enim nominari non debebant *poëtae*, omnium minime ſublimiores (§. 4.), in quibus multa occurrunt hebraicae linguae ſimilia. Veluti ξηρά, *arida*, plane dicitur apud poëtas ut hebr. יַבָּשָׁה, ut ſit continens terra. Pariter Hebraei vocem רַחֲמִים *viſcera*, ſaepe dicunt de mente, ſenſibus et propenſionibus animi, omninoque de eo, quod intus eſt. Eamdem vocem non raro poëtae graeci adhibuerunt; ut apud Aeſchylum S. c. Th. 343. miles dicitur κακόσπλαγχνος, malum pectus habens, ignavus, deſertor armorum et caſtrorum. Poëta ap. Plutarchum de A. P. p. 58. hominem dicit θρασύσπλαγχνον, audaciſſimi pectoris. Sophocles Antig. 517. fratres germanos, qui communi ex utero prodierunt, appellat ὁμοσπλάγχνους. Neque aliter Hebraei *viſcera* dicunt de utero materno. [cfr. MORI libellus Animadv. in Longinum p. 32.] Apparet ex his omnibus, eſſe quaedam veluti principia conſtituenda, e quibus haec diiudicari queant. Teneamus itaque haec:

a) *Poetae multa dicunt inſolentius et audacius*, indulgentes ingenio ſuo et licentiae, quae poëtica appellatur. Ergo haec demonſtrare nequeunt uſum vitae communis. At in Novo Teſtamento ſumma eſt ſimplicitas, quae verſatur vel in narrando, vel in docendo, vel in rebus vitae communis. Talis igitur ſtilus, tales

tales res tractans, aeſtimari nullo pacto poteſt ex inſolentia et ornamentis dictionis poëticae, ita, ut puritas illius defendatur ex hac, regulaeque ſcribendi deriventur ex iis, qui tales regulas audacius ſpreverunt. Contra vero in hebraica lingua haec non rara ſunt, non inſolentia, ſed communis vitae conſuetudine trita, et nota omnibus. Ad haec igitur omnino referenda erunt, quae in N. T. ex hoc genere occurrunt.

b) *Poëtis licet etiam peregrina uſurpare.* Quid enim non licere ſibi putavit Horatius, graeca Pindari verba vertens? quid non Lucanus, Seneca tragicus, alii? Tales autem nemo auſit imitari in proſaica oratione, neque illorum auctoritate ſuum loquendi genus peregrinum defendere ſuſtineat. Nimirum talia licent poëtis tantummodo, ad orationem variandam et exornandam, item ad doctrinam oſtendendam; de quo paſſim ad Virgilium monuit Heynius. Quando autem idem fit a ſcriptoribus N. T. admodum popularibus, in oratione ſimpliciſſima, an et hic varietas? an et hic ornatus? an et hic doctrinae aliqua oſtentatio?

c) *Poëtae ex priſco Orientis ſermone quaedam traxerunt.* Non poteſt igitur dictio N. T. defendi ex Homero, Aeſchylo et Pindaro, qui et ipſi ex Oriente illa acceperunt, hebraicamque linguam imitati ſunt. Sed quia haec res eſt in facto poſita, opus eſt argumentis hiſtoricis. Nimirum quum Homerus in Aſia minori viveret, quae eſſet vicina Syriacis, Chaldaicis, Perſicis provinciis; quid mirum, ſi in poëtam minoris Aſiae ex Oriente quaedam venirent per gentium varia commercia? Sic ea omnia, quae de Deo, veniente ad ſacra, vultum avertente aut faciem ad homines convertente, in ſacris libris leguntur, etiam in Homero exſtant; quae dicuntur de morbis divinitus immiſſis, de

de telis aut ſagittis a Deo in homines coniectis, ea pariter in Homero ſunt. Effecerat enim terrarum vicinia quamdam ſimilitudinem linguarum et analogiam res cogitandi atque exprimendi. Sed hunc Homerum deinde imitati ſunt caeteri, eiusque ſublimitatem tragici et lyrici poëtae expreſſerunt. Quocirca conſenſio Homeri cum ſermone Orientis eſt veluti baſis conſenſionis ac ſimilitudinis, quae Lyricis etiam, ut Pindaro, et Tragicis, in primis Aeſchylo et Sophocli, ſaepiſſime intercedit cum Oriente, etſi hi Athenis, ille Thebis vixerat, et neutri cum Oriente quicquam commercii interceſſerat. Accedit, quod ſuo tempore Graeci cum Perſis bella geſſerunt, ut Miltiadis et Themiſtoclis aetate. Hinc quum venirent Graeci in Orientem ex Europa, factum, ut ab hominibus orientalibus multa reciperent in ſuam linguam. Tum et Judaei in Babyloniam et Aſſyriam deducti, lateque diſperſi per terras, perpetuum cum Graecis habuere nexum. Hinc nonne rurſus id fieri potuit, ut Judaei illi inferrent aliquid ex ſua lingua ſuoque cogitandi modo in linguam graecam? Tamen haec a poëtis tantum uſurpabantur, qui hoc modo doctrinam ſuam oſtenderent, opportunitatemque arriperent exornandae orationis. — Caeterum, ut haec omnia obſervanda ſunt interpretibus: ita ſtudium obſervandi acuetur et exercitatio utilis in his praebebitur cuivis, qui commentarios in Jobum, Prophetas et Proverbia perlegerit, Lowthianum in primis in Jeſaiam, in quo multa allata ſunt, plane eodem modo a Pindaro dicta ut a Jeſaia.

[Etſi in his nonnulla bene ſunt a b. MORO admonita; tamen omnino cavendum eſt, ne ab imitatione repetamus, quae naturae potius, quam vel ſtudii vel commercii mutui, ſimilitudo eſt. Profecto enim multi, in primis ſuperiore ſaeculo, modum in ea re exceſſe-

excesserunt, quod Homerum existimarent, hebraice scientem, litteras sacras pertractasse, ex iis multa imitatione expressisse, aut, quae CROESI (in *Homero Hebraeo*, Dordraci 1704. 8.) fuit sententia, adeo exscripsisse, et quasi transformasse in alia omnia. Inde quot verba repererant apud poëtam, totidem paene hebraismos defendebant. Neque hac nostra aetate defuere, qui posterioris sententiae patrocinium nimis acriter susciperent. v. MÜCKII progr. *quid adiumenti sacrarum litterarum interpreti praestet Homeri cum sacris scriptoribus comparatio*, Lips. 1789. 4. Quid? quod ipse ERNESTIUS in dissert. *de vestigiis linguae hebraicae in lingua graeca*, Lips. 1753. 4. (*Opuscul. philol. et crit.* p. 178.) „neque repugnaverim, inquit, valde, si quis et Homerum, doctissimum hominem, et alios de more illorum temporum, peregrinatos per Asiam, incidisse in libros hebraicos atque inde hausisse putet.“ Quae opinio sicut omnino destituitur historiae fundamentis; ita in hac tota quaestione illud perpendendum est, quod post alios etiam monuit HARLESIUS *ad Fabricii Bibl. gr.* Vol. I. p. 535., mores hominum utriusque sexus et omnium nationum, donec usu annorum atque institutione fiant sapientiores, prudentiores et exculti, parum inter se differre, sed in omni vita atque oratione miram simplicitatem prodere atque similitudinem. Proinde quum morum tanta, et sentiendi dicendique consensio et conspiratio etiamnum reperiatur inter barbaras gentes, quae nondum excitatae cultiorum nationum consuetudine, nec per artes et doctrinas pulchri sensu imbutae, ex prima barbarie vitae emergunt; quid mirum, si in Homero eadem orationis simplicitas, eadem similitudinum ab ipsa natura ductarum frequentia, idem calor fervorque iuvenescentis linguae, idem

idem sentiendi loquendique modus, idem rerum, quae sensus potissimum feriunt, amor et hinc petitarum imaginum color, et alia multa, quae in antiquissimis Hebraeorum vatum libris eodem modo reperiantur? Ac nescio, an ex eodem genere formulae sint, quarum similitudinem cum hebraicis b. Auctor e vicinia terrarum gentiumque commercio derivavit. cfr. DRASDO *comparatio Mosis et Homeri*, Viteb. 1783. 4. E.]

Deinde qui defendere puritatem N. T. ex *poëtis* volebant, in *ipsis poëtarum locis*, quos afferrent, delectum aliquem debebant facere. Ita Comicis locus esse potest, uti ab ERNESTIO §. 7. monetur, praeterquam in Choris. Comoedia enim graeca, quia maximam partem dialogis constat et sermonibus hominum de rebus e media vita petitis, simillima est orationi solutae, etsi iambicis est versibus conscripta. At in Choris multo est elatior oratio. Videatur igitur illa, si excipias Choros, cum N. T. commode conferri posse. Quamquam ego arbitror, e fabulis Aristophanicis, quae nobis superstites sunt solae, fore perpauca, quae referri huc aliquo modo possint.

Tum curare etiam hoc defensores puritatis debebant, ut afferrent *scriptores antiquiores* (§. 7.), quorum esset pura scribendi ratio. Huc autem pertinent Thucydides, Xenophon, Plato, Aristoteles, Oratores graeci, omnesque scriptores, qui inde a Socrate usque ad Alexandri M. aetatem floruerunt; quae aurea censeri potest linguae graecae aetas. Secundi ab his aureae aetatis scriptoribus illi sunt, qui vixerunt inde a sublato regno Macedonico a Romanis usque ad Augustum. In his eminentior est Polybius. Multo autem minus huc vocandi erant, qui post illa tempora, scripto-

rum

rum facrorum N. T. potiffimum aetate, graece fcripfe-runt, veluti Aelianus, M. Antoninus, Libanius, Chariton. Qui omnes funt non nifi imitatores veterum ex aurea aetate et exquifitiora fere affectarunt, et variam in fcripta fua phrafium et dicendi generum commixtionem contulerunt. Quapropter perverfe fecere, qui in illa puritate N. T. aeftimanda corraderent verba et phrafes ex omnibus Graeciae fcriptoribus promifcue, nihil curantes, an illi ipfi, e quibus corraferant, pure fcripfiffent ac probabiliter.

Denique nec iis erat utendum, *qui traxerunt aliquid vel e verfione Veteris, vel ex ipfis libris Novi Teftamenti* (§. 7). Hi funt uno verbo Patres graeci, quibus loquentibus de religione, neceffe erat multa ex iftis fontibus haurire. Parum itaque profecerit, qui ad defendendam N. T. puritatem uteretur auctoritate Theodoreti, Chryfoftomi, aliorum, qui etfi doctrina praevaluerunt, linguae tamen, qua ufi funt, puritate commendari neutiquam poffunt.

Omnino autem *conferendi erant fcriptores cum fui fimilibus*, ex iisque explicandi; hiftorici ex hiftoricis, dogmatici ex dogmaticis &c.

IV. *Vfi interdum funt defenfores puritatis N. T. etiam hoc argumento, ut dicerent, debuiffe fcriptores facros varia dicere aliter, quam Graeci, quia loquuti effent de rebus novis, quas Graeci penitus ignoraviffent* (§. 5).

Hae res novae funt ipfa religionis dogmata, ad quae exprimenda ifti putant opus fuiffe aut verbis novis, aut novis fignificationibus, quas ufitatis verbis ex hebraicae linguae confuetudine tribuerent. Verum hoc non efficit impuram dictionem N. T. Quaevis

enim doctrina habet verba ſua propria et technica peculiarique ſignificatione uſurpata; et inter latinos quoque ſcriptores ii, qui erant praeter modum puri, quum de rebus incognitis populo Romano loquerentur, uſi ſunt vocabulis novis, e graeco potiſſimum ſermone ductis. Ita Cicero introduxit verbum *qualitas; mores* dixit aliter quam in communi vita; aliter etiam *perceptiones;* quae omnia ſe monet repetiiſſe e graecis, et repetere debuiſſe, quum graecam philoſophiam inferret Latio; ſed nemo hinc barbarum ei obiiciet atque impurum ſcribendi genus. Quare niſi alia in promptu eſſent argumenta, quae puritatem Novi Teſtamenti vocarent in dubium; propter hoc quidem nemo eam poſſet a ſcriptoribus ſacris abiudicare.

V. *Aliud argumentum defenſores puritatis inde repetunt, quod dicunt, ſi impura ſit N. T. dictio, multum ei de pretio detrahi; neque enim habere laudem elegantis et exquiſitae dictionis.*

Verum ea res primo propterea nihil ad dignitatem librorum divinorum incommodi habet, quod haec in rebus tantum eſt poſita et a veritate nihil incommodi proficiſci ad res divinas poteſt; deinde quia inde cognoſci poteſt veſtigium divinae providentiae, quod N. T. Judaeis maxime ſcriptum, ſermone ſcriptum eſt hebraizante; denique quod multa commemorari posſunt, propter quae tale genus orationis in libris ſacris adhiberi conſentaneum ac neceſſarium fuit (§. 12). Ea quae ſint, deinceps tractabimus.

a. *Scriptores N. T. omnia cogitabant hebraice* (§. 13): hinc fieri non potuit, quin non bene graece ſcriberent. Vix indiget res exemplo. Qui natus eſt et educatus inter Germanos, et hos tantummodo novit,

vit, is, necesse est, omnia germanice cogitet, et ad scribendum appulsus, scribat germanizans. Pariter Apostoli non curaverant commercium cum aliis gentibus graece loquentibus in Palaestina, neque deponere poterant consuetudinem res cogitandi hebraice, quam inde a puero contraxerant.

b. *Scriptores N. T. non erant graece ad scholae legem docti* (§. 13). Ne grammatice quidem illi didicerant graecam linguam, qui inde a iuventute portitores, piscatores &c. fuerant, multo minus philosophice ac rhetorice. Inde nec a gravioribus peccatis sibi semper caverunt, neque potuerunt omnes loquendi formulas graecas in promptu habere. Atque Act. IV, 13. diserte dicuntur ἄνθρωποι ἀγράμματοι, *illiterati*, ne iudaice quidem docti sic, ut a puero per magistros intelligendae et explicandae scripturae aut legis facultatem acceperint, aut rhetoricis adeo scholis fuerint instituti. Paulus autem 2. Cor. XI, 6. ipse se appellat ἰδιώτην τῷ λόγῳ ratione dictionis non imbutum scholae doctrina, imperitum artis dicendi, idque in epistolis ad Corinthios passim repetit. Cur igitur nos obtrudamus viris illis doctrinam, quam ne ipsi quidem sibi vindicarunt, neque natio iis umquam attribuit?

[De his aliisque testimoniis Apostolorum, e quibus apparet, ipsos ingenue et crebro professos esse, doctrinam suam abhorrere ab elegantia sermonis et eloquentia, orationemque, qua utantur, desumptam esse e vitae communis consuetudine, v. IOH. LAMIUM *de eruditione Apostolorum*, c. VII — IX. WETTSTENII *libellos ad crisin et interpretat. N. T.* p. 48. seqq. et THALEMANNI disputationem mox laudandam, p. 18. seqq. E.]

O 2 c. *Scri-*

c. *Scriptores N. T. non legerant scriptores graecos.* Quis enim hoc exspectet a portitore &c.? Attamen in Paulo laborarunt multi, si hunc fortasse ostendere possent ex arte, pure, clare et ἀκριβέστατα scripsisse, quamquam ipse doctum se esse negavit. Nempe quia Tarsi vixerat, in qua urbe fuerunt rhetores et philosophi graeci, illico ipsum et rhetorem faciunt et philosophum. Fuit adeo, qui scriberet de Bibliotheca Pauli. Nam quod Paulus adhibuisse videtur aliquot locos, e Menandro aliisque poëtis ductos, hinc concludit, fuisse horum opera in eius supellectile libraria. Multo melius ista diiudicavit CHR. GUIL. THALEMANNUS in diss. *de eruditione Pauli Apostoli iudaica, non graeca*, L. 1769. 4. Accedit, quod Paulus fuit Pharisaeus, ideoque alienus ab hellenismo (§. 13.), h. e. a studio litterarum graecarum. Pharisaicae enim sectae animus *τοῦ νόμου* et *τῆς παραδόσεως tum* fuit tenacissimus, et qui ei adscriptus erat, non deducebatur ad studia graecae doctrinae, quippe quae impura iudicaretur et nequaquam coniungenda cum *νόμῳ.* Loquor de Pauli aetate: nam paullo post, mutatis temporibus, etiam mores mutati sunt: quod vel Josephi exemplo constat, Pharisaei quidem, sed graece perdocti, qui et opus suum probabili sermone graeco conscriberet. Facta autem est illa morum mutatio tum, quum Judaei iam subiecti essent Romano imperio, atque huc illuc dispersi, cogerentur etiam cum Graecis se coniungere.

Dixi paullo ante, quod libri N. T. scripti sint hebraizante sermone, ex eo elucere etiam *divinae providentiae* vestigia. Id quibus argumentis nitatur, nunc addam (§. 14.):

a) Scimus omnes ac didicimus, libros illos scriptos a Judaeis fuisse, qui nullis essent litteris imbuti, quippe

quippe oriundi e media plebe, et negotiis vitae infimis occupati. Qui ſi nobis reliquiſſent libros elegantiſſime ſcriptos, plane Xenophonteos; nonne adverſarii recte hinc graviſſimum eſſent argumentum petituri contra illorum authentiam?

[Quid? quod ipſe Paulus iam doctores falſos ac fraudulentos ex hac nota iubet cognoſcere, quod eorum ſtilus ab Apoſtolorum ſimplicitate vehementer abhorreat. Adeo non impetrare a faſtu ſuo et oſtentatione poterant falſarii illi, ut tenue illud et ſimplex et nil niſi veritatem ſpirans dicendi genus Apoſtolorum imitarentur. E.]

b) Plebeii e Judaeis, quibus maxime ſcribebatur, ne probaturi quidem erant hoc genus dicendi, odio Graecorum et eloquentiae graecanicae. Quum enim illi quoque Judaei, qui dediti erant graecanicae doctrinae, ut Philo, magnae parti populi vehementer displicerent: quo tandem animo v. c. Palaeſtinenſes accepturi Matthaei evangelium fuiſſent, ſi talis in eo et doctrinae apparatum et orationis elegantiam deprehendiſſent?

[v. JOH. AUG. ERNESTI disp. *de odio Judaeorum adverſus litteras graecas*, Lipſ. 1758. 4. et in Opuſculis philol. criticis, p. 408. Atque hinc etiam fuere, qui dicerent, inde ab eo tempore, quo ad gentiles translata fuiſſet doctrina Chriſtiana, et Judaeorum cum illis conſuetudo et coniunctio magis coaluiſſet, multique pagani ad religionem Chriſti ſeſe convertiſſent, Apoſtolos ſubinde elegantiore quadam et ad artem compoſita oratione uſos fuiſſe: qualis deprehendatur in Actis atque Epiſtolis. Quam obſervationem ſi placuerit ad *Paulinas* Epiſto-

 las

las referre, aliquantisper concedam: modo ne quis Epiſtolas PETRI, JACOBI et JUDAE exiſtimet, iudaico depoſito habitu et hebraismorum multitudine deminuta, elegantius et exquiſitius orationis genus probare elegantiae ſpectatoribus. *Matthaeo* et *Marco* purior eſt JOHANNES, Apocalypſin ſi excipias, incerti illam Auctoris, refertam hebraismis et a graeca ſcribendi conſuetudine disiunctiſſimam (v. SAM. GOTTL. LANGE *Die Schriften Johannis, des vertrauten Schülers Jeſu*, To. I. (1795. 8.) *Einleit.* p. 34. ſq.); puriſſimus omnium LUCAS, in Evangelii quidem perpaucis locis, ſed multo crebrius in Actis. Quamquam in his etiam magis peritiam ſcribendi oſtendit, quam ſtudium et contentionem. In PAULI autem Epiſtolis quae ſpeciem elegantis, ſplendidae et ab uſu intelligentiaque hominum indoctorum remotae orationis habent, ea recte tribuuntur tum ingenio hebraicae linguae, cui aſſuetus erat homo iudaeus, tum eruditioni iudaicae, quam imbiberat, tum ipſius ſcriptoris acriori ingenio animoque in rebus divinis tradendis concitatiori ac paene inflammato. 1. Cor. II, 4. 5. Cfr. JOH. GUIL. FUHRMANN *de concinnitate in epiſtola Pauli ad Romanos*, Lipſ. 1776. 4. CAR. LUD. BAUERI *Philologia Thucydideo-Paulina ſ notatio figurarum orationis Paulinae, cum Thucydidea comparatae*, Hal. 1773. 8. Ej. *Rhetorica Paulina, vel quid oratorium ſit in oratione Pauli*, Hal. 1782. II. Vol. 8. Add. C. H. TZSCHUCKII *Commentarius logico-rhetoricus de ſermonibus J. C.* Lipſ. 1781. 8. Haud temere laudavi libros, in quibus dotes Paulinorum ſcriptorum diligentiſſime explanantur. Has enim dotes ſi cognitas perſpectasque habuiſſent ii, qui arguenda Novi Teſtamenti impura dictione, ſtatuerunt de pretio illorum librorum detrahi (v. ſupra pag. 210.), aut ſi

vir-

virtutes caeterorum fcriptorum facrorum non tam in fingulis verbis ac phrafibus ponere voluiffent, quam in univerfo tractationis elocutionisque modo, ad obtinendum id, quod intendebatur, confilium apto et perquam accommodato: dubium non eft, quin et libros ipfos rectius iudicaturi, et auctoritatem illorum prudentius vindicaturi, et defenfores impuritatis cautius leniusque reprehenfuri fuiffent. Scite de his virtutibus expofuit HAENLEIN *Einleit. in die Schriften des N. T.* I. p. 384. Cuius acutiffimi Theologi verba, quoniam ad cauffam noftram faciunt, et brevitati adiunctam habent infignem perfpicuitatem, temperare mihi non poffum, quin huc transferam: „Einfachheit und Würde zeichnen die Erzählung der wichtigen Thatfachen aus, auf deren Wahrheit das ganze Gebäude der Religion geftützt ift; die Sprache der innigften Ueberzeugung und der wärmften Empfindung herrfcht da, wo diefe Männer von religiöfen Lehren und Hoffnungen, und der lebendige Abdruck ihres eigenen religiöfen Sinnes findet fich überall, wo fie von den practifchen Forderungen des Chriftenthums fprechen. Viele affectvolle Stellen in den Reden *Jefu*, in den Briefen *Pauli*, *Petri* und *Johannis*, viel Erhabenheit des Ausdrucks, und viel dichterifcher Schwung in den Schilderungen der *Apocalypfe*, feffeln und rühren das Herz des Lefers, und die auch im Styl und in der Sprache unverkennbaren Spuren des Characters, der Gefchäfte und der menfchenfreundlichen Abfichten diefer Schriftfteller, bürgen überall für den Adel ihres Geiftes, für die Wärme ihres Herzens, für Wahrheit, Tugend und Menfchenwohl, für ihre auch ohne litterarifche Cultur, und ohne allen erkünftelten Schmuck, doch fo glänzenden, und zum Wohl der Welt fo ausgezeichnet wirkfamen Talente.

 — Ne-

— Neben dem Vorzuge der Einfachheit, Kürze und Deutlichkeit, vermifst man endlich auch nicht manche Arten von rhetorifchen Schönheiten, welche dem Styl Leben und Wärme verfchaffen, und fich hier in einer Menge trefflich ausgewählter Tropen, Bilder, Allegorieen und finnreicher Gleichniffe, in Ironieen, Apologen, Sentenzen, Apoftrophen und andern ausgefuchten Wendungen des Vortrags zeigen." E.]

c) Fortaffis et hoc fumi poteft, tales Judaeos, alienos plane a bona graecitate, vix intellecturos fuiffe ftilum bene graecum. Etenim per Alexandrinam verfionem librosque apocryphos affueti erant ftilo cuidam religiofo feu facro; quem fi neglexiffent Apoftoli et repente Xenophonteo aut Platonico more fcripfiffent, quis Judaeorum fcripta illorum intellexiffet?

VI. *Queruntur denique puritatis defenfores de obfcuritate dictionis N. T., quae oriatur neceffario, fi non fit ad graecum, fed hebraicum morem loquendi referenda.*

At ERNESTIUS (§. 15.) negare videtur, ex ifto ftilo oriri obfcuritatem maiorem. Nam exiftimat, lectores *primi faeculi*, quo vixerunt Apoftoli, intelligere iftos libros potuiffe, nec poftulandum effe a fcriptore, ut fpectet futura tempora, fuam aetatem negligat. Verum quamquam id de Judaeis concedi poteft, quos et Verfio Alexandrina et Apocrypha fatis affuefecerant huic graecitati; tamen reputo mecum et Paganos, qui omnis hebraici fermonis antea rudes fuerant et ignari. Nolim igitur fimpliciter dicere, fuiffe haec ifto tempore *omnibus* perfpicua, fine ulla obfcuritate. Interea hoc etiam cogitandum, illa aetate exftitiffe omnium coetuum *Doctores*, qui, quum magnam partem fuiffent antea Judaei, hominibus graecis interpretari poffent

ac

ac deberent hebraicum ſermonem. Poterit et illud adiungi, fuiſſe in coetibus Chriſtianorum *Laicos* multos, antea Judaeos, qui et ipſi, hebraice ſcientes, talia edocere Paganos poſſent. Ita ſalvum manet illud, potuiſſe illo tempore illos legi libros atque intelligi. Ac ſi nonnullis viſa nonnulla fuerint obſcura, cui inopinatum id videatur, quum nullus in lucem prodeat liber, qui tum, quum prodit, intelligi ab unoquoque poſſit?

V.

Defenſores puritatis N. T. recenſentur.

Contenderunt igitur, pure graecos eſſe ſcriptores Novi Teſtamenti (§. 2.)

SEB. PFOCHENIUS in *diatribe de linguae graecae N. T. puritate, ubi quamplurimis, qui vulgo finguntur, Ebraismis larva detrahitur, et profanos quoque auctores ita eſſe loquutos, ad oculum demonſtratur*, [Amſtel. 1629. iterum 1633. 12.]

[Signum ſententiae huius et controverſiae inde enatae ſuſtulerat HENRICUS STEPHANUS, qui, quum *Eraſmus* et *Laurentius Valla* ſaeculo XVI. recte iudicaviſſent de dictione Novi Teſtamenti impura, puritatem eius defendere princeps conaretur in praefatione ad ſuam N. T. editionem, quae prodiit a. 1576. Hinc excitabantur Theologorum hoc in genere ſtudia; animadvertebatur mira opinionum illarum diverſitas, neque tamen controverſiae exoriebantur ante SEBASTIANUM PFOCHENIUM, cuius librum b. Auctor laudavit, inſertum quoque cum multis aliis ſcriptis huc pertinentibus JACOBI RHENFERDI *diſſertationum philologico-theologicarum*

de stilo N. T. syntagmati, Leovard. 1702. 4. Add. T. H. *van der* HONERT *syntagma dissertationum de stilo Novi Testamenti graeco*, Amstelod. 1703. 4. — In Germania Pfochenii somnia primus, quod sciam, repetiit ac tueri annisus est JACOBUS GROSSIUS, qui *Triadem propositionum theologicarum stilum Novi Testamenti a barbaris criminationibus vindicantium*, Jenae 1640 vulgavit, adversatus inprimis JOACHIMO JUNGIO, Pfochenii acri, sed perdocto adversario. Ediderat nimirum Jungius *Sententias doctissimorum quorundam virorum — de Hellenistis et hellenistica dialecto*, Jenae 1639: quem librum non poenitebit contulisse diligenter cum *Heinsianis*, quos paullo post (VII.) indicabimus. Nec vero GROSSIUS iste acquievit in illa Iungianae scriptionis reprehensione: sed DANIELI etiam WULFERO, qui *Innocentiam Hellenistarum vindicatam* a. 1640 ediderat, non minore cum iniquitate opponere ausus est *Observationes pro Triade observationum apologeticas*. Idem postea JOHANNEM MUSAEUM congressus, huius *Disquisitionem de stilo N. T.*, a. 1641 editam, acerbissime contrectavit *Tertia defensione Triados* (Hamb. 1641), eidemque Defensioni, postquam modestissimus ille pariter atque eruditissimus Theologus *Vindicias disquisitionis de stilo N. T.* a. 1642. publici iuris fecisset, impudens homo, ne cessisse tam verae totque argumentis corroboratae sententiae ulla in re videretur, etiam *Quartam defensionem Triados*, Hamburg. a. 1642. adiunxit. E.]

BALTHAS. STOLBERGIUS in Exercitationum graecae linguae tractatu, *de soloecismis et barbarismis graecae N. F. dictioni falso tributis, ut et de Cilicismis aliisque a Paulo nove usurpatis*, [cum praefat. *C. S. Schurzfleischii*, Viteb. 1685. 4. tertia edit. Viteb. 1688. 4.]

ERAS-

ERASMUS SCHMIDIUS in notis ad suam N. T. editionem (Norimb. 1658. f.) innumeris locis.

ANTON BLACKWALL in *Auctoribus sacris classicis defensis et illustratis*, s. *critica N. T.* ostendere studuit, scriptores N. T. fuisse classicos, linguam illorum classicam. Eius librum, anglice scriptum, fecit latinum CHRIST. WOLLIUS, Lips. 1736. 4., qui et ipse sententiam illam acerrime defendit.

[Post *Blackwallum* litigantes conciliare studuit JOH. HENRICUS MICHAELIS in dissertat. *de textu Novi Testamenti graeco*, Hal. 1707., ita, ut hebraismos in N. T. dictione concederet, ipsam vero dictionem puritatis nomine ac laude privandam negaret. Ac fortasse sopita tum fuisset omnis ista controversia, nisi puritatis illius a Pfochenio vindicatae novus exstitisset patronus, C. S. GEORGIUS, quem b. Auctor caeteris ipse subiunxit. E.]

CHRIST. SIGISM. GEORGIUS, qui duos hanc in rem scripsit libros: *Vindiciarum N. T. ab Ebraismis libros III.* Francof. 1732. 4. et *Hierocriticum N. T. s. de stilo N. T. libr. III.* Viteb. 1733. 4.

VI.

Defensores contrariae sententiae recensentur.

Ex altera parte qui hebraicae similem N. T. dictionem esse statuerent, fuere multi, inter quos nominandi sunt (§. 2. 8. 9.) primo loco MART. LUTHERUS et PHIL. MELANCHTHON, non quo hi in peculiaribus libris illud ostenderint; neque enim ipsorum aetate de talibus quaerebatur; sed quod in *commentariis* suis multa interpretati sunt e comparatione N. T. cum

cum hebraicis, eoque ſuam de fontibus dictionis omnis, quae in N. T. obvia eſt, ſententiam ſatis aperte declaraverunt.

Idem fecit haud raro JOACH. CAMERARIUS, qui *Notationem* (notitiam) *figurarum ſermonis in libris quatuor Evangeliorum*, Lipſ. 1572. 4. et *in Apoſtolicis ſcriptis, atque in librum πϱάξεων et ἀποκαλύψεως* ſimiles notationes edidit L. 1752. 4. [repetitas deinde in *Bezae* edit. N. T. Cantabrigienſi], in quibus eodem modo, quo ERASMUS in *Notis ad ſuas N. T. editiones*, dictionem N. T. ex hebraico uſu illuſtravit.

Sed mea quidem ſententia THEOD. BEZAE in *notis ad N. T.* prima debetur laus demonſtratae ſententiae, eſſe N. T. libros obrutos hebraismis, apertaeque methodi hebraismos illos tractandi.

JOH. DRUSIUS in *Annotatt. in totum J. C. Teſtamentum*, ſ. *Praeteritorum libris decem*, Franeq. 1612. 4. et in *Commentario ad voces Ebraicas N. Teſt.* — item Ej. *Annotationum in N. T. Parte altera*, Franeq. 1616. 4. eamdem rem ſaepius attigit.

IS. CASAUBONUS in *Exercitatt. XVI. ad Cardinalis Baronii Prolegomena in Annales*, Genev. 1655. 4.

Conſulto autem ea de re egerunt:

SAL. GLASSIUS, cuius *Philologiae Sacrae* — *noſtris temporibus accommodatae a Joh. Aug. Dathio* (Lipſ. 1776. Vol. I. 8.) praemittuntur diſputationes de ſtilo librorum ſacrorum, ideoque etiam Novi Teſtamenti.

THO. GATAKERUS in diſſ. *de Novi Inſtrumenti ſtilo*, Lond. 1648. 4. et in *Operibus* eius *Criticis*, Trai. ad

ad Rh. 1698. f. Eſt autem Gatakerus, qui in Britannia vixit, fatente etiam Erneſtio (§. 21), omnium haud dubie eruditiſſimus, qui inprimis errorem illorum, quibus comparatio poëtarum ſufficere videretur ad demonſtrandam N. T. puritatem, egregie refutavit.

MOSES SOLANUS, Gallus natione, qui Lucianum bono commentario illuſtravit, ſcripſit etiam diſſertationem *de ſtilo N. T. contra Seb. Pfochenium*, [quae et ipſa inſerta eſt Rhenferdianae collectioni].

JOH. OLEARIUS in libro *de ſtilo N. T.*, qui *auctus a Joh. Conr. Schwarzio*, cum *Joh. Henr. Boecleri de lingua N. T. originali* diſſertatione prodiit Coburgi 1721. 8. Bonae frugis plenus eſt ille libellus, etſi brevior, et ad contrahendam familiaritatem aliquam cum iis, quae ſunt ſingularia in N. T. utiliſſimus.

JOH. VORSTIUS in *Commentario de Hebraismis N. T.* Acceſſere praeter eiusdem cogitata *de ſtilo N. T. — Horatii Vitringae Animadv. ad Commentar. de Hebraismis N. T.* curante *Joh. Fr. Fiſchero* [Lipſ. 1778. 8. Add. JOH. FR. FISCHERI *Supplementorum Commentarii Vorſtiani de hebraismis N. T.* Specimen I. II. III. Lipſ. 1790. ſq. 4.].

SAM. WERENFELSIUS in diſſ. *de ſtilo ſcriptorum N. T.* [Baſil. 1698. quae inſerta eſt Ej. *Opuſculorum* To. I. p. 311. Lauſan. 1739. 4.].

JOH. LEUSDENIUS in libello ſingulari *de dialectis N. T. ſingulatim de eius Hebraismis*, quem denuo edidit *Joh. Fr. Fiſcherus*, Lipſ. 1792. 8.

[Multa etiam ex hoc genere reperiuntur in J. F. FISCHERI Proluſſ. *de Vitiis Lexicorum N. T.* Lipſ.

1791.

1791. 8. sed praeter hos aliorum nomina et scripta cognosci poterunt e *Buddei* Isagoge p. 1301. *Michaelis* Introduct. in N. T. To. I. p. 116-223. *Fischeri* praefat. ad Leusdenii libr. de dialectis N. T. Edit. II. 1792. 8. *Fabricii* Bibliotheca graeca, Vol. IV. p. 891. seqq. ed. Harl. Omnem autem harum controversiarum de stilo N. T. patrum memoria agitatarum historiam etiam exposuit CHR. MATTH. PFAFFIUS in notis exegeticis in evang. Matthaei, Lect. III. p. 28. seqq. E.]

VII.

De appellatione linguae ac dialecti hellenisticae.

Quem hactenus descripsimus, N.T. stilus recte appellatur *hebraeo-graecus* *) (§. 16). Sed fuerunt, primum JUSTUS JOSEPHUS SCALIGER, (Animadv. ad Eusebium, p. 134.) deinde etiam JOH. DRUSIUS, qui *hellenisticum* mallent dicere. Caussa nominis in eo est, quod post Alexandri tempora *Hellenistae* dicti sunt Judaei natione et gente, sed extra Palaestinam viventes, ideo quod non modo lingua graeca utebantur, sed in moribus etiam vitaeque ratione ad similitudinem Graecorum se conformaverant. Quum enim hi Judaei per Ptolemaeos, Aegypti, et Antiochos, Syriae reges huc illuc abducerentur captivi, ita sunt immixti Graecis,

*) [Sic hunc stilum iam appellavit SIXTINVS AMAMA in *Antibarbaro*, p. 14. — *Hellenistici* autem appellationem non, quod putabat *Salmasius* Ossileg. L. H. p. 287., a DRVSIO primo (Annotat. ad Acta App. VI, 6. in *Criticis Sacris*, To. IV. p. 2193), sed a SCALIGERO usurpatam fuisse, ante Ernestium et alios monuerat *Hottingerus* Thesaur. philolog. p. 352., et ipse Drusius l. c. ad Scaligeri animadversionem provocavit. E.]

cis, ut in multis rebus patriorum morum oblivio iis ac desuetudo veniret, succedente in illorum locum graeco sermone graecaque vivendi consuetudine. Vtebantur autem Hellenistae tali sermone graeco, in quo plena essent omnia hebraismis et multa ad verbum ex hebraicis translata. Hunc sermonem, quem et Novi Testamenti libri habent, si quis velit *hellenisticum* appellare, non repugno: modo caveat, ne cum DANIELE HEINSIO peculiarem aliquam dialectum intelligat, eo sensu quo doricam, aeolicam, ionicam, atticam dialectum dicimus. Erraverit nimirum iste non minus, quam qui in libro latino, germanismis referto, agnoscat peculiarem aliquam dialectum germanicam, aut in sermone, qui nunc est inter Judaeos, mixto e vocabulis hebraicis et germanicis, singularem dialectum hebraicam. Etenim non est diversitas in terminationibus, formis et constructionibus quibusdam: qua diversitate dialecti censentur; sed prorsus nova est diversarum linguarum mixtura.

Verum, quum DANIEL HEINSIUS dialecti verbum hac in re usurpavisset [in Praefatione ad *Nonni, episcopi*, *Paraphrasin Evangelii Johannei*, Lugd. Bat. 1627. 8. in *Exercitationibus Sacris ad N. T.* Lugd. Bat. 1639. denique in *Exercitatione de lingua Hellenistica et Hellenistis*, L. B. 1643. 8. add. Ej. *Apologiam adversus Croium*, 1646. 12.]: quamvis universae caussae non multum obesset error viri, qui saepe versaretur accuratissime in illustratione et explicatione graecarum dictionum ex hebraeo sermone: tamen inde exorta est controversia, plena quidem eruditionis, at non aeque plena humanitatis. Nempe nactus est Heinsius adversarium, ingenio et eruditione pollentem, CLAUDIUM SALMASIUM, qui sententiam de lingua hellenistica, quae esset peculiaris Novi Testamenti dialectus, refutare

tare inſtitueret in libro *de Helleniſtica*, ſive *Commentario controverſiam de lingua helleniſtica decidente* [Lugd. Bat. 1643. 8.]. Adverſus quem librum quum ſuam Heinſius ſententiam defendiſſet: eodem anno edidit Salmaſius *funus linguae helleniſticae*, ſive *Confutationem exercitationis de Helleniſtica*. Ille aegerrime ferens, ſententiam ſuam quaſi ſepultam eſſe, acto funere, alium librum oppoſuit. Quid tum Salmaſius? In lucem prodidit *Oſſilegium linguae helleniſticae*, ſive *Appendicem ad Confutationem exercitationis de Helleniſtica* [L. B. 1643. 8.], ut, acto funere Helleniſticae, oſſa etiam et cineres eius, in unum veluti collecta, penitus delerentur.

[Quaeſtio haec de *dialecto helleniſtica* quoniam a multis negligenter et obſcure tractata eſt, ab aliis temere confuſa cum quaeſtionibus, quae omnino ad puritatem linguae N. T. aut vindicandam aut reprobandam pertinerent, a nonnullis etiam conſulto ad errorum praeſidium atque tutelam traducta et uſurpata; liceat eam, perſpicuitatis iuvandae cauſſa, ſic vocare in diſceptationem, ut illius duo potiſſimum capita conſtituantur, quae rem omnem uni obtutui commode ſubiiciant. Primum enim quaerendum eſt, *quinam dicantur et dicti fuerint Helleniſtae;* deinde e natura dialecti explicandum, *rectene an ſecus in hiſtoriam litterariam introducta ſit dialectus helleniſtica.* Ad primum quod attinet, de Helleniſtis variae fuerunt eruditorum ſententiae *), ſed in his tres in primis celebrantur tum ob probabilitatem ad perſuadendum, tum propter auctorum famam et auctoritatem. Nimirum

*) Septem enumeravit, quamquam non ſatis accurate, JOH. ALB. FABRICIUS *Bibl. Graecae* Vol. IV. p 893. not. p. ed. Harles. Add. FABRICII *Lux Evangelica*, p. 59. ſeqq. et *Bibliograph. Antiquaria*, p. 452. WOLFII *Curae philologicae* ad Actor. Apoſt. cap. VI. init.

Nimirum Helleniſtas HEINSIUS [inprimis *Ariſtarchi Sacri* P. I. Cap. X. p. 795. et P. II. Cap. VIII. p. 698 ſq. edit. L. B. 1639 fol. emendatioris] appellavit, qui genere eſſent Judaei, ſed extra Palaeſtinam, maxime in Aegypto, diſperſi viverent, utentes et graeca verſione bibliorum, et graeco omnino ſermone, quem ad hebraicae linguae ingenium inflexerant. SALMASIUS contra (*de Helleniſtica* inprimis p. 190 ſqq. coll. Epiſtol. dedicator. p 12 ſqq.) Helleniſtas dixit fuiſſe Judaeos, non gente et natione, ſed religione, ad quam acceſſerant per proſelytismum, dictosque ita fuiſſe, ſive Palaeſtinam incolerent atque Hieroſolyma, primariam Palaeſtinae urbem, ſive etiam extra Palaeſtinam verſarentur; Judaeos vero vel Hebraeos, Helleniſtis iſtis oppoſitos, appellari proprie Judaeos originarios: addidit etiam, illos tantummodo proſelytos iuſtitiae e Graecis graecam in ſynagogis uſurpaviſſe bibliorum verſionem, quam Judaei nati numquam in Palaeſtina agnoviſſent. JOHANNES denique LIGHTFOOTUS (in *addendis ad Hor. Hebraic. in* 1. *Cor. XIV. cap. I.* Opp. Tom. II. p. 929.), Heinſii, deceſſoris ſui, ſententiam explicatius declarandam ratus, Helleniſtas ab Hebraeis ſic diſtingui voluit, ut Hebraei eſſent Judaei Palaeſtinenſes, Babylonii, Aſſyrii, Syrii, qui omnes vernaculam habuiſſent linguam hebraeam vel ſyro-chaldaicam, Helleniſtae autem Judaei quidem ortu, ſed inter gentes habitantes ἐν διασπορᾷ, quibus vernacula fuiſſet graeca. *Heinſii* ſententiam amplexus eſt MORUS noſter non modo in his lectionibus hermeneuticis, verum etiam in aliis, quas a. 1790. ſuper Actis Apoſtolorum fecerat. In quibus cap. VI. v. 1. ſic commentatus eſt *): *Querela*

*) Non piguit e ſchedis meis huc transſcribere totum locum, e quo mens b. Auctoris clarius intelligeretur, quo-

Querela orta est ab Hellenistis adversus Hebraeos: qui ambo natione Judaei, duplicem classem efficiebant. Hellenistae, qui Judaei nati, sed habitantes per Asiam minorem inter meros Graecos, graecos mores imitabantur, et primo omnium Graecorum linguam usurpabant, in nonnullis vel sic graecissantes, ut id cum detrimento religionis ipsorum fieret. Hi igitur Judaei dicuntur Hellenistae, et ipsum verbum id indicat. Nam ἑλληνίζειν *est graecissare, graeca studia, graecos mores sequi, ut* ἰουδαΐζειν Galat. II, 14. *iudaizare, iudaeos mores sequi, Judaeorum ritu vivere. Haec graecorum morum imitatio quum quamdam speciem levitatis excitaret, inde odium ortum est caeterorum Judaeorum adversus Hellenistas. Sic igitur, quum alia classis Judaeorum dicatur* Hebraei, *intelliguntur Judaei, non modo nati, sed et tenacissimi iudaici moris in omnibus, sermonis hebraici, rituum iudaicorum. Tales sunt, quibus scripta est epistola ad Hebraeos.* Hactenus b. Auctor. Verum ponderatis argumentis omnibus, quae et SALMASIUS

quoniam, quam DINDORFIUS noster, Vir Doctissimus, e scholis Mori edidit *Versionem et Explicationem Actuum Apostolicorum* (Lipf. 1794.), in ea Vol. I. p. 132. diversa prorsus et discrepantia reperiuntur. Nam in his b. Auctor Salmasii veriorem sententiam sequutus, *Hellenistas* ita discrevit ab *Hebraeis*, ut hi essent *Judaei nati, e parentibus iudaicis nati, ritibus iudaicis et lingua iudaica utentes maximeque in Palaestina viventes;* illi contra *et ipsi Judaei*, sed *non nati parentibus iudaeis, verum parentibus graecis, vel paganis; quorum parentes ad iudaicam religionem transissent, et proselyti facti fuissent, praeterea ritus graecos observarent, lingua graeca uterentur et extra Palaestinam viverent.* Haec et caetera utrum Dindorfius e prioribus Mori scholis hauserit, oblitus notare, quod in aliis locis diligentissime annotavit, an ex alio fonte duxerit, (ut passim sunt quaedam in utilitatem lectorum aliunde deprompta,) equidem non ausim dicere.

SIUS l.c. copiofius attulit, et CARPZOVIUS (*Criticae Sacrae* P. II. c. II. §. V. p. 507.) perangufte refer fit, omnino ab Heinfiana ratione difceffio videtur effe faciunda. Nam 1) Act. II, v. 11. *Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι* commemorantur. Hos vero inter Cap. VI. 1. Helleniftae referuntur, atque in his v. 5. Nicolaus, profelytus Antiochenus, manifefto indicio, Profelytos et Helleniftas a fcriptore non diftingui. Diftinguuntur autem cap. XI. Helleniftae a Judaeis, et cap. VI. Hebraei ab Helleniftis, qui non fine quadam indignatione dolerent, viduas fuas in quotidiano minifterio praeteriri, folisque Hebraeorum viduis indulgeri hoc, ut ad id negotium deligerentur. Conftabat ergo ecclefia illo tempore e duobus hominum generibus, Helleniftis et Hebraeis, qui etiam dicerentur Judaei. Iam recte, nifi fallor, Salmafius veloci ftilo quaerit p. 176. „Quae ratio nos cogit eo loci Helleniftas de Judaeis interpretari? Numquid Hebraei non erant Judaei? Quis uspiam Hebraeos a Judaeis diftinctos meminit? Vbi hoc lectum eft? Omnes auctores, tam exotici quam facri, indifferenter utroque nomine utuntur ad fignificandam recutitorum gentem. Promatur vel unicus ex aliquo auctore hebraeo, graeco, latino, pagano, chriftiano locus, quo difcrimen iftud *Ἰουδαίου* et *Ἑβραίου* ftatuatur" etc. Sane non fuit difcrimen, nifi quod antiquior effet Hebraeorum appellatio, et generalior, et ad univerfam gentem pertineret, quum Judaeorum denominatio ad religionem maxime referretur, eosque potiffimum et proprie attingeret, qui in Judaea conftitiffent. Quodfi recte et ex mente fcriptoris in ifto Actorum loco Hebraeos ab Helleniftis diftinximus: fponte intelligitur, quamobrem Paulus, quantumvis Tarfenfis, atque fic inter Graecos et *ἐν*

διασπορᾷ ex parentibus hebraeis natus, nusquam se appellaverit ἑλληνιστὴν, passim contra ἑβραῖον (Phil. III, 5. Coll. 2. Cor. XI, 22.), poteritque etiam ex hac re Salmasianae opinioni firmius praesidium quaeri. 2) Concedi nullo modo potest, istam hellenisticam linguam Judaeis omnibus, per totum terrarum orbem dispersis, sub quocunque tandem aëre vel quocunque in loco degerent, communem fuisse linguam, quum verbis exprimere mentis cogitata vellent. Concedi non potest, Judaeos v. c. in Perside et in India natos, aut in Italia et aliis Occidentis partibus genitos et educatos, in quibus nullus esset apud plebem graecae linguae usus, istam graecam linguam usurpavisse. Quapropter absonum sit, omnes Judaeos, in omnibus orbis terrarum partibus constitutos, praeter solos Judaeae incolas, cum Heinsio appellare Hellenistas. — Caeterum ipsum verbum ἑλληνίζειν a Graecis dupliciter adhibetur, generaliore primum notione, de quocunque, qui graeco sermone τῶν Ἑλλήνων utitur, opponiturque hoc sensu omni alii peregrinae vel exterae dictioni, deinde strictiore significatu, de eo, qui aemulatione et studio graecae linguae est scientissimus, qui politius linguae graecae genus, quod Atticorum erat, sectatur. Vtraque igitur significatio verbi huius et ducti ab eo Ἑλληνιστὴς quemadmodum diversa ab ea est, quam Heinsius, Scaligerianam sententiam et tenens cupidius, et multo imprudentius amplificans, ipsi subiecit *): ita omnino *hellenistica lingua* veteribus tam re, quam nomine fuit incognita. Interim — quidni enim ingenue agamus? — quamvis incommoda esset appellatio,

*) Vnde *Exhellenistas* vel *Aphellenistas* maluit dicere CROIUS, quos HEINSIUS cum aliis *Hellenistas* appellavit. Sed v. *Apologiam adversus Croium* p. 149.

pellatio, neque historicis argumentis aut auctoritate veterum suffulta, tamen ea concedi poterat Heinsio, rem centies explicatam declaratamque significaturo quam brevissime, modo duas adhibuisset in usu vocabuli cautiones. Prima haec erat, ut diserte indicaret, se in usurpando novo nomine respicere *duntaxat* ad *linguam*, qua scriptor aliquis usus sit, h. e. ad eloquutionem, quae animi sensa verbis graecis et compositionibus hebraicis exprimit, non respicere simul ad gentem, e qua scriptor ortum duxerit, aut ad locum, in quo vixerit. Quod si vel uno in loco diserte admonuisset Heinsius, (obscure enim significavit aliquoties, v. c. *Exercitatt. Sacr. in Nonnum* p. 169. 223. add. *Apologiam pro Dan. Heinsio adversus Io. Croii calumnias* p. 11 seqq. p 118 seqq.): poterat sane permultas adversarii calumnias, populari assensioni accommodatas, facili negotio eludere. Nam, ut certe quaedam ex iis promamus, quae Salmasius non sine specie quadam probabilitatis identidem sugillavit, ista usus cautione poterat Heinsius Alexandrinis V. T. interpretibus invidiosum nomen imponere, qui, quamquam fuerunt gente Hierosolymitani, tamen vel linguae illius principes auctores extitere, vel ii certe, quorum studiis ea latius disseminari coepisset; poterat etiam, si loqui laxius *) vellet,

*) Quod voluit. Aperuit hoc, certe innuit *Aristarchi Sacri* p. 207. ubi linguam hellenisticam dicit habere auctores interpretes Alexandrinos, *quos non tam in singulis sequuti, quam in scribendi ratione subsequuti sint Evangelistae et Apostoli.* Etenim, re diligentius aestimata, sermo Alexandrinorum illorum ab eo, quo usi sunt scriptores N. T., sane multis modis discretus reperitur. Subierat lingua mutationes varias: novae multis vocabulis tributae significationes, et praeter hebraismos etiam

vellet, communicare illud nomen cum Evangeliſtis et Apoſtolis, quorum plerique etſi in Judaea vixerunt et poſt mortem Chriſti perdiu Hieroſolymis habitarunt, tamen omnes eadem lingua hebraeograeca uſi ſunt. Quid dicam Nazaraeos Chriſtianos, qui quum eſſent origine Judaei, incolentes urbem Beroeam extra fines Palaeſtinae, ſolamque, Epiphanio teſte, linguam hebraicam excolerent, graeca prorſus neglecta, niſi iſta, quam dixi, cautio adhibeatur Heinſianae appellationi, ex una quidem parte Helleniſtae, ex altera Hebraiſtae cenſeri ac nominari debent. Quod quam ridiculum ſit, nemo non videt. Sed ne ridiculus exiſtimetur ipſe Heinſius, cuius equidem et eruditionem et acumen etiam in hac disputatione maximi facio, ſedulo monitos cupio lectores, ut in legendis Salmaſii commentariis, ſubobſcuris interdum et plane ἀμεθοδεύτοις, ad iſtam ab Heinſio neglectam cautionem attendant. Qua ſi adiuvetur huius disputatio; et ipſa extrahetur ſaepenumero calliditati argumentationis, et multae calumniae retrahentur in odium cenſoris.

Altera cautio, quam ab Heinſio et multo magis a ſectatoribus eius adhibitam vellem, ſponte nos ducit ad id, quod ſupra dixi ſecundo loco quaerendum eſſe, *rectene an ſecus in hiſtoriam litterariam introducta ſit dialectus helleniſtica.* Nempe in hac omni disputatione prorſus abſtinendum erat a vocabulo *dialecti*, quo Heinſius perraro, aſſeclae eius ſaepiſ-

etiam ſyriasmi, rabbinismi, latinismi invecti fuerunt. De quibus §. IX. dicetur. *Idioticum characterem* vel *ſtilum* appellavit SALMASIUS *de Helleniſtica* p. 250. v. *Laur. Mulleri* diſſert. de ſtilo idiotico ſcriptoribus N. T. praecipue Paulo a criticis affiicto, Schleuſing. 1718. 4.

saepissime utuntur. Salmasius accurate demonstravit et consentiente tum etymologia verbi, tum veterum auctoritate (v. *Sturz de dialecto Alexandrina* I. p. 14.), ut aliqua dialectus sit, quae ab alia dialecto afferat, duo potissimum requiri. Primo populum esse oportere vel nationem, quae hac dialecto utatur, certis finibus circumscriptum ac divisum ab alio populo vel natione, cui alia dialectus familiaris sit. Deinde ut dialectus a dialecto differat, hoc debere efficere singulorum verborum, non coniunctorum diversitatem, quae quidem totius alicuius populi vel civitatis communis sit, et vel ex aliqua eiusdem vocis immutatione descendat, per litterarum et syllabarum transpositionem, additionem, detractionem, earundemque, ut generum, numerorum, casuum, modorum, temporum, spirituum, accentuum, permutationem atque per notionum vocabulis tributarum differentiam, vel ex alius omnino vocis usu oriatur, qua populus aliquis eamdem rem significet, quae ab alio populo soleat alia voce significari. Neutrum cadit in dialectum, quam vocant, hellenisticam. Nam nec regio quaedam vel civitas fuit olim aut nominata est Hellenistarum, sed, ipso fatente Heinsio, dissipati illi sunt exules per omnem terrarum orbem; nec dialectus ista, quae dicitur, habet in singulis verbis *τὸν ἴδιον χαρακτῆρα*, quo distinguatur ab aliis aliorum populorum dialectis, sed novum plane est constructionis et compositionis, novum phrasium genus, vel potius, ut vere MORUS iudicavit, prorsus nova diversarum linguarum mixtura.

Haec etsi bene ostendit Salmasius, tamen, si rem serio et sine partium studio ponderes, in aliis multis ita ratio eius cum Heinsiana consentit, ut

oratio tantum *) pugnare videatur. Nam quod in Epiſtola libro de Helleniſtica praefixa p. 4. dixit, et in caeteris huius materiae libris (v. c. in *Funere* p. 8.) identidem repetiit, a quaeſtione illa de Helleniſtica pendere Exercitationum Heinſianarum fatum, caſurae ſint an ſtaturae, id magis fervore digladiandi eliſum, quam ex veritate et animi ſententia prolatum videtur. Neque enim inficiari licet, Heinſium, ubi ab iſta arbitraria denominatione diſceſſeris, excellentem fuiſſe in iſtis libris, et multa praeclare disputaviſſe, non modo, quod, ut b. Auctor iam monuit, ſaepenumero verſaretur accuratiſſime in illuſtratione graecarum dictionum ex hebraico ſermone, ſed quod in tota hac cauſſa caveret ſibi ab errore, quo Salmaſius graecam verſionem bibliorum non a Judaeis Palaeſtinenſibus, verum a propagine tantum proſelytorum in ſynagogis publice praelectam contenderat. Quod contra *Salmaſium* et *Vitringam* (*de ſynagog. vet.* p. 954. ed. Leucopetr. 1726. 4.) luculenter demonſtrarunt HODIUS *de bibliorum text. originalibus* p. 224 ſqq., LIGHTFOOTUS *Hor. Hebraic.* ad Act. VI, 1. et RICH. SIMON *Hiſtoire critique du texte du N. T.* L. II. cap 27, qui litigantes et veterum locos et recentiores ſcriptores ita ſtuduit conciliare, ut non ſolam verſionem graecam praelectam, ſed iunctam contextui hebraico fuiſſe ſtatueret. Add. HUETIUS in *Demonſtrat. evangel.* p. 462. et EICHHORN *Einleitung ins A. T.* Tom. I. p. 325.

His

*) Sic et iudicavit SIMON l. c. p. 319. *On peut lui donner tel nom qu'on voudra, pourveu que l'on convienne de la choſe en elle-même. Il eſt inutile de disputer ſur les mots, quand on demeure d'accord des choſes.* Adde CHR. MATTH. PFAFFII Sect. III. *notis exegeticis in Matthaeum* praemiſſam p. 32.

His omnibus breviter adiiciam reliqua ſcripta, quae in illa de helleniſtica lingua controverſia in primis eminuerunt. Nempe quum poſt *Hugonem Grotium* etiam *Conſtantinus l'Empereur*, *Ludovicus de Dieu*, *Maierus*, et alii quidam Heinſii ſententiam fuiſſent amplexi, RICHARDUS vero SIMON (*Hiſtoire crit. d. N. T.* L. II. cap. 27. 28. p. 315-335.) adverſus Salmaſium copioſe disputaſſet; Simonem impugnavit JOH. HENR. MAIUS (in *Examine hiſtoriae criticae N. T.* 1694. 4. cap. 27. 28. p. 357-384.), qui ſtilum N. T. et verſionis ſeptuagintaviralis ad Macedonicae et Alexandrinae dialecti idioma retulit atque, ut dignum ſcilicet Stolbergii diſciplina ſe gereret, in N. T. ne hebraismos quidem admiſit. Sed antea iam Salmaſii partes contra Heinſium defenderant JOH. CROIUS *Obſervatt. in N. T.* (Genev. 1645. 4.) cap. 30-34. et MATTHAEUS COTTERIUS in *Exercitatt. de Helleniſtis et lingua helleniſtica*, Argentor. 1646. 12. Add. MART. SCHOCKII *de Helleniſtis et lingua helleniſt. diſſert. ad Heinſium et Salmaſium*, Vltrai. 1651. 8. JAC. BOHLII *iuſta et moderata abſentiae ab exſequiis et iuſtis funebribus, funeri linguae helleniſticae paratis, excuſatio et venia*, Regiomont. 1647. 4. et, qui rem omnem perſpicua brevitate dilucidavit, AUG. PFEIFFERUS in *Critica Sacra* (Dresd. 1680. 8.) pag. 78 ſeqq. Plura in DORNII *Biblioth. theolog.* P. II. p. 88. RUMPAEI *Iſagoge ad lectionem N. T.* p. 33. et FABRICII *Bibl. gr.* Vol. IV. p. 893. ed. Harl. E.]

VIII.

De appellatione dialecti Alexandrinae.

Hoc nomen in primis placuit editori Britanno verſionis ſeptuagintaviralis ex codice Alexandrino,

JOH. ERNESTO GRABIO*) [Oxonii 1707-29. IV. fol.]: quam editionem deinde recudendam curavit *Joh. Jac. Breitingerus* [Tiguri 1730. 4.]. Verum enim vero ne hanc quidem appellationem satis congruam esse, primum inde elucet, quod supra docuimus, stilum hebraeo-graecum non posse proprie dici dialectum. Deinde quum constet, aliis etiam in locis Judaeos hoc fuisse usos sermone, quippe qui omnes, extra Palaestinam viventes, graecam linguam ad hebraicum idioma conformarant: quare ab una hac urbe, Alexandria, sermo accipiet nomen? Denique ista appellatio confusioni praebere locum potest, quum *dialectus Alexandrina* in historia litteraria linguae graecae dicatur de provincialismis Alexandrinorum, qui caeteroqui sermone uterentur pure graeco. Tales autem Alexandrinismos collegerat *Irenaeus*, Grammaticus Alexandrinus, peculiari libro, qui aetatem non tulit (v. FABRICII *Bibl. graec.* Vol. IV. p. 537.), ac de iisdem diligentissime scripsit FRID. GUILIELM. STURZIUS dissertatione *de dialecto Alexandrina, ratione simul habita versionis librorum N. T. graecae.* Caeterum multa sane huius dialecti propria non modo in versione Alexandrina, sed in Novi etiam Testamenti libris occurrunt.

[Praeter STURZII disputationem, Lips. 1780. 4. emissam et auctam subinde tribus particulis, quae seorsum prodierunt Gerae 1788. 93. 94., de Alexandrinismis et Macedonismis, in N. T. obviis, cfr. WERENFELSII dissert. *de stilo scriptorum N. T.* p. 363. et OLEARII librum, eadem inscriptione editum, p. 77-86. E.]

IX.

*) [*Grabio* praeiverat ex parte SALMASIUS in Epistola libro de Hellenistica praemissa p. 49. et passim alibi. E.]

IX.

Stilus N. T. etiam ex aliis linguis, praeter hebraicam, conflatus.

Nec vero omnia, quae in N. T. non bene graeca esse constat, sunt eadem ex hebraismo ducta (§. 17.). Nam insunt etiam in illis libris

I. *Latinismi.* Sic Lucas XII, 58. dixit ἐργασίαν δοῦναι, quod est Latinorum *operam dare;* cap. XIV, 18. ἔχε με παρῃτημένον, *habe me excusatum;* Matthaeus XXII, 15. λαμβάνειν συμβούλιον, *consilium capere;* Paulus ad Titum II, 10. πίστιν ἀγαθὴν ἐνδεικνῦναι, *fidem bonam exhibere* s. *demonstrare.* Plura huius generis collegit OLEARIUS in libro valde commendabili, qui est *de stilo N. T.* [p. 368 seqq. ed. Schwarz.]

[*Latinae* tum *voces* tum *phrases* unde venerint in N. T., haud difficile explicatu est. Nam quo tempore christiana nascebatur religio, imperium Romanorum, usus romanarum legum, exercitus romani in provinciis instructi, mercaturae commercia, ipsi denique scriptores in linguam graecam intulerant et vocabula latina bene multa, et constructiones latino more compositas atque formatas. Quibus civitatem iam adeptis Apostoli nec abstinere poterant, quoniam versabantur inter Romanos, neque carere debebant, quum ipsis Romanis scripta nonnulla sua destinavissent. Vnde magna pars illorum vocabulorum pertinet ad res civiles, bellicas, forenses; constructiones autem e lingua Graecorum, in vita communi usitata neque cognita nobis ex aliis libris, fluxerunt. Caeterum haec quoque res nonnisi controversiis agitata plenam lucem accepit. Postquam enim JOH. ERH. KAPPIUS dissertationem scripsisset *de N. T. graeci latinismis, merito ac*

falso

falso suspectis, (*Lips.* 1726. 4.): lis est orta inter SIGISM. FR. DRESIGIUM, Kappianae sententiae doctum defensorem, et CHR. SIG. GEORGIUM, cupidum latinismorum N. T. adversarium; quorum libros, in utramque partem scriptos, complectitur *Hierocritici Novi foederis pars secunda*, Viteb. 1733. 4. Collegit etiam latinismorum talium exempla JOH. GEO. PRITIUS *Introduction. in lectionem N. T.* (Lips. 1764. ed. Hofmann.) p. 320. E.]

II. *Persica vocabula.* Vt λάζα de *thesauro*; *μάγοι* de *viris doctis*; *ἀγγαρεύειν*, *cogere*, Matth. V, 41.

[Ad haec vocabula, ut et ad voc. *μεγιστᾶνες*, *proceres*, Marc. VI, 21. cfr. SCHLEUSNERI *Lexicon N. T.* Caeterum *persica vocabula* omninoque *persica loquendi ratio*, in N. T. hic illic obvia, unde derivanda sint, post alios perspicue docuit HAENLEIN *Einleit. in die Schriften des N. T.* Tom. I. p. 347 sq. Quemadmodum enim coniunctio, quae Persiam inter atque Graeciam intercedebat, Persarumque in iudaicam gentem imperium persicis vocabulis locum fecerat, tum in graeca lingua, tum multo magis in iudaica: ita doctrinae apostolicae adversarii interdum notionibus et verbis utebantur, e zoroastrica philosophia petitis, ad quae Johannes in Evangelio suo et Epistola priore, itemque in Epistola Judas haud raro videntur respexisse. Hinc fragmenta, e sacris Persarum libris servata, quantum prosint ad illustrationem talium vel formularum vel notionum, quas in libris nostrae religionis deprehendimus, audaci, sed ingenioso conatu ostenderunt JOH. GOTTFR. HERDER *Erläuterungen zum N. T. aus einer neu eröffneten orientalischen Quelle*, 1775. 4. Ej. *Briefe zweyer Schüler*

Jesu

Jesu in unsern Canon, Lemg. 1775. JOH. GOTTFR. HASSE *Erläuterung des Briefs Judae*, Jena 1786. 8. E.]

III. *Syriasmi*. Vt ἀββά, μαρὰν ἀθά, quod est *Dominus venit*, 1. Corinth. XVI, 22.

IV. *Chaldaismi*. Ad quos pertinet, quod *remittere debitum* dicitur pro *peccata condonare*. De his consulendum est Buxtorfii Lexicon.

[*Aramaea lingua*, quae Christi aetate Judaeorum fuit vernacula, duas potissimum dialectos habuit, alteram in Galilaea, alteram in Judaea et Hierosolymis frequentatam. Illam *syriaci*, hanc *chaldaici* sermonis nomine appellamus. Ex utraque verba tum singula, tum iuncta in libros N. T. venerunt, quae *Syriasmorum* et *Chaldaismorum* nominibus ut plurimum insigniuntur. Accedit, quod verba origine graeca, quae in aramaeam linguam translata novas susceperant significationes (v. c. κράσπεδον, μαργαρίτη, ἄριστον), a Novi Testamenti scriptoribus sic usurpantur, ut istae adscitae notiones iis haereant. Cfr. J. D. MICHAELIS *Abhandlung von der syrischen Sprache und ihrem Gebrauch*, §. III, 2 sqq. IO. H. P. C. HENKE *Magazin für Religion, Theol. Exegese und Kirchengesch.* Vol. I. P. III. (Helmst. 1795. 8.) no. III. E.]

V. *Rabbinismi:* quos tractarunt peculiaribus libris JOH. LIGHTFOOT [in *Horis hebraicis et talmudicis*, Lips. 1679. 4. et in Ej. *Operibus*, Edit. II. locupletior Vltraiect. 1699. f. Tom. II.] atque CHR. SCHOETTGENIUS [in *Horis hebr. et talmudicis in universum N. T.* Dresd. 1733. 1742. Tom. II. 4.]. Ad Rabbinismos pertinet nota formula; *ligare et solvere*.

[Quos

[Quos b. Auctor Rabbinismos appellavit, vestigia sunt linguae talmudicae. Haec lingua quum per plura iam saecula tum in sacris Judaeorum, tum in precibus, tum in scriptis ad religionem pertinentibus regnasset, non poterat non facile invenire locum in doctrina religionis Christianae, praesertim in sermonibus Christi et libris Pauli iudaice docti, omninoque iis in locis, ubi contra homines, iudaica eruditione imbutos, iudaico more disputandum erat. Libris ab Auctore laudatis adde JOH. BUXTORFII *Lexicon chaldaicum, talmudicum et rabbinicum*, Basil. 1640. f. et JOH. GERH. MEUSCHENII *Novum Testam. ex Talmude et antiquitatibus Ebraeorum illustratum*, Lips. 1736. 4. E.]

Intelligitur ex his omnibus, sermonem Novi Testamenti quamdam esse veluti mixtionem permultarum linguarum, isto tempore usitatarum, nihilque verius esse eo, quod supra de impuritate stili illius diximus. Caeterum plura de his reperiuntur in J. D. MICHAELIS Introductione in N. T. libros, I. p. 128 seqq.

X.

Regulae quaedam ad reperiendum usum loquendi N. T.

His ita constitutis de universo genere orationis, de usu loquendi cognoscendo, et singulis locis indagando, et ad interpretationem conferendo, proclive erit proponere quaedam praecepta, quae ex istis observationibus fluunt (§. 18.).

Praeceptio I. *Cognoscatur ea lingua graeca, quae Novo Testamento simillima est ibi, ubi nulli sunt hebraismi* (§. 19.).

Qua-

Quapropter ſacri interpretis ſtudium maxime referri debet ad ſcriptores non modo populari oratione uſos, ſed etiam aetatis non remotioris, h. e. eos, qui non ita multo ante, aut non ita multo poſt Apoſtolorum tempora floruerunt, aut in ipſam illam aetatem inciderunt: qui quidem non dedita opera imitati ſint veterem Atticorum dictionem. Nam quo tempore imperium Macedonicum per Alexandri M. arma univerſum propemodum terrarum orbem pervaſit: eo tempore graeca etiam lingua latius eſt ſparſa, venitque ad omnes regiones, quas Alexander ſibi victoriis ſubiecerat. Hinc nouus gentium nexus. Etenim ſicut populi illi devicti multa ex graeco ſermone receperunt; ita fieri non potuit, quin lingua Graecorum admodum deflecteret a forma ſua et puritate, quam habuerat incluſa finibus Graeciae, et per commercium cum populis Aſiaticis, Africanis, Europaeis peregrina multa adſciſceret. Haec epocha linguae graecae, qua tantam ſubiit mutationem, in hiſtoria litteraria dicitur *epocha Macedonica*, atque hinc nova illa linguae graecae forma nacta eſt nomen *dialecti Macedonicae* (§. 16.). [Cfr. STURZII Comment. I. *de Dialecto Alexandrina*, p. 18 ſeqq. E.]

Fons ac princeps auctor huius novae graecitatis (§. 19.) eſt POLYBIUS, qui ducentis annis ante Chriſtum vixit. Vere poteſt dici, qui optimos Graeciae ſcriptores probe intellexerit, ſi deveniat ad hunc, illico ſibi nova omnia videri, ita ut neceſſe habeat, denuo ſumere diſcendi operam. Adeo ille diſtat a caeteris, tum in ſignificationibus, tum in novis verbis ac phraſibus adhibendis. Quam in rem lectori utilem in primis operam navat *Lexicon Polybianum*, Erneſtinae editioni [Lipſ. 1763. 1764. 8.] adiectum [et auctum nuper multis modis a *Joh. Schweighaeuſero*, noviſſi-

novissimo Polybii editore, Lipf. 1789-1795. Tom. VIII. E.]

Poſt Polybium ex hoc genere ſuperſtes nobis eſt DIODORUS SICULUS, qui vixit aetate Julii Caeſaris, ſatis illa propinqua temporibus Apoſtolorum. Vtriusque autem ſcriptoris uſu et comparatione potiſſimum opus eſt propter hiſtoriae nexum. Sparſis enim poſt tempora Alexandri M. Judaeis per Aegyptum, Syriam aliasque provincias, quum initium fieret helleniſticae linguae; aſſumpſerunt illi novum hunc habitum ſermonis, qui ex iis, quos dixi, ſcriptoribus ac libris V. T. apocryphis clarius intelligitur. Talis etiam eſt praefatio evangelii Lucae, quae proxime accedit ad dictionem Polybii et Diodori, ſcripta ſine omnibus hebraismis. Eadem eſt ſtili ratio in Actorum ultimo capite et Luc. VII, 40 — fin. Caeteris libris N. T. multa ſunt, praeter hebraismos, ex hac forma ſcribendi adſperſa; in quibus nunc exempli cauſſa haec nominabo: παραδειγματίσαι, Matth. I, 19. δογματίζειν, Coloſſ. II, 20. καταβραβεύειν, *defraudare*, Coloſſ. II, 18. Inde fit, ut ex iis ſcriptoribus, qui obſervationes in N. T. ex his collegerunt, quod PETR. WESSELINGIUS e *Diodoro* (in notis ad eum) et GEO. RAPHELIUS ex *Polybio* et *Diodoro* inſtituit, ut igitur ex iſtis tantum poſſit derivari ad illuſtrationem ſacrorum librorum, quantum ex commentariis in eos proprie ac de induſtria conſcriptis vix capiatur.

Nominatur ex hoc genere ab Erneſtio etiam ARTEMIDORUS (§. 19.), qui ſaec. 2. tempore Antonini Pii vixit. Vtinam modo eſſet eius Oneirocriticus, in quo ſomnia interpretatur multa cum ſuperſtitione, lectu dignior! Vereor enim, ut fructus inde redundans operam et tempus poſſit compenſare, in legendo libro conſumptum.

[Rectius,

[Rectius, opinor, addi illis poterat FLAVIUS ARRIANUS, qui imperante Hadriano floruit et cuius libros idem, quem fupra laudabamus, *Raphelius* ad explicandam N.T. dictionem utiliter adhibuit. Libri infcriptio haec eft: *Annotationes philologicae in N. T. ex Polybio et Arriano collectae a Geo. Raphelio*, Hamb. 1714. 8. E.]

Praeceptio II. *Comparentur cum Novo Teftamento hebraica, et quidem ope verfionum antiquarum Veteris Teftamenti* (§. 21. 22.).

Qui cum hebraicis aliquam familiaritatem contraxerunt, quod legerunt in V. T., id relegant in Alexandrina Verfione. Ex perpetua enim hac comparatione confequentur id, ut in promptu femper habeant, quae hebraica quibus graecis exprimi foleant. Inter legendum autem recordentur eorum, quae in N. T. totidem faepe verbis leguntur. Caeterum de his verfionibus earumque ufu uberius dicetur alio loco, [Sect. II. c. VII. quod v.].

Praeceptio III. *Comparatis verfionibus V. T., comparet aliquis libros V. T. apocryphos* (§. 20. extr.).

Nam haud dubie ibi et in verbis et in formis loquendi eadem eft et hebraizans et popularis de rebus facris dicendi ratio. Praeterea hiftoricus ftilus apocryphorum librorum neceffe eft fimillimus fit ftilo N. T. Quid dicam de modo cogitandi et tractandi? Nam et fcriptores librorum apocryphorum fuere Judaei, eodemque modo res et cogitarunt et tractarunt. Hinc permulta infunt in illis libris, quae in Veteri Teftamento non reperiantur, fed reperiantur in Novo. Cfr. Hebr. XI. coll. Siracid. XIV. XV. Et optabile fane erat ob multiplicem fructum, maioremque illum,

 quam

quam quis fortaſſe opinetur, ut ſtudium iſtorum librorum magis magisque incaleſceret, transferreturque ad N.T. interpretationem. — Denique conferri etiam debent libri Novi Teſt. apocryphi, quos in *Codice apocrypho* N.T. collegit et illuſtravit JOH. ALB. FABRICIUS [Hamb. 1719. 8.]. Caeterum plura hanc in rem commemorata ſunt in SEMLERI *Apparatu ad liberalem N. T. interpretationem*, libro eximio, [Hal. 1767. 8.] p. 104 ſeqq.

[Iure ac merito optavit b. MORUS, ut diligentior lectio conſtantiorque comparatio *librorum apocryphorum Veteris Teſtamenti* interpretationi N. T. ſuccurreret. Tale autem pretium cur libris illis ſtatuatur, haud in obſcuro eſt. Quum enim Hebraei, in exilio ſparſi, novos mores et ritus, novamque ingenii culturam et religionis philoſophiam ſumpſiſſent: tum poſtea inprimis, ex quo prope Jordanem conſederant et Alexandri aetate Graecis vivebant immixti, tanta eſt facta ingenii, conſuetudinis, diſciplinae, etiam linguae illorum, mutatio, ut non tam degeneraſſe a moribus maiorum, quam ipſi ex ſe nati fuiſſe viderentur. Iam argumenta librorum apocryphorum V. T., et opiniones in iis expreſſae, aperiunt nobis omnem fere cogitandi et ſentiendi rationem, quae propria fuit Judaeorum duobus poſtremis ante Chriſtum natum ſaeculis; ingenium vero auctorum, ſententiae, tractatio, ipſe denique ſermo adeo conſentit cum ingenio, componendique et ſcribendi genere, quo Novi Teſtamenti ſcriptores uſi ſunt, ut, ſi a V.T. eiusque verſionibus graecis diſceſſeris, illius interpretandi non habeas adminiculum praeſtabilius. Itaque fuerunt, qui vel de utilitate, ex iſtis libris capienda, univerſe monerent, additis aut rerum aut verborum

quibus-

quibusdam exemplis; vel rerum, ſententiarum, doctrinarum, morum et inſtitutorum, in iis obvenientium, illuſtrationem traderent et ad explicandos N. T. ſcriptores transferrent; vel iisdem Apocryphis ducibus, ſingularum vocum formularumque notiones, quales reperiuntur in N. T., perſequerentur et explanarent. Ad priorem ſcriptorum claſſem refero GEO. JOH. HENKII diſſert. *de uſu librorum apocryphorum V. T. in N. T.* Halae 1711. 4. et in *Theod. Haſaei* et *Conr. Ikenii* Theſauro novo theologico philologico (L. B. et Amſtel. 1732. f.) To. II. p. 15. JOH. GODOFR. JEHNICHEN diſſ. *de petenda rerum, quas libri N. T. continent, e libris V. T. apocryphis illuſtratione*, Viteb. 1787. 4. Ille uſum in verborum maxime, hic in rerum illuſtratione poſuit. Ac *rerum* ſane, quae in N. T. memoratae, a V. T. Apocryphis lucem ſuam exſpectant, longe difficilior et operoſior eſt explicatio, cui prae caeteris gnavam et utilem operam praebuit J. SAL. SEMLERUS in paraphraſibus. Adde, ut exempla talium disquiſitionum, quas pauci attingere ſunt auſi, cognoſcas, FRISCH *Vergleichung zwiſchen den Ideen, welche in den Apocryphen des A. T. und d. Schriften des N. T. über Unſterblichkeit, Auferſtehung, Gericht und Vergeltung herrſchen*, in Eichhornii Bibliotheca litterat. bibl. To. IV. p. 653-718; *über die Meſſianiſchen Zeiten*, ibid. To. VI. p. 692 ſqq. FLÜGGE *Geſchichte des Glaubens an Unſterblichkeit, Auferſtehung, Gericht und Vergeltung*, Lipſ. 1795. II. 8. coll. EICHHORNII *Bibl.* T. V. p. 365 ſqq. STAEUDLIN *hiſtoria doctrinae de futura corporum exanimatorum inſtauratione*, Gotting. 1792. 4. Attigerunt praeterea mores, inſtituta et opiniones Judaeorum, quatenus ex apocryphis V. T. libris diſcuntur, paſſim

in notis ſuis ad N. T. GROTIUS et WETSTENIUS: quamquam et hi de *verbis* ſingulis et *formulis loquendi* multo plura attulerunt. Vtroque in genere etiam verſantur alii libri, ita tamen, ut prius in his quidem, quorum indicem dabo, diligentius tractatum ſit: J. D. MICHAELIS *Ueberſetzung des erſten Buchs der Maccabäer* in verſione V. T. germanica. *Das andere Buch der Maccabäer, neu überſetzt mit Anmerkungen und Unterſuchungen* v. J. G. HASSE, Jen. 1786. 8. *Sittenlehre Jeſu des Sohnes Sirach, neu überſ. mit erläut. und krit. Anmerkungen* von J. W. LINDE, Lipſ. 1782. 8. *Die Weisheit Jeſus, Sirachs Sohn, mit erläut. Anmerk.* (v. ANDR. JOH. ONYMUS) Würzb. 1786. 8. J. G. HASSE *Salomos Weisheit neu überſ. mit Anmerk. u. Unterſuchungen*, Jen. 1785. 8. JOH. MELCH. FABER *ſuper libro ſapientiae*, Proluſſ. VI. Onold. 1776. 77. 4. et Ej. *ſuper libro ſapientiae*, P. II. Sect. I. 3. Onold. 1786-88. 4. (contra Haſſium). J. F. KLEUKER *Salomoniſche Denkwürdigkeiten*, Rig. 1786. 8. — Sed ad *loquendi genus* cognoſcendum utiliter adhiberi poſſunt JOH. WALLENII *Annotatt. philol. criticae in librum, qui inſcribitur* Σοφία Σαλομῶνος, Gryphisw. 1786. 4. J. CHR. FIELII *novus theſaurus philolog. ſ. Lexicon in LXX. interpretes et ſcriptores apocryphos V. T.* P. I-III. Hag. Com. 1779. 8. J. FR. SCHLEUSNERI *Spicilegia ad Bielii Lex.* II. Lipſ. 1784. 86. 8. Ej. *Lexicon in N. T.* — Nuper denique colligendis iis et explanandis, quae in Novo Teſtamento ex Apocryphis Veteris illuſtrationem capiunt, eruditorum deſideriis occurrere ſtuduit CHR. THEOPH. KUINOEL, auctor *Obſervationum ad N. T. ex libris apocryphis V. T.* Lipſ. 1794. 8. Sed poſtquam JOH. GODOFR. EICHHORNIUS uſum librorum apocryphorum V. T. interiorem ſua introdu-

troductione (*Einleitung in die apocryphischen Schriften des A. T.* Lipf. 1795. 8.) feliciffime aperuit, et conferri iam critica ftudia ad libros illos emendandos (v. BEN. BENDTSEN *Specimen exercitatt. criticarum in V. T. libros apocryphos*, Gotting. 1789. 8. J. W. LINDE edit. nova *Sententiarum Jefu Siracidae*, Gedani 1795. 8.), denique Apocrypha etiam Novi Teftamenti fcripta excuti et elucidari coeperunt: in toto hoc genere larga fupereft materia, in qua tractanda plures poffint cum fructu non grammaticae folum, fed potiffimum *hiftoricae interpretationis* N. T. laudabiliter aemulari. Nam et is, quem ultimo loco nominavi, doctus ac diligens Obfervationum auctor in verborum magis, quam in rerum explicatione elaboravit, terminarique operam fuam voluit finibus librorum apocryphorum V. T., non adfcitis in communionem ftudii, neque apocryphis N. T., neque pfeudepigraphis utriusque Teftamenti fcriptis. Caeterum *Apocryphorum Novi Teft.* explanandorum, et ad ufum criticum atque exegeticum transferendorum, nuper praeclarum initium fecit GUIL. LUD. BRUNNIUS, edita *disquifitione hiftorico-critica de indole, aetate et ufu libri apocryphi, vulgo infcripti Evangelium Nicodemi*, Berolin. 1794. 8. Spectat ifte ufus potiffimum Matthaei evangelium. Cfr. *Götting. Bibl. der neueften theologifchen Litteratur*, Vol. I. p. 762-770. — Ad univerfum huius notae argumentum adde Commentat. Anonymi: *Von den Apocryphis und Pfeudepigraphis der Juden, in Beyträgen zur Beförd. d. vern. Denkens in d. Religion*, P. IV. p. 190 feqq. FABRICII *Bibl. graeca*, Vol. III. p. 718 fqq. Vol. IV. p. 822 fqq. ed. Harl. E.]

XI.

Hebraica comparanda etiam in formulis bene graecis.

Vidimus supra (IV.), fieri interdum, ut idem verbum et genus dicendi simul et hebraicum sit et bene graecum; siquidem omnes linguae communes quosdam habent dicendi modos. Fit etiam, ut ex utraque ratione sensus exsistat non incommodus, sive hebraice verbum capiam, seu graece. Sic formula ἀποθνήσκειν ἐν ἁμαρτίαις, si capiatur hebraico sensu, erit non tam physice diem supremum obire, sed tropice *infelicem fieri propter peccata;* sin capiatur graece, denotabit simpliciter: *discedere e vita in ipso delicto*, *in ipso facinore;* ut quum quis furtum faciens occiditur ἐπ' αὐτοφώρῳ. Vtraque explicatio verbi poterit accommodari loco Johanneo, cap. VIII, 1-24. Verum in talibus, recte monetur (§. 23.), hebraicum potius quam graecum sensum sequendum esse. Probabilius enim est, hominem hebraicum genere, usum esse phrasi hebraico more, quam graeco, praesertim si hic sit rarior et exquisitior. Καταβολὴ σπέρματος (Hebr. XI, 11.) si capiatur graece, constat, καταβάλλειν σπέρμα esse *semen spargere in agris*, dici etiam tropice de *coitu* utriusque sexus. Si capiatur hebraice, זֶרַע significat *posteritatem*, καταβάλλειν autem in Versione Alexandrina est *rei fundamentum ponere*, *facere initium rei*, ut in illo πρὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου. Hinc hebraico sensu erit: *ponere fundamentum familiae*, i. e. gignere filium, e quo deinde familia copiosa prognascatur.

XII.

In primis in stilo dogmatico.

Recte autem praecipitur, in primis *dogmaticum stilum N. T.*, qui religioni Christianae proprius sermo est,

eſt, ex hebraica lingua ſemper eſſe (§. 24.) interpretandum. Afferam iſtius ſtili exempla. *Timere Deum* ex uſu linguae hebraicae eſt revereri, colere Deum in univerſum. *Cognitio Dei* ſi aeſtimetur more dicendi hebraico, non modo eſt ſcientia Dei, quae ineſt in animo, ſed oriundus etiam inde Dei cultus ac reverentia, ideoque et theoretica et practica cognitio. Similiter ſi *angeli* dicuntur ſic, ut ſpiritus ſint hominibus excellentiores; ſi πίστις dicitur σώζειν; ſi ὁμολογεῖσθαι ἁμαρτίας non tantum indicat ore fateri delicta, ſed mente ſua agnoſcere et improbare, quae commiſſa ſunt, fontem et poena dignum ſe cenſere; ea omnia non poſſunt niſi ex hebraica lingua derivari.

Cauſſae autem, cur in his maxime verba duci debuerint e libris ſacris V. T., ſunt in promptu. Primo enim doctores religionis erant Judaei, qui omnem ſuam religionem hebraice didicerant, qui inde a pueritia hebraice cogitabant, qui vocati denique ad docendi munus, non poterant niſi vernaculo more exprimere omnia, quippe alieni a litteris graecis. Deinde conſentit Novi Teſtamenti religio cum religione Veteris Teſtamenti, conſentitque velut aliqua illius continuatio, h. e. ſic, ut in locum ritualis cultus ſucceſſerit interior aut ſpiritualis cultus, in locum oeconomiae legis ſucceſſerit alia oeconomia, utque imperfectiora illa et obſcuriora facta ſint perfectiora et clariora. Sed quae continuantur, ea in ſumma tamen eadem vel eiusdem generis ſunt. Sic προσέρχεσθαι τῷ Θεῷ eſt in Judaica religione; eſt etiam in Chriſtiana. In illa eſt: *templum adire;* in hac continuatur, ſed ſic, ut imperfectum fiat perfectius: *mente accedere ad Deum.* Pariter quum multa in V. T. legantur de victima, ſacerdotibus, templo dei; ea quo modo, remotis figurarum umbris, in N. T. transfe-

rantur ad Jeſum morientem, morti ſe offerentem, ad coetum Chriſtianorum, id ne apparet quidem ſatis, niſi neceſſitatem perſpicias ſtilum N. T. dogmaticum interpretandi ex V. T. libris. Pendet etiam hinc omnis modus de cultu Dei loquendi in N. T.: veluti quum gratias agentes Deo dicuntur victimas labiorum ac laudis illi offerre &c.

Sed ad hanc dogmatici ſtili indagationem atque explicationem adhibenda eſt ea cautio, ut ne dogmata eruamus e formis verborum et temporibus itemque e numeris verborum et nominum, in quibus non raro ſermo N. T. aberrat a graeca ratione et hebraicam ſequitur (§. 25.).

Numeri verborum. Vbi Deo in N. T. adſcribuntur οἰκτιρμοί, quaeri multum ſolet de illo plurali, quo deſcribi autumant *immenſam* Dei miſericordiam. Verum hoc dogma ex illo plurali eruitur contra loquendi uſum hebraicum, qui numero illo רַחֲמִים *miſericordiam* ſine omni emphaſi aut deſcriptione magnitudinis exprimit. Nam רֶחֶם in ſingulari *uterum* indicat. Pariter erraverunt, qui ex plurali numero אֱלֹהִים ſtabilire dogma de pluralitate perſonarum non dubitarent, aut ex coniuncto verbo ſingulari cum אֱלֹהִים plurali demonſtrare trinitatem conarentur. Erraverunt, qui e plurali numero שָׁמַיִם, οὐρανοί, argumentum dogmaticum repeterent de pluralitate coelorum aut illi numero ſuperſtruerent opinionem de aliquo ſummo coelo, in quo Deus ſit et thronum repoſitum habeat.

Ad formas verborum ac temporum quod attinet, non ſatis definita ſunt tempora hebraica et ita miſcentur invicem, ut nihil inde poſſit dogmatice erui. Ita futurum tempus ſaepe vim habet praeteriti aut praeſentis,

ſentis, et perfectum pro imperfecto aut praeſenti ponitur. Quod elucet maxime ac tenendum eſt in legendis Prophetarum libris, ubi hiſtoria conſulenda eſt.

XIII.

Comparandae etiam caeterae dialecti Orientis.

Vbi hebraismus nos in ſenſu indagando deſtituit, adeundae ſunt caeterae linguae Orientis, in primis *ſyriaca, chaldaica* et *rabbinica* (§. 26.). In qua re tamen cavendum eſt, ne his adminiculis abutamur ad doctrinae oſtentationem, congerendis inutiliter, quae nihil proſint. Quodſi genus aliquod dicendi e ſyriaca v. c. lingua petitum reperimus, tum vero, quando conſtiterit, quo id ſenſu Syri dixerint, poterit etiam de ſenſu, quem habeat in graeca lingua, iudicari.

[Tractata haec ſunt copioſius p. ſqq. Hic verbo adiicere liceat, etiam in *arabica lingua* detecta a peritis eſſe, quae illuſtrationi vocabulorum et phraſium, in N. T. obvenientium, egregie inſerviant. V. c. ῥῆμα ἀργὸν, Matth. XII, 36. προσεύχεσθαι, Matth. XIX, 13. ἔρχεσθαι ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης, Matth. XXI, 32. Cfr. J. D. MICHAELIS *Einleitung in das N. T.* I. p. 149 ſeqq. edit. 4. E.]

XIV.

Directa teſtimonia non ſemper ſufficiunt reperiundo uſui loquendi N. T.

Atque ita deſcripta nobis eſt ratio legitima cognoſcendi et in ſingulis locis indagandi et reperiendi uſus loquendi in ſcriptoribus N. T. per teſtimonia, quae

maxime *directa* diximus. Sed etiamſi ea ratio latiſſime patet, tamen ſola non ſufficit, nec ſufficere poteſt. Sunt enim non pauca in his libris *nove dicta propter novitatem rerum* (§. 27.), quae non poſſunt neque ex hebraica lingua, neque ex graeca explicari, ſed ita ſunt N. T. propria, ut plane novo ſenſu hic reperiantur. Videamus huius generis quaedam exempla. Doctrina Chriſti appellari ſolet πνεῦμα, v. c. 2. Cor. III, 6, ita, ut contraria ponatur Moſaicae legi ſcriptae. Exſtat nullus locus V. T., neque exſtare poteſt, in quo πνεῦμα habeat illum ſignificatum; multo minus haec verbi vis cognoſci poteſt e ſcriptoribus graecis. Similiter tota doctrina Chriſtiana dicitur etiam εὐαγγέλιον, quod rurſus non poteſt ex codice hebraico explicari. Quod nos dicimus *ſeine Religion ändern*, id eſt in N. T. interdum μετανοεῖν aut ἐπιστρέφεσθαι, maxime de Paganis, ut Act. XVII, 30. Nec hoc ita in V. T. legitur. Ἐκκλησία eſt in N. T. inſtitutio de Chriſtianae religionis doctrina: in V. T. occurrit quidem קָהָל, ſed denotat concionem populi congregatam. His addamus exempla, ab Erneſtio ſuppeditata. Δαιμονίζεσθαι in N. T. dicitur de quodam genere aegrotantium, quorum morbus a daemone quodam repeti ſolebat, Quamquam hoc verbum iam habent ſcriptores eius aetatis graeci, ut Joſephus, e quibus translata vis verbi videtur in N. T. Τάρταρος non reperitur in V. T., ſed eſt tamen graecae linguae uſitatiſſimum. Verum in N. T. (2. Petr. II, 4.) non intelligitur fabuloſus ille Graecorum tartarus, ſed nove dicitur de miſero ſtatu eorum, qui ſunt mali. Verbo ἀναγεννᾶν nullum reſpondet hebraicum. Et quamquam in graecis et latinis ſcriptoribus ſaepe legitur *denuo natum et genitum eſſe*, ſenſu hoc: e ſtatu triſtiore transferri in laetiorem: tamen in N. T. nove dicitur de morali hominis immutatione. Caeterum

cur

cur his adiecta sint ab Erneſtio τέρατα καὶ σημεῖα, ᾠδῆς non ſatis aſſequor. Poſſunt enim illa e V. T. ſatis commode explicari, neque in N. T. nova ſunt.

XV.

In talibus unde cognoſcendus ſit uſus loquendi N. T.

Haec igitur non poſſunt intelligi et explicari ex priſco loquendi uſu, ſed habent *interpretationem propriam* (§. 28.), nec tamen ſuperiori illa minus certam. Ea vero ineſt

I. *In deſcriptione, quam ipſi interdum ſcriptores addunt.* Sic Hebr. IX, 15. *foedus*, κληρονομία, μεσίτης, quid ſit, explicatur ſic, ut oſtendatur, verba eſſe ad aliam rem translata.

II. *In collatione locorum ſimilium.* Agnoſcimus parallelismum realem, de quo ſupra p. 92. expoſitum eſt. Hic illud adſpergam, explicationem nove dictorum petendam eſſe *e loco aliquo claſſico.* Qualis eſt Joh. III. claſſicus locus de regeneratione.

III. *In teſtimoniis Patrum graecorum* (§. 29.). Hac autem via nihil aliud intelligitur, niſi hoc, ab hoc vel illo doctore eccleſiae verbum aliquod ſic fuiſſe intellectum. Reſtat ſemper, ut quaeramus, rectene an perperam intellexerit. Ita revolvitur omne examen ad ipſorum N. T. ſcriptorum, variorumque locorum comparationem. Nominat ERNESTIUS Patres graecos ex iisque exempla profert Part. III. cap. 5. §. 23., e quibus, quae huc pertinent, breviter excerpemus. Phil. II, 6. 7. haec leguntur: Ἰησοῦς ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα θεῷ. Sed hic nihil invenio nove dictum a Paulo, nec poſſum multum lucis capere ex illo loco *Clementis*

tis Rom. Ep. I. p. 20. Ἰησοῦς οὐκ ἦλθεν ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας, οὐδὲ ὑπερηφανίας, καίπερ δυνάμενος, ἀλλὰ ταπεινοφρονῶν 1. Cor. II, 10. πνεῦμα ἐρευνᾷ καὶ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ. Hic quid lucror ex loco *Cyrilli Hieros.* Cat. XI. p. 222. qui cum illo ἐρευνᾷν permutat verbum γιγνώσκει? Si possem docere, in libris Patrum Apostolicorum quae hausta fuerint e prima disciplina Apostolica et ad posteros propagata (§. 30.); in ea re plus sane praesidii foret ad interpretandum, quam in hoc, quod nunc tantum scio, sic intellectum aliquem locum ab aliquo fuisse. Verum illud quis ausit docere?

IV. *In usu glossariorum graecorum* (§. 31. 32.). Etiam de hoc supra p. 115 seqq. iam egimus.

V. *In contextu* (v. p. 149 sqq.) *et rerum ipsarum ante cognitarum indole* (§. 33.). Quae huc pertinent, facile possunt ad haec praecepta revocari: Collige tibi propositiones scripturae sacrae perspicuas et certas; has pone fundamenti loco etiam in interpretando. Vide, ne ulla tua interpretatio repugnet illis propositionibus perspicuis et certis; si denique in ipsis scriptoribus sacris occurrat aliquid, repugnans istis propositionibus aut parum conveniens, id cum illis redigas in concordiam. Quum itaque legitur: Deus est sanctus, Deus neminem allicit ad peccandum, et alibi occurrit: Deus efficit, ut homines peccent; quum legitur: Deus est omnipraesens, et alibi: Deus in homine habitat, eae propositiones inter se invicem componendae sunt e *sensu communi*, de quo p. 185. dictum est. Iam vero qui ita se gerit in interpretando, is vulgo dicitur secundum *analogiam fidei* seu *doctrinae* interpretari.

XVI.

Analogia fidei quae sit, et quid faciat ad reperiendum loquendi usum.

Doctrinae sacrae et fidei Analogia est vocabulum technicum. Πίστις enim saepe dicitur de integra doctrina; *analogia* vero dicitur eo sensu, quo Iuris analogiam dicere solemus. Quando autem in loco iuris ambiguo provocamus ad analogiam, quae hunc vel illum sensum loci postulet; id agimus, ut ex locis perspicuis, legibus certis, propositionibus evidentibus explicare et definire studeamus id, quod ambiguum est. Pariter *doctrinae et fidei analogia* inest (§. 35.) in summa religionis formula et lege, evidenter in scripturis tradita. Quam definitionem Ernestii sic puto intelligendam esse, ut *summa religionis formula* sit *ein summarischer Inbegriff der ganzen Religionslehre.* Nam si perspicuae et certae propositiones, veluti, esse Deum unum, Deum creasse omnia, regere omnia, emendare nos per doctrinam suam, fore aliquando remuneratorem factorum; si igitur tales propositiones colligantur, fit tandem summa religionis formula. Eaedem propositiones summatim iunctae efficiunt *legem* s. normam, secundum quam omnia interpretanda sunt, ita, ut nihil eis repugnet, omnia probe consentiant.

Male autem agunt, qui illam Analogiam doctrinae ponant in ipsa *doctrina universa*, *coetui alicui probata*, veluti in systemate Lutherano, Calviniano, Pontificio. Foret enim admodum multiplex analogia, quilibet coetus suum systema commendaret tamquam regulam. Nec vero potest umquam coetus cuiusdam systema lex fieri aut norma interpretandi; nam haec unice nititur certis ac perspicuis scriptorum testimoniis.

niis. Neque ineſt doctrinae analogia in *nexu doctrinae*, h. e. in ſyſtemate huius vel illius viri. Quippe ſyſtemata conduntur ab hominibus, quorum quisque ſuo modo ordinem doctrinarum nectit, ſuo modo explicat, diſponit ac determinat; ideoque ſyſtemata talia non poſſunt haberi pro regula interpretandi.

Veteres latinae eccleſiae doctores multum loquuti ſunt de *Regula fidei*, ad quam omnia referenda ſint, ne cum ea pugnet quicquam, ſed ut cum ea conſentiant omnia. Ea Regula fidei quae fuerit, quamque ſit diverſa ab ea, quam hic tractamus, Analogia doctrinae diſci poterit ex JOH. GEO. ROSENMÜLLERI libro *de origine Chriſtianae religionis* p. 82. Habuerunt nimirum illi doctores ſaeculi maxime ſecundi aliquam epitomen doctrinae, non ductam illam ex N. T. libris, ſed iam ante ſcriptionem N. T. obviam et in eccleſiis ore traditam *). Talem autem regulam, quae non nititur niſi traditione orali, quis poteſt facere legem interpretandi? Recte igitur noſtri valere iſtam regulam iuſſerunt, nihil traditioni, omnia tribuentes ſcripturarum certis et perſpicuis dogmatibus.

Poterit denique his adſpergi admonitio (§. 34.) contra ſententiam illorum, qui *Analogiam fidei*, eodem quo nos explicuimus ſenſu, reperiſſe ſibi videbantur Rom. XII, 6. Primum non opus eſt, ut praeceptio talis alicubi exſtet in ſcriptura ſacra, quum res ipſa et communis ſenſus et conſuetudo in omnibus ſcriptis hoc ſuadeant, ut alterum ex altero illuſtretur. Deinde locus

*) [Qua uterentur maxime in catechumenis inſtituendis et refellendis adverſariis ſeu haereticis. Cauſſam tradit TERTULLIANUS *de praeſcriptionibus haereticorum*, c. 15. Cfr. SCHROECKH *Kirchengeſchichte*, Tom. IX. p. 95. E.]

locus Pauli, qui adducitur, fenfum habet plane diverfum, commendans modeftiam hoc fere modo: *Wenn jemand lehrt, fo lehre er nach feiner Ueberzeugung; er maſse fich nicht mehr an lehren zu wollen, als er weiſs und wovon er überzeugt iſt, und beſcheide ſich, daſs ein anderer mehr Ueberzeugung haben könne und mehr wiſſe.*

XVII.

Analogia fidei ubi maxime adhibenda fit.

Sed ad hanc analogiam doctrinae maxime confugere oportet in locis iis, qui fonant aliquid abhorrens ab veritate perfpicue tradita alibi, atque a fenfu adeo communi de rebus divinis et humanis (§. 36.). *Veritas perfpicue tradita* illa eft: Θεός ἐςὶ πνεῦμα, ne facias tibi figuram aut imaginem Dei. Iam quum alibi legitur, habere Deum membra, quis non cogitur ea explicare iuxta evidentiam propofitionum? *A communi fenfu abhorret*, quod legitur: fi vis me fequi, parentes odiffe debes; nam alibi eft, τίμα τὸν πατέρα. Hinc et illud accommodandum eft huic evidenti propofitioni. Et commune fane hoc eft omnibus fcriptoribus etiam humanis, quamquam difertis et acute fubtiliterque et cogitantibus et fcribentibus, ut, quum compendium doctrinae ipfius et elementa componant, nec agant ex inftituto de aliquo capite doctrinae, notitias communes et elementa doctrinae nota e difciplina et inftitutione fumant, nec ita femper de rebus loquantur, uti fubtilis inftitutionis elementaris et fcholafticae ratio requirit; velintque modos loquendi craffiores et populares ad illam exigi atque intelligi. Quocirca mirum non eft, fcriptores etiam facros faepe minus fubtiliter ac durius fcripfiffe, quum id Orientalis ingenii et fermonis indoles maxime ferret. Oportet

igitur

igitur interpretem tales modos loquendi reddere ſibi familiares (§. 37.), itaque aſſuefieri officio, quaedam emolliendi, alia limitandi, ne ubivis haereat, ſi quid repererit durius aut negligentius ſcriptum. Verum quo modo omnia illa mitigari debeant, quae non conveniant propoſitionibus certis et perſpicuis, aut cum illis conciliari; id non poteſt per regulas univerſe deſcribi. Nam in locis propemodum ſingulis alia opus eſt ratione. Tamen quaedam poſſunt obſervationes dari, adiuvantes hoc ſtudium. Quales ſunt:

I. *Multa dicuntur univerſe aut ſimpliciter, quae ſunt accipienda particulariter et πρός τι, praeſertim in rebus moralibus* (§. 37.).

Praeceptum de amandis aliis ante Chriſtum exſtitit in V. T., ſaepiusque repetitum eſt et inculcatum. Hoc evidens eſt. Iam ſi praeceptum illud dicitur *novum* Joh. XIII, 34., *univerſe* ſic dicitur aut *ſimpliciter;* neque enim additur, quo verbi vis reſtringatur. Nunc hoc accipiendum erit *particulariter* et πρός τι, ut ſit certo quodam reſpectu novum. Quatenus autem ſit, id eſt ex ipſo loco diſcendum: ſcilicet, quatenus praecipitur amor erga alios *ad exemplum Chriſti*, h. e. *quia* Chriſtus, et *quo modo* alios amavit. Sic etiam notum eſt et evidens, eſſe debere in eccleſia Chriſtiana doctores religionis, utpote quos Chriſtus ipſe inſtituerit et eſſe voluerit. Iam quum legatur 1. Joh. II, 20. vos noſtis omnia, nec opus habetis, ut aliquis vos edoceat; hoc non videtur ſatis convenire cum illa certa propoſitione. At vero dicitur ſimpliciter et univerſe, quod capiendum eſt particulariter et certo reſpectu. Is autem reſpectus, ea limitatio rurſus definienda eſt ex ipſo illo loco, in quo agitur de falſis doctoribus, qui errores ſpargebant.

Poterat

Poterat itaque ſcriptor ſuo iure dicere: non opus eſt, ut alius quis vos doceat nova et iis, quae ego docui, contraria: noſtis enim omnia ad doctrinam religionis pertinentia.

Nec ſecus fit in *rebus moralibus*, ubi ſaepe a potiore ſumitur denominatio. Quando igitur occurrunt in Pſalmis talia: *nemo* eſt, qui Deum colat, *nemo*, qui recte agat; *omnes* ſunt peſſimi, caedium, rapinarum, blasphemiarum pleni: ea quis auſit univerſe intelligere? Graſſabantur nimirum illa aetate iſtiusmodi ſcelera et praevalebant, maiorque pars hominum illis erat dedita. Quapropter, ipſa hiſtoria duce, quae dicta ſunt ſimpliciter, erunt limitanda interpretatione.

II. *In rebus moralibus multa, quae non dicuntur comparate, tantum in comparatione intelligi poſſunt et vera ſunt.*

Legitur ſaepe: Nolo, inquit Deus, victimas, ſed volo obedientiam. At tamen ipſe praeſcripſerat lege, ſacra ſibi fieri, victimas offerri debere. Comparate itaque hoc ſpectandum eſt, ſic, ut victima comparetur cum obedientia. Prodibit ſenſus hic: *non tam* victimas volo, *quam* obedientiam. Plus valet obedientia, quam victima. 1. Timoth. VI, 8. Si habeamus alimenta et veſtes, acquieſcamus, nec plus appetamus. Quidni appetam et domum et pecuniae aliquid? Comparentur igitur illa cum aliis, quae dicuntur bona vitae noſtrae. 1. Cor. VI, 18. Paulus dicit, quodlibet ſcelus, ab homine commiſſum, eſſe extra corpus, h. e. damnum ſuum exſerere extra corpus eius, qui ſcelus facit, v. c. furtum, caedes &c.: ſed qui ſcortetur, eum in ſuum ipſius corpus peccare, ſuo ipſius corpori damnum inferre. Ergo alia ſcelera, vt ebrietas, irae vehementia &c. non damnum inferunt cor-

pori eius, qui ſcelus committit? Porro, ut ſcelera caetera, nonne etiam ſcortatio extra corpus ſcortantis damnum exſerit? Nonne nocet ſcortator et mulieri et integris familiis? Neutrum horum tam verum eſt, ut haec ſibi invicem opponi queant. Quodſi hoc legamus ſpectemusque *comparate*, commodiſſimus orietur ſenſus loci hic: Si comparem ſcortationem cum aliis ſceleribus, ſcortatio *potiſſimum* nocet ſcortanti; alia vero ſcelera aliis *potiſſimum* hominibus nocere ſolent.

De tali rerum moralium interpretatione multis expoſuit TURRETINUS *de interpretatione ſacrarum litterarum* p. 348.

XVIII.

Analogia fidei quomodo etiam dogmatice ambigua dirimat.

Caeterum, ut hoc obiter addam, illa Analogia doctrinae poterit etiam ſic prodeſſe, ut *dogmatice ambigua* inde dirimantur, quae aliunde dirimi nequeunt. Scilicet *grammatica* ambiguitas ineſt in poſſibilitate ſignificationum plurium, quas verbum aliquod, aut ſenſus varii, quem contextus admittit. Sed *dogmatica* ambiguitas ibi eſt, ubi diverſitas eſt ſententiarum aut doctrinarum ipſarum. Exemplo utar hoc, quod in evangelii Johannei initio Jeſus eſſe dicitur Deus. Obiiciunt alii, Deum etiam poſſe ſignificare excelſum ac venerabilem; quo ſenſu et magiſtratus dicantur Dii, et angelis idem nomen tribuatur. Quare nolunt ex verbis: ὁ λόγος ἦν Θεὸς, derivari argumentum pro divinitate Chriſti, quod alii inde derivant. Ad hanc dogmaticam ambiguitatem dirimendam ſolemus omnes locos de Chriſto obvios colligere; agnoſcimus, etiam opera et attributa divina illi tribui: hinc concludimus,

mus, qui dicatur alibi mundum condidiſſe, conſervare, omniſcius et omnipotens, poteſtatem habere in coelo et terra, eum non ſic tantum poſſe dici Θεόν, ut ſit excelſus et venerabilis, ſed longe alio ſenſu, quam quo dicantur magiſtratus et angeli. Porro multi ſunt loci, in quibus Deus convertere et emendare hominem dicitur. Hinc oritur dogmatica ambiguitas, ſitne hoc immediate de Deo capiendum, an non. Verba Θεὸς φωτίζει, Θεὸς ἐπιστρέφει et ſimilia patiuntur utrumque; ſed legitur aliis in locis evidentius, Deum *per doctores* convertere et emendare, ut 2. Petr. I. init. Sic per analogiam dirimitur illa ambiguitas.

XIX.

Concluſio totius loci.

Ita explicata ratione univerſa reperiendi ſenſus per uſum loquendi, aut alia artificia ſubſidiaria, ſeparatim dicemus de quibusdam capitibus, in quibus ſaepe peccari ſolet in interpretando (§. 29.). Sunt autem in primis tria: primum de tropis, alterum de emphaſibus, tertium de ἐναντιοφανείαις iudicandis.

CAPVT QVARTVM.

DE DICTIONE TROPICA IVDICANDA ET INTERPRETANDA.

I.

Introitus.

In his tractandis ita versabimur, ut praemittamus theoriam troporum (quae est in ERNESTII *Interprete* Sect. I. cap. II. §. 2 sqq.), deinde, quae ad praxin exegeticam pertinent, adiungamus.

II.

Troporum notio, fundamentum, species.

Alia igitur verba sunt *propria*, alia *tropica*. *Propriis* verbis uti nihil aliud est, nisi uti iis verbis, quae adsunt et inventa sunt, ut certa res certo nomine appelletur. *Tropicis* verbis uti, erit permutare nomen rei certum cum alio nomine rei similis vel relatae vel coniunctae. Ita qui dixit roseam faciem, cutem niveam, haud dubie tropice loquutus est, quia permutavit certum rei verbum usurpavitque de alia re, cui proprie non conveniret. Quia igitur usus vocabulorum hoc modo invertitur et transfertur ad aliam rem; ideo dicuntur talia verba τρόποι, *inversiones*, *conversiones*. Sed quum homines aliquod verbum de alia re usurpant, fundamento nituntur duplici: alterum est *similitudo*, alterum *coniunctio*, seu relatio rerum mutua.

Simili-

Similitudo — v. c. qui dixit *plantam ſerpere*, is nonne *ſerpere*, quod proprie animantis eſt, de planta dixit improprie, ideo, quoniam ſimilitudo eſt? Aut qui dixit *plantam ſcandere*, quando planta circumvoluta bacillo altius creſcit, nonne eodem modo ſimilitudinem expreſſit?

Coniunctio, h. e. relatio ſeu ratio duarum rerum analoga (*verhältnißmäßige Aehnlichkeit*). Qui dixit *ſordes vitiorum*, nixus eſt fundamento coniunctionis ſeu relationis analogae. Nam ut ſe habent ſordes ad corpus, ſic vitia ſe habent ad animum. Iam ſordes deturpant et polluunt corpus: hinc ſordes dicuntur de turpitudine vitiorum. Pariter *gelu ſenectutis* exprimit non ſimile quid in oculos incurrens, ſed rationem analogam. In ſenectute eſt defectio actionis et agilitatis, imbecillitas, ut gelu defectum actionis efficere ſolet.

Quum ergo tropi ſic uſurpantur propter ſimilitudinem et rationem analogam, dicuntur metaphorae. *Metaphora* enim eſt translatio verbi ad rem aliam propter ſimilitudinem ſenſibilem aut rationem intelligibilem. Apparebit infra, quem fructum haec habeant in interpretando.

Diximus, fundamentum aliquod troporum eſſe *coniunctionem*. Ea rurſus eſſe poteſt aut ſenſibilis et phyſica (*empfindbar*), aut intelligibilis et moralis (*denkbar*).

Coniunctio rei ſenſibilis eſt, ubi res cum altera phyſice coniuncta eſt. Talia coniuncta ſunt continens et contentum, pars et totum. Poſſumus itaque dicere *adire limen*, *praebere poculum*, ubi partem pro toto, continens pro contento dicimus. Habemus ori-

ginem *ſynecdoches*, quae eſt translatio verbi ad aliam rem propter coniunctionem rei ſenſibilem.

Coniunctio rei intelligibilis eſt, ubi res cum altera moraliter coniuncta eſt. Ita ponimus cauſſam pro effectu, effectum pro cauſſa (v. c. ruborem pro pudore); ſignum pro re ſignata; ſubiectum pro adiuncto. Habemus originem *metonymiae*, quae eſt translatio verbi ad aliam rem propter coniunctionem intelligibilem.

Optime haec tractavit *Ariſtoteles* in Rhetoricis, cui ſua unice debent *Cicero* et *Quinctilianus*. Inter recentiores Rhetoricos palmam caeteris praeripuit VOSSIUS.

III.

Tropi a) *neceſſarii*, *maxime in linguis antiquiſſimis.*

Quod ERNESTIUS (Sect. I. c. II. §. 3.) dicit, prima inſtitutione, dubitari vix poſſe, quin verba propria fuerint omnia et ad certas res indicandas facta et excogitata, ut per eas diſcerni facile et ſine ambiguitate poſſent, de eo, equidem arbitrer, nihil poſſe a nobis certo ſtatui. Quid enim, ſi homines illi primi, ſenſibus plane dediti omnique exercitio abſtrahendi deſtituti, prima verba maxime tropice adhibuerint? Hinc tanta eſt copia troporum in antiquiſſimis quibuscunque linguis, etiam in ipſa hebraica. Sed nihil auſim definire; nec facit hoc quicquam ad interpretandum.

Certius illud eſt, linguas origine ſua fuiſſe pauperes et paucorum verborum, auctas ſubinde verborum copia, quum ipſum culturae incrementum progreſſu temporis augeretur (§. 3.). Augendarum vero linguarum duplex erat ratio: nam aut nova vocabula excogi-

excogitanda erant, aut vetera cum pluribus communicanda. Et nova quidem verba plurima invecta sunt in linguas eas, quae aut usurparentur a populis ingeniosioribus et studiis doctrinarum deditis; quales fuerunt Graeci; aut sua natura vel arte essent flexibiles et novis verbis effingendis aptiores. Cuius rei nostra vernacula lingua illustre exemplum praebet. Quae sicut componere praeter modum multa vocabula potest, unde producta est innumera copia verborum: ita flexibilis etiam est propter terminationes, unde novum oritur incrementum; ut abstracta etiam fingi, ac multa uno verbo comprehendi possint. Adde derivationes: e verbis enim eorumque temporibus singulis quanta derivatur copia vocabulorum! In caeteris linguis, non aeque flexibilibus, plura, quae iam aderant, vocabula cum aliis rebus communicanda erant; quamquam id etiam factum est in flexibilibus. Vnde fit, ut, quo quaeque lingua et universa, et in quibusdam partibus orationis pauperior sit, et numero verborum tenuior, ita frequentior esse debeat verbis translatis seu tropicis. Res enim augentur ipsae; populus colitur; cum aliis gentibus nectitur; eget aliis verbis. At lingua est pauper, nec flexibilis satis. Quid fit? Verba, quae adsunt, transferuntur ad alias res. Quid inde sequitur? Nihil quaeras in eo, quod scriptor pauperis linguae utitur tropis; quod Prophetae, Psalmi, Jobus, abundant troporum copia; quod scriptores tales, de religione dicentes, omnia fere exprimunt tropice, neque cultum Dei, immutationem hominis in melius, perfectionem moralem iis indicarunt verbis, quibus nunc utimur: neque enim illa habuerunt. Ita accipient istae observationes fructum aliquem practicum.

[Optime haec exposuit HERDERUS, *Geist der ebr. Poësie*, To. I. p. 17.]

IV.

Troporum neceſſariorum diverſa ratio.

Sed horum tropicorum verborum diverſa et multiplex ratio eſt (§. 5.). Nam *primum* in quibusdam illa prima et, ſubtiliter accepto verbo, propria ſignificatio obſolevit, et a multo tempore deſiit uſurpari. In quibus planum eſt, alteram, quae olim tropica videri potuit, propriam factam eſſe. Sic *coelum*, e graeco κοῖλον, proprie ſignificat *cavum*. Sed ubi habet vocabulum hanc ſignificationem? Obſolevit illa, et vis verbi tropica facta eſt propria. *Papyrus* proprie indicavit plantam et fruticem Aegypti; tunc dicta eſt de materia, cui litteras inſcribimus. Abundat et noſtra lingua talibus verbis, v. c. *Befugniß*, *behelligen*, in quibus nemo quaerit propriam ſignificationem, i. e. eam, quam ab initio habuerunt aut per etymologiam habere debuerunt, ſed amplectitur eam, quae nunc facta eſt propria. Rurſus autem fluit hinc: nihil quaeras in iſtiusmodi verbis, ubi occurrunt in aliquo ſcriptore, ſed audias ſimpliciter conſuetudinem loquendi.

Deinde, quod illi ſimillimum eſt, verborum quorundam tropicus uſus ita uſu tritus eſt, ut magis vulgo etiam notus ſit uſurpeturque, quam proprius (§. 6.). *Adminiculum* proprie eſt bacillus, quo fulciuntur plantae ſcandentes, ut illius ope ſurgere poſſint altius. Sed illa latina verbi vis nunc non occurrit niſi in re ruſtica; quo ſenſu nunc dicamus *adminiculum*, ſatis conſtat. *Scrupulus* proprie eſt lapillus; ſed nunc proprie magis quam tropice dicitur de dubitatione. *Aggredi rem* nunc ſane non eſt pedibus gradum ad eam facere, ſed multo uſitatius, ſuſcipere et inchoare rem. Similiter noſtrum *Urſprung* proprie dicitur de fonte, ubi aqua primum *proſilit* in terram, ſed magis uſitate de

primo

primo initio, de auctore et cauffa rei. Sequitur inde, non effe in his argutandum aut emphafin quaerendam. Et tamen in his peccatur faepenumero, quum v. c. ἐπιχειρεῖν τι, *in manus fufcipere aliquid*, urgetur in evangelii Lucae initio, quafi ibi notetur audacia illorum, qui conati et aggreffi fuerant fcribere hiftoriam Chrifti. Aut ubi *vita aeterna* dicitur, non prememus illud *vivere*, *leben und ewig thätig bleiben:* nam et damnati vivent: fed fimpliciter intelligemus de fempiterna felicitate. Tales explicationes verborum, quae faepe obtrufae funt facris fcriptóribus, quis fine rifu ferat in profanis?

Denique quum verba transferuntur ad res, quae proprium verbum non habent, ea propriis paria funt et proprie de iis dicuntur (§. 7.). Latina lingua quum exprimere vult, fegetem crefcere paene nimis copiofe, quia non habet verbum in ea re proprium, appellat *luxuriem fegetis*, ducto vocabulo a vitio morali hominis. Sic et nos: *die Saat wächfet geil.* Talia etiam funt, quae de vite dicuntur, eam habere *gemmas*, et nos *Augen des Weinftocks;* aut quae in militari re adhibentur tropica, v. c. *acies*, *ala*, *cornu*. Adde *radicem* montis, *Fuß des Berges*, *Flußbette*, et fimilia. Nec abhorrent ab his litterae facrae; v. c. ubi θάνατος δεύτερος dicitur de miferia poft hanc vitam futura, non habito refpectu ad vocis θάνατος propriam notionem. In his uti rurfus nil eft quaerendum aut argutandum; ita nec funt ea ad orationis ornatum referenda.

V.

Tropi b) *liberi*, *eorumque cauffae.*

Transimus ad eam translationem verborum, quae introducta eft nulla neceffitate iubente, quam rei no-

 vitas

vitas attulisset (§. 8.). Neque enim necessitati tantum in rebus humanis servitur, sed etiam, et multo magis, suavitati et delectationi, et pro ingenii aut morum indole magis minusve. Tales autem tropi, tali modo quaesiti, dicuntur *liberi.* Huius libertatis duae potissimum sunt caussae: prima, ut *varietur* oratio (§. 8.), altera, ut *exornetur* (§. 9.).

I. Ex priore genere sunt *metonymiae*, *synecdochae* et *tenuiores illae metaphorae*, quae quotidie in omni genere orationis usurpari solent, et in quibus plane nullus est ornatus. Huc pertinet, quod pro Deo coelum etiam dici solet; pro morte somnus; pro mori, obire diem supremum, vitam commutare cum morte, ex terris migrare, cedere hinc &c. Non necesse erat, hanc rem tam variis tropis exprimere; sed datum hoc est varietati, ne similitudo taedium satietatemque crearet. Pariter qui dixerunt per *metonymiam* tremorem pro timore, per *synecdochen* limina pro domo, nil nisi variare orationem voluerunt. Fluit hinc, nihil esse in tropis his quaerendum, nec v. c. dicendum, κοιμᾶσθαι significanter usurpari de morte piorum ac fidelium, qui dormientes ad breve tempus, cessationem capiant a laboribus et molestiis. Nam pariter dicitur id verbum de omnibus, qui sub terra dormiunt. — Paulus Hebr. XII, 3. dixit nos debere ἀναλογίζεσθαι, quam multa Christus pertulerit ab adversariis sibi Judaeis. Hoc est, *reputare secum.* Cur dixit ἀναλογίζεσθαι? Variandae orationis caussa. Sed hic multi volunt illud verbum esse valde efficax et emphaticum; duci enim a λογίζεσθαι, quod sit *ratiocinari;* id esse, e pluribus colligere unum, et opus esse regulis ad ratiocinandum, ne erretur. Hinc apparere emphasin verbi, quod sit cum attentione summa, et omnibus singulatim spectatis atque in unum colliga-

colligatis reputare. Pariter ubi dicuntur prophetae *φερόμενοι διὰ πνεύματος ἁγίου*, verbum *φέρεσθαι* aiunt proprie usurpari de navibus, quae ferantur vento. Quemadmodum igitur navis se habeat passive, non active, quum pellatur a vento; ita etiam scriptores illos se habuisse non active, sed passive, quum impertirentur iis omnia, quae scriberent. Sed haec sunt prorsus inania.

II. Ad *ornandam orationem* tropica verba etiam collata sunt, praesertim metaphorae. Caussae autem huius ornatus in eo sunt, *primo*, quod *praecipua brevitas delectando servit in similitudine* (§. 9.). Si dico sordes vitiorum, est sane similitudo: nam ut sordes se habent ad corpus, ita vitia ad animum: et placet illa similitudo, quoniam redacta est ad unius vocabuli angustias. Maxime autem delectatio oritur, ubi *suavis* est comparatio aut *valde evidens.* Ita centies poëtae dicunt Boream aristas alis stringere. Comparatio haec venti cum corpore aliquo alas habente suavis est: suave enim est adspectu, *ventorum segetes fluitantes cernere motu.* Eadem vero etiam evidentissima est. — Deinde oritur ornatus a *similitudine rerum splendorem aut dignitatem habentium.* Talis metaphora excitat mentem ad sensus altiores; placet autem animo, praesertim nobiliori, se paululum evehi. Ex eo genere sunt metaphorae, quae ducuntur a Deo, coelo, sole, regibus. Nam quod magistratus in sacris litteris dicuntur Dii, plenum hoc est maiestatis; quod cum sole comparantur, magnam habet dignitatem. Ex eodem genere sunt metaphorae, quae ducuntur a religione. Habent enim res divinae dignitatem aliquam, et quo quid saepius comparatur cum religione, eo plus accipit dignitatis, v. c. *sich Gott nahen*, *Opfer des Dankes*, *Weihrauch des Gebeths.* Verum nec in his quae-

quaerendum quicquam eſt praeter conſilium ornandi, quod poëtae in primis atque oratores ſequuti ſunt. Et ut ex illo genere ornatus, quod delectationem accipit a brevitate dicendi comparationisque ſuavitate, ingenium maxime ſcriptoris elucet, qui talia multa nove dicit: ita in hoc genere, quod ſimilitudinem ducit a rebus ſplendidis, agnoſcimus et laudamus ſcribendi elegantiam. Quo enim quisque magis eſt ſtudioſus ornandae orationis, eo eſt tropis frequentior.

III. Alia cauſſa adhibendorum ac frequentandorum troporum eſt in *ingenio* (§. 11.) *tum nationis, tum ſcriptoris.* Nam ingenia vividiora et calidiora *frequentant magis* tropos: adſcribas ergo ingenio ſcriptoris, ſi offendare troporum copia: frequentant etiam *audaciores* tropos, h. e. eos, in quibus eſt ſimilitudo cum altera re, ſed nec ſatis propinqua, nec accurata ſatis. *Non ſatis propinqua* — in qua non quilibet lector reperire poteſt tertium comparationis. *Non ſatis accurata* — ubi cogimur fateri, examinandos eſſe tropos. Hebraei v. c. omnes, qui ſunt cum re aliqua coniuncti, appellant filios ſ. filias illius rei. Ita urbs in monte ſtructa eſt filia montis; filia ſylvae, arbor; homines, urbis incolae, filii urbis. Etiam qualitas mera animi ſufficit, ut, qui qualitatem illam habet, dicatur eius filius: velut ſi quis eſt vitioſus, appellatur vitioſitatis filius; contra virtutis filius, qui virtuti ſtudet. Pariter hoc nomine inſigniunt, ſi quae res ſunt coniunctae tempore; ut audacius filias Aurorae dicunt guttas roris mane ſtillantis: in quo tropo non eſt ſatis propinqua ſimilitudo. Prunas coeleſtes Hebraei dicunt fulmina, comparatione non ſatis accurata. Dandum vero hoc eſt hominibus Orientis, quorum ſtilus propterea tam denſus eſt indole et creber tropis audacioribus, quia ingenium illorum reſpuit ſubtilitatem

logicam

logicam et ad ſenſibilem modum res exprimendi fertur. Quod ſi de nationis talis ingenio conſtat, rurſus ſequitur, non eſſe ſingula urgenda, non in omnibus aliquid inſigne aut emphaticum quaerendum: neque enim foret ullus finis quaerendi et urgendi, ubi propemodum omnia plena ſunt ac referta tropis.

Proxime ad illam Orientalium audaciam acceſſerunt Graecorum poëtae nonnulli, in primis lyrici et tragici. Sic v. c. Pindarus aliquo loco regem hortatur, ut velit cudere linguam in iuſtitiae incude; quod ſane durum eſt lectori. Volebat hoc: regem ſtudere debere, ut aſſuefiat iuſtae ſententiae dicendae. Quodſi dixiſſet: conformet linguam ad iuſtitiam ſententiae; nemo non id ferret. Nunc vero ſententiam ſic concepit, ut conformare iubeat linguam ad fabrorum veluti ſimilitudinem, imponi incudi iuſtitiae et tanquam malleo cudi et tundi, quo facilius et certius aſſueſcat illi rei. Quae res quum admodum diſſimiles ſint; oritur audacia ex parte ſcriptoris et durities e parte lectoris. Sed hoc eſt ingenium illius poëtae, audentis multa in comparandis rebus vix ſimilibus et ita difficilem reddentis ſtilum. Haec ſimilitudo ſi in Jobo occurreret, quid non quaeſituri in illa eſſent interpretes!

His addi etiam illud poteſt, in ingenio nationis et ſcriptoris cauſſam eſſe, *cur hos potiſſimum tropos et hoc potiſſimum modo uſurpet.* Scilicet ducti ſunt tropi ab iis rebus, quae quotidie ob oculos verſantur. Ita qui contraxit familiaritatem aliquam cum rebus ruſticis, ab iis multos ducit tropos. Nationes, quae ſub tentoriis degunt, operam dantes paſtoritiae vitae, beneficia divina ſpectant ut beneficia paſtoris, qui greges in tentorium colligit. Tractavit haec GLASSIUS *Philol. ſacr.* in cap. *de Metaphoris;* multo autem utilius LOWTHIUS *de poëſi Hebraeorum*, Praelect. VI ſeqq.

IV.

IV. Eſt etiam cauſſa dictionis tropicae in *rebus ipſis*, quae ſua magnitudine in utroque genere (ſive bonae ſint ſeu malae, ſive laetae ſeu triſtes) incitant animos, ut ad tropos in dicendo, eosque illuſtriores, ferantur (§. 11.). Hinc magna manavit efficacium troporum (*expreſſive Tropen*) copia. Sed quoniam in affectu non urgenda ſunt verba ſubtiliter, aut aliquid quaerendum, ubi audacius, durius, vehementius dicitur; ſponte ſequitur, eamdem eſſe rationem in iudicandis interpretandisque his ſcriptorum tropis adhibendam.

Poterit autem nunc definiri, quid ſit argutari in tropis, tropica urgere et quaerere in iis nimium. Erit enim 1) redire ad primam verborum vim, etſi illa obſolevit et rarior eſſe coepit: quaſi plus ſit in iis propter illam vim primam quaerendum; 2) plus quaerere in tropis, quam varietatem uſitatam et ornatum; 3) exacte aeſtimare in tropo, praeſertim duriore, ſimilitudinem et ſubtiliter ea iudicare, quae non ſunt iudicanda ſubtiliter, tum ob ingenium ſcriptoris et nationis, tum propter affectus rationem.

VI.

Tropi grammatici et rhetorici.

Ex hac deſcriptione efficitur, alios eſſe *tropos grammaticos*, alios *rhetoricos* (§. 12.). *Grammatici* tropi ibi ſunt, ubi transferendi cauſſa eſt in analogia naturarum tropicique vocabuli uſus abiit in locum proprii, quod non adeſt, v. c. radices montis, luxuries ſegetis, gemmae vitis. *Rhetorici*, ubi transferendi ratio eſt in qualicunque ſenſibili ſimilitudine tropicumque vocabulum adhibetur vel ad variandum, vel ad ornandum. Neque tamen haec diſtinctio troporum, ab

ab ERNESTIO propoſita, nunc uſitata eſt, neque vocabula haec technica invaluerunt.

VII.

Troporum ſenſus eſt grammaticus.

Caeterum quoniam vis verborum tropicorum omnium, ut propriorum, ducitur ab inſtituto eorum et arbitrio, qui ea certis rebus ſignificandis accommodaverunt, idque ipſum obſervatione conſtat; hunc quoque ſenſum *grammaticum* et *litteralem* eſſe apparet (§. 13.). Diximus hac de re iam ſupra Part. I. Sect. I. §. XI. Sed aliis viſum eſt aliter. Appellaverunt enim ſenſum tropicum *realem*. Id videre licet ex SIXTINI AMAMAE, Prof. Franequer. ſuperiore ſaeculo, *Antibarbaro biblico* p. 161. qui liber ſcriptus eſt eo conſilio, ut opponeret ſe barbariei, ſeu ignorationi philologiae et grammaticae interpretationis, in primis in litteris ſacris.

VIII.

Verborum ſynonymorum, quae ex tropis oriuntur, et obſervandorum ratio, et interpretandorum praecepta.

Atque ab hac conſuetudine tropice loquendi fluunt maxime *verba ſynonyma*, in quibus ipſis diligentia quaedam interpretis deſideratur, ne diverſitatem ſententiae exquirat alieno loco (§. 14.). Negant autem quidam, eſſe ſynonyma, ideoque omnia et ſingula ſtudioſe diſcernere interpretando tentant. His non omnino quidem, ſed ex parte, ſe aſſociavit ERNESTIUS poſita hac theſi: *proprie non eſſe ſynonyma verborum propriorum. Proprie* — ſi primam originem linguarum et primam vocabulorum ſignificationem ſpectemus. Prima enim origine linguae fuerunt pauperes;

peres; accedente ſubinde copia verborum, enata ſunt ſynonyma. Verum enim vero ſi vel maxime concedamus, origine tenus non fuiſſe ſynonyma; attamen nos redire non poſſumus ad prima linguarum incunabula, neque utimur lingua, qualis fuit ab origine, ſed qualis eſt nunc. Ea vero, qualem nunc habemus, ſatis frequens eſt multis ſynonymis. Sunt autem ſynonyma

1. *diverſarum dialectorum.* Ita multa vaſa et genera ſupellectilis alibi aliter appellantur. Haec varia provincialia vocabula confluunt deinde in aliquam linguam et ſic ex dialectorum variarum mixtione fiunt multa ſynonyma. Multa ſunt in Homero vocabula ionica, v. c. μῆνις, quae proprie dicebatur ὀργή, ἕρδειν et ῥέζειν pro ποιεῖν &c. Sed haec verba ſunt facta ſynonyma, quae ne tantillum quidem a ſe invicem differrent, uſurparenturque etiam ab iis, qui carmina ſcriberent alia quam Ionum dialecto.

2. *diverſarum aetatum.* Quoniam enim ſucceſſu temporis magna fit linguarum immutatio, novus hinc exoritur fons ſynonymorum vocabulorum.

Iam vero in his ſynonymis interpretandis ſi requiritur a bono interprete, ut ne ſententiae diverſitatem ſectetur alieno loco, aut ſynonyma inepte diſtinguat; quaeritur ſane, quinam ſit alienus cenſendus locus, in quo non liceat illa ſynonyma diſcernere. Id autem fiet ibi,

1. *ubi uſu invaluit permutatio verborum variandi cauſſa.* Sic Paulus ſuam inſtitutionem dicit λόγον, διδαχὴν, proprie; mox appellat κήρυγμα, εὐαγγέλιον. Etſi autem κήρυγμα proprie ſit praeconium, et εὐαγγέλιον laetus nuntius: tamen uſus docet, non in his plus ineſſe, quam in illis, quae proprie dicebantur.

2.

2. *Vbi uſu invaluit coniunctio duorum verborum.* Sic nos ſaepe: *Er hat kein Glück und Stern; keine Ruhe und Raſt; keine Ruhe und Frieden.* Ea quis auſit diſtinguere ſubtilius? Pariter Hebraei iungunt *Licht und Heil; Heil und Leben; Heil und Frieden.*

3. *Vbi ob ornatum invaluit coniunctio verborum.* Exempla ſatis obvia ſunt et copioſa in poëtis ac rhetoribus. Sic coniunguntur verba: incenſus et inflammatus; proſtratus et afflictus, alia. Eadem ratio in membris poëtarum hebraicorum parallelis obtinet, in quibus valde erraverit, qui diſcrimen ſubtilius quaerat.

4. *Vbi affectus protulit cumulationem verborum.* Nam qui affectu plenus eſt, non ſolet in digitis enumerare verba, nec diligentius ea examinare, ſed effundit illorum multitudinem, eamdemque rem ſaepe ſic exprimit, ut unum affirmet, alterum neget.

5. *Vbi ſcriptori alicui nominatim uſitatum eſt, verba coniungere.* In Ciceronis quidem dictione paene ad characterem pertinet ſcriptoris, dicere eadem duobus verbis. Huius ſimiles ſunt alii in graecis, praeſertim Plato. In ſcriptore tali qui velit diſtinguere omnia, nae ille diſtinguat alieno loco.

Semper uſus ſum illo: *ne diſtinguas.* Scio, ea poſſe diſcerni, ſi ſubtilius examinentur. Sed iſtud, quod dixi: *ne diſtinguas*, eſt definite ſic exprimendum: in utroque horum verborum cogita *in univerſum* rem eamdem. Caeterum hoc ſenſu dicuntur ſynonyma etiam ἰσοδυναμοῦντα, quoniam verba plura ἴσον δύνανται, eamdem notionem exprimunt.

IX.

In tropis quae ſint officia interpretis.

Expoſitis his obſervationibus de natura tropicae dictionis, veniendum eſt ad ipſam praxin exegeticam. Duplex autem eſt in tropico genere verborum interpretis officium (Sect. II. cap. IV. §. 1.): *primum, ut tropos agnoſcat et recte iudicet*, ne aut propria putet, quae tropica ſunt, aut proprietatem verborum tropica interpretatione pervertat. Ita Judaei et Chriſti diſcipuli ſaepe numero ceperunt proprie, quae tropice eſſent dicta. Hinc Joh. VI, 52. dicunt: quomodo Chriſtus carnem nobis ſuam edendam exhibere poteſt? Joh. IV, 11. mulieri Samaritanae dixerat Dominus, ſe velle illi aquam exhibere. Mulier, proprie hoc dictum rata, unde? inquit; neque enim eſt tibi vaſculum ad hauriendam aquam et puteus valde profundus eſt. Matth. XVI, 6. ubi Chriſtus dixerat, abſtinendum eſſe a Phariſaeorum fermento, intelligens mores illorum opinionesque, diſcipuli rurſus id ceperunt proprie. Ac pari modo nonne alio tempore a Chriſtianis erratum eſt? Quid enim illi, qui proprie intellexerant talia: nos non debere mundum amare, eruendos eſſe oculos, abſcindendas ſibi manus? Scilicet dictis his inducti, ſuo ipſi corpori fecere iniuriam. Verum ſunt alia, de quibus ad hunc usque diem diſſenſum eſt, num rectius proprie capiantur an tropice. Viciſſim in eo peccatum eſt, quod propria mutarentur in tropos, v. c. narrationes in allegorias; quod leges explicarentur allegorice et tropice ab iis, qui quaererent omnia alia, quam ſenſum verborum.

Alterum eſt interpretis officium, *ut tropos recte interpretetur et eorum verum ſenſum tradat.* Interpretari tropos nihil eſt aliud, quam tertium comparationis

nis indicare verbo proprio. Tertium autem comparationis dicitur notio duabus rebus communis, cuius notionis respectu duae res comparantur, seu notio, in qua duae notiones conveniunt. Illustrabimus rem exemplo. *Pabulum animi* dici solet *doctrina* seu *scientia.* In hoc duae res comparantur: una pabulum, altera doctrina. Eae duae res debent ergo aliquid habere commune, cuius respectu comparentur. Iam cibus et scientia hoc habent commune, *ut delectent:* in eo igitur est tertium comparationis. Et sunt sane haec fundamenta troporum posita in ipsa rei natura.

Iudicabitur hinc, quid sit *comparationem extendere ultra tertium.* Nempe, duas res ex omni, non solum ex una, parte comparare. Saepe v. c. dicitur *illuminatio* sic, ut intelligatur perspicua cognitio instituendo accepta. Tertium comparationis est in *illustratione.* Iam vero possum lumen et scientiam etiam ex aliis partibus spectare et comparare. Lumen enim et exhilarat, et calefacit: an ergo in ista comparatione omnia illa inerunt? Profecto non. Ostendit enim ipsa contextus ratio, eatenus tantum lumen et scientiam comparari, quatenus illustretur aliquid ac tenebrae pellantur.

X.

Tractandorum troporum praecepta.

His praemissis, veniamus ad praecepta, quibus iterum moneo id potissimum disci debere, primum, quo modo agnoscantur tropica; deinde quomodo interpretanda sint, tertio comparationis posito.

XI.

I. *Considera rei naturam.*

Praeceptio haec, *considerandam esse in tropis rei naturam* (§. 5.), id continet, consulendos esse sensus

externos, consulendum quoque internum sensum, ut intelligatur, quid sit tropicum et quomodo interpretandum sit. Quum igitur *inflammatus animus* dicitur, repetimus perceptionem nostram internam ex eaque dictionem tropicam iudicamus. Quum *divitem animo* aliquem dicimus, docet ipsa illa interna perceptio, intelligi id de multitudine scientiae aut virtutis. Pariter ubi senem ornare dicuntur *nives capitis*, ad sensum externum redimus et canos capillos nivibus similes intelligi animadvertimus. Pertinent huc, quae supra pag. de communi sensu in interpretando disputavimus. Et in libris quidem humanis quivis facile se expedit in agnoscendis et intelligendis tropis, nec incidere in dubitationem solet de eo, quid sit tropice dictum et quomodo interpretandum. In sacris autem libris dubitationi locum fecit rerum sensibus humanis plane subtractarum natura (§. 6.). Etenim si res non cadunt sub sensus externos, neque subiectae sunt sensui interno; non possunt sane ad sensum humanum revocari neque statui certo, quid sit tropus et quomodo sit explicandus.

Talia autem sunt, quae dicuntur de *divina natura* ipsa, de amore, ira Dei aliisque affectibus. Ea capiuntur a quibusdam proprie; uti Lactantius sustinuit librum integrum scribere de ira Dei, in eoque defendere, Deum interdum acrius animo commoveri. Similiter omnipraesentiam divinam alii intelligunt sic, deum nosse omnia, operari et agere in omnia; alii ipsam tamen substantiam Dei adesse debere autumant, quo ipse dici omnipraesens queat.

Talia etiam sunt, quae dicuntur de *operationibus divinis*. Dubitatur, sitne creatio Dei actus aliquis, an tantum voluntas. Iustificatio habetur a pluribus

ribus pro peculiari aliquo actu, qui in coelo peragatur, quum homo convertitur et credit. Alii vero intelligunt veniam peccati a Deo impetratam, fine actu forenfi aut iudiciali, qui in coelo fiat. Non minores funt controverfiae agitatae de Dei inhabitatione in homine, de regeneratione, aliis.

His duobus exemplis addamus omnes locos, de *rebus futuris post hanc vitam* agentes. Vbi dicitur novus plane fieri mundus, id capit alter de inftauratione illius proprie, alter tropice. Vifionem Dei beatificam alii intelligunt de eo, nos cognituros effe eum planius ac melius; aliis hoc adeo non fatisfacit, ut ipfam fubftantiam Dei oculis cernere cupiant. Sunt enim hae res fenfibus externis fubtractae.

Eadem eft difficultas iudicandi de dictione tropica ac propria, ubi hiftoria nos deftituit. Neque hoc tantum fit in libris facris, fed etiam humanis. Veluti illud in Iure Romano: creditor fecat debitorem, eftne diffecat eum, fi folvere non poteft, an tropice, bona eius divendit auctione? Hiftoria deficit. Inde etiam controverfia illa orta eft de baptismo fuper mortuis; quaefitum eft de θηριομαχία, fueritne lucta cum belluis, an pugna cum ferociffimis hominibus. Hiftoria deftituimur.

Tandem etiam defectus ufus loquendi effe in cauffis poteft, quare ambiguum fit, num tropice aliquid an proprie fit intelligendum.

Quaeritur itaque, quo modo verfari nos oporteat in talibus, et qua ratione tertium comparationis reperiri queat.

Ac primum quidem conftituenda nobis funt *principia certa et plana*, et hinc definiendum, fitne tropus

et quomodo ſit tractandus. Principia autem dico propoſitiones ſcripturae ſacrae certas et planas. Sic v. c. liquidum principium hoc eſt: Deum nullo loco proprie tamquam incluſum eſſe. Ex hac propoſitione clara, evidenti, indubitata, quippe quae ſaepius in ſacris libris occurrat, concludamus: ergo non poteſt Deus proprie habitare in homine. Sumendum igitur tropice. Iam concludo e tertio comparationis, quid ſit in habitatione Dei: ita apparet, ubi dicatur Deus omnipraeſens, ibi dici eum operari in omnia. Facile tandem hoc principium me ducit huc, ut, in quo homine dicatur Deus praeſens, in eo illum operari aliquid agnoſcam. Talia principia qui aut plane non concedit, aut certe negat eſſe univerſalia et valere in hoc vel illo loco, contra eum ſuadeo nihil diſputare, nec prohibere, quominus ſuam ipſe ſequatur ſententiam.

Deinde ad futura quod attinet, quorum naturam non poſſumus ſenſibus externis aut interno iudicare, primum et hic utendum eſt eiusmodi *principiis liquidis et indubitatis.* V. c. didici, me olim non eſſe habiturum corpus, quale nunc eſt; non poſſum igitur non tropos agnoſcere in tot imaginibus de vita futura futuraque miſeria. Tum etiam agnoſcendum eſt, in rebus futuris *meram nobis relinqui ſimilitudinem.* Quidni ergo fatear in locis praeſertim obſcuris, me non aſſequi ſenſum, aut quem talis pudeat ignorantiae? Certe ſic verſari licebit et prudenter et modeſte in his explicandis.

XII.

II. *Conſidera naturam rei per examen logicum.*

Neque enim dubitationem habet, tropum eſſe agnoſcendum in propoſitionibus iis, quarum ſubiecta et

et praedicata ſunt heterogenea (§. 8.); cuius generis ſunt disiuncta et oppoſita omnia, v. c. *corporeum et incorporeum.* Sic homines dicuntur Dii; at per naturam rei homo et Deus ſunt oppoſita. Fluit hinc, agnoſcendum eſſe tropum. Pariter circumciſio dicitur non manu facta. Atqui haec pugnare adeo invicem videntur; neceſſario ergo debet intelligi tropus. Talia oppoſita porro ſunt *animatum et non animatum, rationale et expers rationis.* Sic terra, ſic prata dicuntur ridere, lapides clamare, parietes geſtire, gratias agere. Manifeſtum eſt, non poſſe haec dici proprie; nam logicum examen non patitur. Pertinent etiam huc *ſpecies eiusdem generis diverſae*, ut in formulis, ubi omnia laudare et venerari Deum dicuntur. Apocal. V, 13. omnis creatura, quae eſt in coelo, et in terra, et in mari — dicit: laudemus Deum. In his ſpecies eiusdem generis valde diverſae ſunt: ergo divide has propoſitiones, ſingulas ſpecta ſingulatim, et quaere, quo ſenſu creaturae in coelo, in terra, ſub terram, laudare Deum dicantur. Rom. VIII, 22. omnis creatura dicitur ingemiſcere. Rurſus in natura ſunt ſpecies admodum diverſae: homines ingemiſcunt, pecudes, etiam caeterae res; tamen alio ſenſu homines, alio pecudes, alio res caeterae. Igitur etſi in illo loco *ingemiſcere* de homine proprie eſt dictum, tamen et transferendum erit ad reliquam naturam ſic, ut ea dicatur tropice expoſita eſſe fragilitati. Omnino autem ad tertium comparationis reperiendum ducit tralaticia illa regula: talia eſſe praedicata, qualia permittantur a ſubiectis ſuis, et viciſſim. Atque ex tralaticiis his regulis et exemplis concludendum quoque ad alia multa, quae occurrunt in libris ſacris; veluti ubi dicuntur parvuli credere, quod proprie dici nequit, ſi res conſideretur per examen logicum.

XIII.

III. *Conſidera uſum loquendi.*

Etiam *uſus loquendi* oſtendit, an dicatur aliquid tropice, et quatenus dicatur. Quo quidem conſilio primum *cognoſcenda eſt univerſa linguae alicuius conſuetudo loquendi* (§. 15.); deinde *quaerendum, quid ſcriptor aliquis dixerit tropice, et quid tropo ſuo expreſſerit.* Quando igitur legimus de halitu Dei, de ſagitta, de curru Dei &c., quia noſtra conſuetudo loquendi his tropis non utitur, diſpiciendum eſt, an ita loqui ſoleant Hebraei. At illi dixerunt halitum Dei de celerrima eius operatione, ſagittam Dei de morbis gravibus et poenis peccatorum, currum Dei de tonitru et fulgure. Pariter et Latini ſuos habent tropos. Latini dicunt, obtundere precibus; iidem et nos, fatigare precibus &c.

Quemadmodum autem non omnes linguae iisdem utuntur tropis: ita *diverſae gentes utuntur quidem iisdem, ſed ſenſu diverſo.* Dixit Suetonius in V. Titi cap. IX. puras manus ſervare; quod ſignificat, non facere caedem. Ita et Euripides Hippol. 316. ἁγνὰς χεῖρας αἵματος φέρειν. Dixit vero etiam Jacobus IV, 8. καθαρίζειν χεῖρας, ſed ſenſu hoc: non malefacta ullius generis patrare; non ſolum caede, ſed omni omnino flagitioſitate abſtinere.

Sed in illo, quod poſuimus, praecepto ineſt etiam hoc: *vide, an omnes gentes in eodem tropo conſentiant,* h. e. an dicant aliquid tropice, et quatenus dicant. Ita omnes gentes dicunt, ſitire felicitatem, ſenſu hoc: appetere felicitatem. Omnes gentes dicunt, praefulgere aliquem, qui potior eſt et eminet caeteris omnibus. Fluit iam inde, eamdem conſenſionem omnium gentium eſſe etiam in ſcriptura ſacra agnoſcendam.

Proinde

Proinde quum omnes gentes denuo natos dicant eos, qui in laetiorem ſtatum traducti ſunt; erit et in litteris ſacris ἀναγεννᾶσθαι, in feliciorem ſtatum tranſire. Omnes gentes ea dicunt nova, quae diverſa ſunt a ſuperioribus. Ergo quum in ſcriptura ſacra dicantur novi, erunt alii quam antea, diverſi a ſuperioribus, eodemque ſenſu verbum ἀνακαινίζεσθαι Hebr. VI, 6. accipiendum erit.

XIV.

Maxime in certis generibus dicendi.

Quae hactenus univerſe diximus de uſu loquendi, cuius conſideratio ducat ad tropos agnoſcendos, ea nunc ſic reſtringi debent: *uſum loquendi plerarumque gentium conſulendum eſſe in certis generibus dictionis.* Ea genera ſunt leges, narrationes, dogmatici loci (§. 10.). Indicat autem conſenſus plerarumque gentium, in his generibus alia exprimi ſolere tropice, alia proprie, et *eſſentialia quidem exprimi proprie*, et ſic intelligi debere. Pertractabimus igitur ſingula.

1. In *legibus* quidem multi occurrunt tropi, ſed notiores illi, in quibus nemo haereat, non audaciores. Sed occurrunt etiam in legibus multa propria, ſcilicet *eſſentialia;* quae ſunt officium, quod praeſcribitur; delictum, quod prohibetur; praemium aut poena, quae conſtituitur. In his etſi omnium gentium uſus conſentit, tamen multi fecere contra, v. g. qui ſtatuerent, leges Moſis non habere ſenſum litteralem, nec intelligendas eſſe proprie, ſed vel *allegorice*, vel *extenſive*, ut loquuntur.

At vero et idea legis, et conſilium legislatoris indicat, non eſſe interpretando delabendum a proprie-

tate verborum ad allegorias. Scribuntur enim leges, ut praecepta de agendo et omittendo eorumque poenis et praemiis conſtituantur. Repugnaret itaque ideae legis, ſi quis edictum de abſtinentia ab impuris animalibus ſic detorqueret interpretando, ut de abſtinentia ab impuris cupiditatibus intelligeretur. Atque hoc eſt accommodare legem per quamdam meditationem iis, quae per hanc occaſionem moneri poſſunt, et ſenſum importare, qui non ineſt. Indulſerunt autem potiſſimum Judaei his allegoricis explicationibus; unde et Philo de hoc argumento duos integros libros replevit. Fecerunt id etiam Patres graeci et latini, qui omnes leges cerimoniales accommodarent ad res ſpirituales, indagandoque ſenſu allegorico mutilarent interpretando ea, quae Moſes ſcripſiſſet proprie.

Alterum erat, non eſſe hac ipſa de cauſſa leges interpretandas *extenſive*, ita, ut ſub re, quam lex nominat diſerte, multae aliae res ſimiles intelligantur. Quum igitur legislator Moſes dixit: ne utaris nomine Jehovae ad periurium, intelligendum id eſt ſic: noli iurare perfide per nomen Jehovae. Falluntur itaque, qui et alia intelligant, huic utcunque ſimilia, v. c. artibus magicis operam dare, devotionibus et imprecationibus uti. Quae non ſunt niſi extenſivae interpretationes, ductae ex quadam rerum ſimilitudine. Quum Moſes dixit: qui facit hoc, is exterminabitur ex hoc populo; voluit hoc: is eſt interficiendus, ne amplius ſit in hoc populo. Et hiſtoria oſtendit, hoc factum eſſe lapidatione aut alio genere vitae ſupplicii. Non poteſt igitur id extendi ad ſimilia, v. c. cum tali homine non eſſe in vita et ſocietate civili verſandum.

2. *Narrationes* alterum conſtituunt genus loquendi, in quo omnes gentes conſentiant. Etenim in *narrationi-*

rationibus factorum ſimplicibus ſeu *tenuibus* nihil ſpectatur, niſi, ut, quid actum ſit, appareat. Sunt quidem etiam narrationes ornatae, in quibus delectatio legentium et laus ingenii *ſimul* quaeritur; quales ſunt Livianae. Sed hic de iis quaeritur narrationibus, quas tenues ac ſimplices dixi, et quarum exempla ſunt tum in Veteri Teſtamento, tum in ſcriptis Evangeliſtarum et Lucae Actis Apoſtolorum. De iis autem rurſus valet, quod ſupra poſui, quaedam dici proprie, quaedam tropice, et proprie quidem *eſſentialia facti.* Quae ſunt tum partes, totum conſtituentes, tum ordo, quo res aliqua evenit. Nam ubi partes mutantur, non eſt amplius narratio facti, ſed fictio; mutato autem ordine non amplius eſt eadem res.

Proinde in narratione Moſaica de legislatione haec tamen intelligi debent proprie: in monte Sinaitico promulgatam eſſe legem inter fulgura, adſtante populo. Pariter de Sodomis erunt propria: Deum Sodoma deleviſſe incendio; de inundatione: Deum Noachi tempore homines inundatione deleviſſe. Ab his eſſentialibus narrationis diſtinguendum ſane eſt id, quod nos appellamus *die Einkleidung.* Intelligo deſcriptionem modi, quo ſingulae partes eveniſſe dicuntur. Hic habitus externus orationis multa poteſt continere tropica, et continet ſaepenumero, etiamſi narratio ſit ſimpliciſſime inſtituta; modo eſſentialia illa proprie dicantur et intelligantur, non mutentur aut in fabulam aut in allegoriam. Sic in illa narratione de promulgatione legis Moſaicae ad modos pertinent, quae traduntur de monte fumante, de audita Dei voce, alia. In narratione de Sodomorum interitu dicitur ignis et ſulphur cecidiſſe de coelo, Deus deſcendiſſe et vidiſſe, an res ſic haberet. Nimirum dicere volebat ſcriptor, iuſtiſſime puniviſſe Deum; id expreſſit more valde humano.

mano. — Eodem modo verſandum erit in narrationibus Evangeliſtarum explicandis. Eae tametſi ſunt tenuiſſimae, tamen ſuos habent paſſim tropos. Sed quales? uſitatos, variandae orationi deſtinatos, non duriores et novos. Erunt igitur et hic eſſentialia proprie capienda; v. c. Jeſum aluiſſe magnam copiam hominum exigua parte alimenti. Fluit et hoc e conſilio narrantis: narratur enim ideo, ut diſcatur, quis fecerit, quid, et quo tempore. Tamen et ab hac regula aberratum eſt ab iis, qui narrationes allegorice ſunt interpretati, ita, ut quae narrantur de aegrotis a Chriſto ſanatis, acciperent de ſpiritualiter aegrotis, quos ille emendaverit.

[Quam b. Auctor legem ſcripſit interpretandarum *narrationum*, ea quoniam oppoſita eſt explicandi generi, nuper a viris doctis commendato; non poterit mens illius dilucidius perſpici, quam ſi, quale hoc ſit ab eo repudiatum genus, breviter explicaverimus. In qua omni re abſtinendum mihi eſt tum ab aſſenſione, tum a diſſenſione, rem propoſituro *hiſtorici more* et relicturo diſceptationi et iudiciis eruditorum. Ac de narrationibus quidem, in Novo Teſtamento obviis, non eſt, quod monitis b. Auctoris addatur, praeſertim quum ipſe de iis diligentius et uberius egerit alio loco (in *Defenſione narrationum N. T. quoad modum narrandi*, Diſſertatt. theol. Vol. I. p. 1-60.); ſed quae ſunt in Veteri Teſtamento narrationes, ab aliis plane diverſo modo tractatae ſunt. Nempe in qualibet narratione ante omnia advertendum eſſe monuerunt, a quo propoſita illa fuerit, num a ſcriptore vetuſtiſſimo, qui famam ſequutus ſit incertamque traditionem, an ab eo, qui cultiore ipſe ingenio, penſitaverit diligenter eorum, quae traditurus eſſet, hiſto-

historica momenta. Attulit Auctor exempli caussa narrationem de legislatione Sinaitica: in dogmaticis scholis addere et illam solebat, quae est de creatione mundi. In qua qui rerum in facto positarum simplicem et simplici fide dignam historiam quaesierunt, nodos sane non magis solverunt, quam qui allegorice interpretati sunt. Quippe illi, quid indoles ferat antiquissimorum monumentorum, ignorasse censentur; hi nec rei, neque prudentioribus satisfecerunt. Nam ut taceam, ubi neque contextus, neque historia allegoricam suppeditent explicandi rationem, ibi quemdam tantummodo possibilem sensum, non certum et evidentem, posse erui; neque demonstrari, quam verus sit is sensus, sed quam idoneus, et quam nihil contineat absurdi: verum ista ut taceam, haec interpretandi ratio, quae sententias morales subtiliter excogitatas apteque inter se cohaerentes sub involucro allegoriarum detegit, ne probabilem quidem sensum gignit, quia artem affingit scriptori, qui naturam sequutus ducem in exponendis rebus, artem vel nesciit, vel sprevit. Accedit, quod nec ingenium temporis, quo monumenta ista consignata litteris sunt, neque indoles reliquorum capitum, nec difficultates, quae lectori obiiciuntur, nec ratio imaginum, si comparentur cum iis, quo imaginibus fictis subesse putantur, allegoricam interpretationem admittunt. Itaque ad aliud se contulerunt genus interpretandi, in explicandis antiquissimorum vatum monumentis quam maxime usitatum: *mythicum* appellant. Quicquid enim ex ultima antiquitate, ante scribendi artificium inventum aut vulgatum, ore solo ad posteritatem venerit, id induisse naturam *mythorum*, qui perperam a multis confundantur cum fabulis, quum non sint nisi traditiones antiquissimae, accommo-

date

date ad priſcam cogitandi loquendique rationem expreſſae *). In his igitur mythis non modo antiquiſſimae hiſtoriae per traditionem propagatae veſtigia, ſed ipſa adeo philoſophiae priſcae ac religionum incunabula reperiri. Verum illas traditiones, quia ſervatae ſint propagataeque non ſcripto, ſed ore, multis fuiſſe mutationibus obnoxias, non formae ſolum, ſed ipſius etiam argumenti. Progreſſae enim vel a re in facto poſita, vel ab aliquo philoſophemate, narrantium repetitione exornatae, ampliatae, mutatae, oratione translata imaginumque et figurarum ope expreſſae, crebris proſopopoeiis, allegoriis, apologis ingenioſisque fictionibus veſtitae ſunt. Quare alia ſunt *arbitraria* narrationum ornamenta cenſenda, alia *conſilio* addita: unde *fabulae* proceſſerunt, quae magnam partem non niſi mythi ſunt conſilio exornati. Ad ipſos autem mythos quod attinet, eorum triplicem conſtituunt claſſem: hiſtoricorum, philoſophicorum, poëticorum. *Mythus hiſtoricus*, ex illorum ſententia, continet res antiquiſſimi temporis vere geſtas, ſed priſco cogitandi

*) Etſi res hodie, poſt Heynium, Voſſium aliosque mythorum ſagaces ſcrutatores, ſatis trita eſt: tamen non ſine cauſſis idoneis ſubieci verba GABLERI e libro paulo poſt memorando: *Mythen ſind überhaupt Sagen der alten Welt in der damaligen ſinnlichen Denkart und Sprache. In dieſen Mythen darf man alſo nicht eine Begebenheit gerade ſo dargeſtellt erwarten, wie ſie wirklich vorgefallen iſt; ſondern nur ſo, wie ſie dem damaligen Zeitalter, nach ſeiner ſinnlichen Art zu denken und zu ſchließen, vorkommen mußte, und in der bildlichen, optiſchen und dramatiſchen Sprache und Darſtellung, in welcher eine Begebenheit damals nur vorgetragen werden konnte. Alle Erzählungen aus der Urwelt, ſo wie von dem erſten Urſprunge jeden Volks*, müſſen *alſo nothwendig Mythen ſeyn; und je älter ein Buch iſt, deſto mehr Mythen muß es enthalten.*

gitandi loquendique mori convenienter expofitas mixtasque iudiciis (*reflexionibus*), quae, pro ingenio iftius aevi, rurfus fpeciem factorum acceperunt. Eiusmodi mythum docent cognofci vel e contextu, vel ex ipfa ratione exponendi ornandique narrationem, quae confilium auctoris, rem tractandi hiftorice, patefaciat, vel ex argumenti interna verifimilitudine. Sequendam enim effe hiftoricam interpretationem, ubi nihil ei repugnet. Tali autem mytho non tradi narrationem rei, cuius omnes περιστάσεις fic acciderint, quemadmodum et narrentur, et hiftorica fides poftulet; fed ineffe quamdam velut hiftoricam bafin, cui fuperftructum fit mythicum, ut ita dicam, aedificium. Dempto involucro mythico, nudam apparere veritatem. Quodfi eiusmodi mytho poetica exornatio et amplificatio adiiciatur, aut fi plures mythi iungantur et quafi compingantur in unum; *mythum* enafci *poëticum.* Neque enim neceffe effe, ut a poëta inventus fit mythus; fufficere, fi additus ab eo fuerit ornatus, facta compofitio, admota lumina. Caeterum poëticum mythum vix deprehendi in omni antiquitate femitica: qui Genef. III. huc traxerint (quod LESSIUS et JUNGIUS fecerunt), plurimis fe fepfiffe difficultatibus. *Mythus* denique *philofophicus* qui fit, facile cognofcitur inftituta comparatione cum hiftorico: oppofita enim vel iuxta fe pofita clarius elucefcunt. Quemadmodum igitur hiftoricus, de quo diximus, mythus a re progreditur in facto pofita, meditationesque et iudicia, quibus infertis ampliatur, fecundo loco habet: ita philofophicus mythus, ex definitione illorum, ab ipfis exorditur meditationibus, factumque in fuam rem convertit. Ergo ubi meditationes de cauffis rerum vel de rebus moralibus in traditionem abierunt,

narra-

narrationisque habitum fusceperunt, ibi *mythum philosophicum* agnoscunt. Iam aut philosophema inventum fuisse explicandae rei historicae, et, si originem spectes, historicum; aut factum, cui superstrueretur, confictum ingenio fuisse, ut philosophicis notionibus declarandis ante oculosque ponendis inserviret: unde cognatio quaedam oritur philosophici mythi cum allegoria et parabola, non negligenda interpreti: aut denique factum aliquod vetustissimum accommodatum fuisse ad sententiae philosophicae expositionem. Hinc sponte iudicari, unde factum historicum saepenumero auctum fuerit exornatumque variis additamentis, quae ut sint ad antiquissimum cogitandi loquendique morem attemperata, ita cum hoc comparari sedulo ad eumque, velut normam interpretandi, diligenter exigi poscant. In quo diversum esse *versionis* et *explicationis* officium: ab illa mythi materiem et formam plane reddi; ab hac materiem et formam caute distingui, materiem teneri, formam ex artis legibus iudicari debere. — Sic in antiquissimis monumentis, quae sunt Genes. II. III., non tam historicam deprehendi expositionem, quam philosophemata, quae vel suffulta historico fundamento et cum traditionibus priscis coniuncta fuerint, vel conversa in fictiones historicas, subinde in traditiones abierint. (v. GAMBORG *Nysa, oder philosophisch - historische Abhandlung über Genes.* II, III. 1790. 8. PAULUS *Neues Repertorium für bibl. u. morgenl. Litteratur*, II. p. 212 sqq. HEINRICHS Comment. *de antiquo documento Genes.* II. Gotting. 1790. 8.) Narrationem de ortu plantarum, animalium et hominis continere antiquissimam philosophiam sapientis veteris, innixam observatione naturae; in descriptione paradisi inesse opinationes de

de primaeva hominum felicitate vel de aurea mundi aetate, easque ſic traditas et expreſſas, ut ſtudium eluceat Semitarum, iſtum locum ſuis quam proxime admovendi regionibus; narrationem de linguarum confuſione non exprimere factum, ſed opinionis potius commentum, ſive mythum, vel, quod fere eodem redit, philoſophema de prima diverſarum linguarum origine, quod mythi naturam ſucceſſu temporis induerit, et veri ſpeciem nactum ſit ex Phalegi nomine maiorem. Saepe enim ex ipſa etymologia mythicum fuiſſe commentum procreatum, ut in nota narratione de ortu mulieris: alibi, ne vetus fama interiret, rei memoriam nominibus propriis intextam. — Verum iſta omnia nunc quidem perſequi uberius non licet, quoniam ad Veteris magis, quam Novi Teſtamenti interpretationem ſpectant: nec, niſi Auctoris obſervatione admonitus, illa tetigiſſem. Plura cupientibus commendamus ſcripta potiſſimum EICHHORNIANA. Vid. Ej. Programma, in quo *declarantur diverſitatis linguarum ex traditione Semitica origines*, Gotting. 1788. 4. Ejusd. *Urgeſchichte herausgegeben mit Einleitung und Anmerkungen von* J. P. GABLER, inprimis Vol. II. P. I. *Einleitung zum zweyten Theil der Urgeſchichte* (Altd. et Nürnb. 1792. 8.) p. 481 ſqq. Contra Eichhornium diſputavit C. G. HENSLERUS *Bemerkungen über Stellen in den Pſalmen und in der Geneſis*, Hamb. 1791. 8. Sed ſententiam dixit Vir acutiſſimus in *Bibl. d. bibl. Litteratur* IV. p. 81 ſeqq. Add. I. p. 987 ſqq. II. p. 712 ſqq. et plura Bibliothecae illius loca. Cfr. F. W. G. SCHELLING *über Mythen, hiſtor. Sagen und Philoſophie der älteſten Welt*, in *Paulus Memorabilien* V. p. 1 ſqq. W. F. HEZEL *Geiſt der Philoſophie und Sprache der älteſten Welt*, Lüb. 1794. 8.

 Exem-

Exemplum talis mythi interpretandi exhibet SCHELLING *Antiquissimi de prima malorum humanorum origine philosophematis Genes. III. explicandi tentamen criticum et philosophicum*, Tubing. 1792. 4. coll. AMMON *N. Theol. Journal* Vol. III. P. I. — Ad *Encyclopaediam biblicam* (Vol. III. Goth. 1795.), *Hessii* aliorumque sat notos libros, in quibus vel de mythis singulis, vel de universa mythorum tractandorum ratione exponitur, intendisse digitum sufficiet. Ex iis denique, qui mythos hebraicos et graecos comparaverunt, nominabo SEIDENSTUECKERUM in *Hencke Magazin für Religionsphilosophie, Exegese und Kirchengeschichte*, Vol. III. P. I. no. III. E.]

3. *Dogmatici loci* tertium constituunt dictionis genus. Scilicet doctores alicuius disciplinae in tradendis ad intelligendum dogmatis, h. e. quum agunt hoc, ut doceant, ut explicent aliquid, non obiter et aliud agentes attingunt modo; propria dictione uti solent, nec tropos, nisi qui propriorum naturam induerint, atque omnium minime duriores, adhibent. Quodsi *essentialia dogmatis* non aut dicerentur, aut capi deberent proprie; non foret dogma. Essentialia autem dogmatis sunt subiectum et praedicatum, propositione nexa et expressa; tum et argumenta, quibus firmatur dogma. Rom. VII. multi sunt tropi; sed de industria ibi traditur illud dogma: vitiositas humana magnam habet vim et praeponderat; homines vitiosi magis feruntur ad cupiditatem, quam ad legem. Atque hoc tamen debet proprie intelligi. Similiter in locis omnibus, qui sunt de sublata oeconomia Mosaica inter Christianos, cumulus est troporum, ut Ephes. II.; sed subiectum cum praedicato et argumentis propriam vim et significatum retinebunt. Itaque propositio

positio erit: oeconomiam Mosaicam sublatam esse propter doctrinam aut mortem Christi. Matth. XIII. primum parabola proponitur docendi caussa, deinde per partes explicatio additur. Multo facilius sane iudicare licet de dogmaticis locis, ubi philosophi subtilius scribunt aphorismos aut demonstrationes. Sed hoc non potest exspectari a popularibus scriptoribus, quales sunt, quibus N. T. libros debemus; in iis explicandis id cavendum est, ne, ubi dogmata exponunt, allegorias quaeramus.

His, quae exposita sunt, annexuit ERNESTIUS (§. 10.) duo exempla: alterum de baptismo, alterum de coena sacra. Matth. XXVIII, 19. verbum βαπτίζειν capimus proprie, etsi alibi tropice dicitur, v. c. de miseriis. Sed in isto loco proponitur *lex*: baptizate omnes gentes; qua lege et voluntate Christi nititur institutum baptismi inter omnes Christianos. Dicitur itaque ibi βαπτίζειν de usu aquae facto in Christianorum inaugurationem. — Similiter verba, quae coenam sacram instituunt, Matth. XXVI, 27. 28., proprie sunt accipienda, ut et hic actus ille externus intelligatur, qui constat edendo bibendoque. Nam et hic est *lex*, qua instituitur aliquis ritus inter Christianos. Sed alibi id dicitur translato sensu, ut Joh. VI, 54. ubi est: inde fructum percipere.

XV.

Observationes de usu loquendi N. T. in tropicis et propriis.

Derivandae hinc sunt observationes quaedam de usu loquendi N. T. in tropicis et propriis. Sunt autem tres (§. 11. 12.):

1. *De eadem re aliis locis alia verba usurpantur.* Sicut igitur facilis est distinctio propriorum et tropico-

 rum,

rum, ita tropica non minore negotio illuſtrabuntur e propriis. Saepe dicitur Deus pactum feciſſe cum Abrahamo; ſed dicitur Galat. III, 6., ubi de eadem re ſermo eſt, Deus promiſiſſe Abrahamo bona. Quid inde? Tria. Primum, concède, alterum eſſe tropicum. Deinde, tropicum hoc explica e proprio, neu plus cogites in foedere, quam in promiſſione. Denique, haec habeas pro eadem re: permutantur enim. Licet inſuper quaerere, cur promiſſio dicatur foedus. Id autem derivandum eſt ex uſu hebraicae linguae. — Saepe futura olim felicitas deſcribitur multis imaginibus: dicitur honor, gloria, coena, epulum, corona: ſed dicitur eadem alibi σωτηρία aeterna. Concede igitur, iſtas eſſe imagines; explica ex propriis; habeas pro iisdem. Si vis, inſuper cauſſam exquire, cur σωτηρία his maxime imaginibus deſcribatur, et ductas illas reperies ab exemplis humanae felicitatis. Joh. III, 5. tropice dicitur, regenerari per aquam et ſpiritum; de eadem re proprium eſt Marc. XVI, 10. βαπτίζεσθαι. Ex hoc igitur explica illud tropicum, h. e. illam periphraſin baptismi, per quam exprimitur eius adiunctum. Poteris et hic inſuper quaerere, unde illa hoc tropo ſint expreſſa, ac reperies, fuiſſe hunc morem Judaeorum, ut de ſuo proſelytarum baptismo ita loquerentur.

2. *Quum perpetuum eſt idem in omnibus de eadem re verbum, proprietas agnoſcitur.* Ita reperimus ἀνάστασιν νεκρῶν; reperimus ἐγείρεται σῶμα; reperimus ζωοποιεῖται. Haec tria conſtanter dicuntur de eadem re, quae olim eventura eſt ſub finem mundi. Quoties autem ſic dicitur, toties proprie capiendum eſt; praeſertim, quum haec res futura, his vocabulis ſemper appellata, deſcribatur alibi clarius, Joh. V, 25. Omnes, qui in ſepulcris ſunt, audient iuſſum Chriſti

et prodibunt resurgentes, alii εἰς ζωὴν, alii εἰς κρίσιν. Haec ut sunt satis liquida: ita ne semel quidem alibi vel obscurum fit indicium, tropica esse, quae in his verbis lateant. Ergo habeas propria. Quid ergo illi, qui dicunt, non ita fieri, non resurgere mortuos, hanc esse meram formulam loquendi? Quid hoc sibi vult? An verba sunt sine idea? At Christus his verbis usus est de se, ut agnosceretur Messias. Iam vero idem dicitur de Deo Patre, 1. Cor. VI, 14. An et hic est modus loquendi? An et hunc Judaei tantum opinabantur excitaturum esse mortuos? An dixit hoc Deus, ut pro Deo haberetur? — Sunt alii, qui ἀνάστασιν νεκρῶν tropice capiant; ut non sermo sit de corporibus mortuis, sed ut tropice illi dicantur olim reversuri, nova plane corpora habituri. Sed cur tamen aliud substantivum substituunt intelligendo, idque per merum arbitrium?

3. *Quum de diversis, at similibus tamen rebus, aut coniunctionem aliquam habentibus, idem modus loquendi usurpatur, proprie intelligendum patet.* Sic ERNESTIUS certe expressit regulam (§. 12.), quae tamen vix possit valere in universum. Docebit id exemplum. Deus Israëlitis dedit panem coelestem; Deus Judaeis tempore Christi dat panem coelestem Joh. VI. Idem hic modus loquendi usurpatur; res sunt diversae; possunt hae res invicem comparari. Numne vero haec ideo proprie intelligenda sunt? De manna omnino, sed de Christi doctrina nullo pacto. — Rem igitur sic potius proponamus: *Res Veteris et Novi Testamenti invicem comparatas ita intellige, ne sit merus cogitandi modus, sed ut aliquid insit proprium* (tertium comparationis), *simile illi, quocum comparatur.* Eamus illustrando per partes. Subiectum propositionis nostrae erat: *comparari res V. et N. T. invicem,* v. c.

 acce-

accedere ad Deum, accedere ad thronum gratiae, sacrificia laudis. Singula haec in Veteri Test. obvia, tribuuntur Christianis in Novo, ideoque similia sunt et coniunctionem habent. Praedicatum: *sic haec intellige, ne sit merus loquendi modus* (cui nihil rei subest), *sed ut insit aliquod tertium comparationis.* Ideo enim haec duo comparantur, ut cogitem aliquid, simile illi, quocum comparatur. Quodsi non inest tale quid, inanis formula relinquitur: aut si non inest aliquid simile illi, interpretatio fit per arbitrium. Accedere ad Deum, apud Judaeos est: adire templum, sed corpore tantum. Apud Christianos: accedere ad Deum, sed mente tantum. Similitudo inest in cultu Dei. Nam ideo Judaei templum intrant, ideo Christiani ad Deum accedunt, ut colant Deum. Pariter accedere ad thronum gratiae dicebatur apud Judaeos de summo sacerdote, qui agebat id, ut veniam peccati adipisceretur. Nos etiam accedere ad thronum gratiae debemus, sed mente. Tertium igitur comparationis est: veniae impetrandae caussa. Quamquam igitur est modus et cogitandi et loquendi Judaicus; tamen non est merus modus, sed subest aliquid proprium, quod indagare nos et in quo subsistere oporteat. Quodsi dicamus, inesse tantum hoc: mentem elevare ad Deum, latiori sensu verba illa capiuntur, quam capi debent.

Quae hactenus proposuimus, exempla sunt liquida; nec est, qui in his aliter doceat. Transferamus autem nunc hanc observationem ad alia, quae non sunt aeque in promptu posita aut perspicua, nempe ad ea, quae de Christo dicuntur. Magna formularum copia versatur in talibus exprimendis, Christum esse sacerdotem, esse victimam, se obtulisse, intrasse sanctum sanctorum. Apparet, haec dici per comparationes a Judaicis rebus ductas. Sed apparet etiam, ne

ne inanis ſit omnis illa comparatio, ineſſe rem debere, ſimilem illius, quacum comparetur. Subeſt igitur res haec: Chriſtum eſſe in peccatorum veniam mortuum. Quod apparet inde, quod ſcriptores ſacri haec ita exprimunt, non tantum in epiſtola ad Hebraeos, ſed et alibi. Si ita res habet, pariter concludamus ex illo: res ineſt ſimilis illi, quacum comparatur. Sumamus, exprimi haec: Chriſtum confirmaſſe ſua morte doctrinam. Quid quaeſo ſimilitudinis intercedet hanc inter ideam: moriendo confirmat doctrinam, et illas Judaicas de victimis piacularibus, quae offeruntur? Ne umbra quidem eſt ſimilitudinis.

XVI.

IV. *Conſidera contextum orationis.*

Aliud eſt, in primisque grave, tractandorum troporum praeceptum, *conſiderandum eſſe orationis contextum* (§. 14.). Quoties autem dicimus, iudicandum aliquid eſſe ex orationis ſerie, toties intelligimus *antecedentia* et *conſequentia.* Sic apud nos verbum *ausſchweifen* tum de eo occurrit, qui vitiis eſt deditus, tum de loquente: quid ſit in quoque loco, contextus indicat. Qui leget Epheſ. V, 14. expergiſcere, tu qui dormis, ſurge e mortuis; facile ſentiet e contextu orationis, dici haec improprie de vivo, et ſenſu quidem hoc: redeas ad te, incipias cogitare, quis tu ſis.

Ad contextum etiam pertinent *epitheta*, *adverbia*, *aliaeque determinationes*, *modum rerum et naturam exprimentes* (§. 13.). Sic ubi dicitur domus ſpiritualis, *epitheton* indicat, eſſe tropum et intelligi templum, ubi Deus colitur. Vbi aliquis πνευματικῶς circumciſus, πάλιν natus, ἄνωθεν genitus dicitur, *adverbia* indicant, quorſum haec pertineant. Quando Cicero

 Ariſto-

Ariſtotelem dicit flumen aureum *orationis* fundere, *determinatio* prodit tropum. Fideles dici tropice filios Dei et generatos a Deo, patet, quod dicuntur generati *per doctrinam veram*, quod dicuntur filii facti *per fidem in Chriſtum*, Galat. III, 26., denique quod alibi *υἱοθεσία* iis tribuitur. — Sic et potiſſimum *parallelismus membrorum* referendus eſt ad contextum orationis, ut adminiculum interpretandi.

Proderit autem haec de contextu obſervatio potiſſimum in iis tropis, qui multiplicem habent comparationem. Ita quum Chriſtiani dicuntur *filii Dei*, num intelligantur grati Deo et dilecti, an Dei ſimiles, an denique Chriſtiana libertate utentes, ut Galat. IV. init., unice pendebit ab orationis contextu. Multiplicem etiam comparationem habet tropus: *novus homo.* Nam ubi de ſingulis dicitur, indicat morali ſenſu novum, in melius mutatum. Sed uſurpatur quoque tropus de nationibus integris, Judaica et pagana, ut Epheſ. II, 15., quae, priſtina deſerta religione, novam ſuſceperant. Denique Paulus 2. Cor. IV, 16. dicit, ſe quotidie exterius corrumpi, interius renovari. In quo loco non eſt ſermo de morali corruptione aut innovatione; dicitur potius hoc: quotidie minuuntur vires corporis, ſed mens mea, interior ſenſus, in dies fit maior, fortior, conſtantior. — *Fermenti* tropus duplicem habet ſignificationem; interdum enim cum errore (Matth. XVI, 6.), interdum cum ſcelere (1. Cor. V, 6.) comparatur; ſed utroque in loco iuvatur interpres additis determinationibus.

XVII.

V. *Conſidera hiſtoriam.*

Saepe etiam *hiſtoria* oſtendit, quid, et quo ſenſu aliquid ſit tropicum. Sic de Chriſti adventu, regno, impe-

imperio, hoſtibus multa et varia dicuntur. Sed hiſtoria docet, eum veniſſe etiam ad excidium Hieroſolymorum, imperare et regnare late propagando religionem &c. Dicit Chriſtus Matth. X, 34. velle ſe *μάχαιραν βαλεῖν*, ideoque veniſſe. In parallelo loco Luc. XII, 61. ſe veniſſe ait *εἰς διαμερισμόν*, diſcordiae cauſſa. Ergo parallelum illud: proiicere gladium, erit ſic intelligendum: diſcordiam efficere velle ac veluti ſerere certamina. Sed quo ſenſu efficere voluit diſcordiam? Hiſtoria docet, doctrinam Chriſti diviſiſſe et disiunxiſſe a ſe invicem gentes et familias, ut alii ſequerentur, alii non; alii alios vexarent &c.

XVIII.

VI. *Conſidera nexum doctrinae.*

Vt vis tropicae cuiusdam dictionis appareat, interdum quoque prodeſt, *nexum doctrinae conſiderare.* Etiam *ὁ θάνατος* dicitur *ἐχθρὸς τοῦ Χριστοῦ*, et ab illo vinci aut victus eſſe. Nonne autem ex nexu doctrinae intelligenda ſunt omnia, quae oſtendant, morte eiusque neceſſitate impediri felicitatem ſectatorum Chriſti; moleſtia illa neceſſario perferenda effici, ut plena non fruantur felicitate? Vinci autem illum adverſarium, *θάνατον*, tradit paſſim doctrina, quae de reditu hominum in vitam nos edocet: vincitur itaque metus illius adverſarii eo, quod homines revocabuntur in vitam omnisque mortalitas ſublata erit. Pariter nexus doctrinae, quae in Veteri et Novo Teſtamento eſt propoſita, ſaepe ducit ad originem talium troporum reperiendam et ſenſum recludendum. Quando enim de Chriſtianis occurrunt talia, eſſe domum, eſſe lapides, ſacerdotes eſſe et regis ſacerdotes (1. Petr. II, 11.); nonne haec omnia ducta ſunt e Veteri Teſtamento?

XIX.

In iudicandis tropis etymologiam non esse urgendam.

Sed in omni hac dictione tropica iudicanda ea diligenter est adhibenda cautio, *ne in explicandis tropis eliciamus tertium comparationis ex etymologia*, h. e. ex prima verbi significatione (§. 16.). Caussae vero, cur non sit urgenda etymologia, non latent in obscuro. Nam

I. prima verbi significatio saepe plane evanuit et obsolevit. Sic v. c. *religio* dicitur, auctore Cicerone, a religando, quoniam hominem quasi religet, obstringat et obliget Deo. Quis inhaereat his? Pariter *superstitio*, eodem Cicerone testante, proprie exprimebat preces parentum pro vita longiore liberorum; preces parentum, ut habeant filios superstites.

II. Vsus loquendi indicat, primam verbi vim non spectari. Sic etsi *providentiae* sit per etymologiam, curare, ne quis quid damni capiat; tamen usus indicat, non spectari hoc in Dei providentia, sed eam patere latius.

III. Analogia linguae non admittit, ex etymologia omnia derivare, aut respicere primam verbi vim. Exemplum eius rei luculentum est verbum ὀρθοτομεῖν, quod 2. Timoth. II, 15. tantum occurrit. Legitur ibi: ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Prima vis verbi est *recte secare*, quod compositio illius sponte docet. Nunc autem diceretur *recte secare* τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Id quia non potest physice intelligi, fecerunt inde sectionem logicam vel divisionem dialecticam, qua λόγος Dei dividatur in species quasdam. Commenti hinc sunt distinctionem legis et evangelii, volueruntque locum sic capi: *distingue doctrinam in legem*

legem et evangelium. Docuerunt praeterea, doctorem religionis dividere doctrinam *recte*, si lege utatur apud nondum conversos, evangelio autem apud eos, qui iam conversi sint. Patet, hanc omnem demonstrationem niti etymologia. At λόγος ἀληθείας est evangelium ipsum; scribitur enim ad doctorem evangelii. Hinc evangelium non potest rursus dividi in legem et evangelium. Docet potius analogia linguae, ὀρθοτομεῖν esse *rectum doctrinae sensum tenere aliisque tradere.* Quomodo id docet? 1) Coniugatum verbum est ὀρθοτομία, nempe ex illo verbo derivatum substantivum. At ὀρθοτομία apud antiquos est ea, quae hodie orthodoxia vocatur. Iam si substantivum indicat per loquendi usum rectam sententiam de doctrina, sequitur, ut et verbum indicet recte sentire de doctrina, non ἑτεροδοξεῖν. 2) Καινοτομεῖν denotat novas opiniones de religione suscipere et spargere. Analogum est illi ὀρθοτομεῖν, propter compositionem ex adiectivo et verbo τέμνειν. Sed ubi analoga formatio, ibi et analoga significatio. Iam vero καινοτομεῖν non est facere divisionem novam, sed sentire novo modo, usurpaturque apud Graecos etiam de rebellibus, qui novam in civitate calcant viam. Hinc explicandum ὀρθοτομεῖν eadem ratione. Fundus autem horum troporum is est usus loquendi, quo dicunt ὀρθὴν ὁδὸν τέμνειν, καινὴν ὁδὸν τέμνειν. *Viam secare* est facere viam et iter — *viam rectam* aut *novam secare* erit recto aut novo tramite incedere, ac respectu doctrinae, sentire recte, sentire nova. Atque sic etiam veteres acceperunt: nam Versio Vulgata habet *recte tradere* doctrinam veri.

XX.

Videndum, an tropus accurate intelligatur.

Alia eſt admonitio haec: *ne ſatis ſit tropum intelligere utcunque, ſed videndum, an accurate intelligatur* (§. 17.). *Accurate* — h. e. 1) ita, ut interpretatio exhauriat tropum, vel ut exprimat tropum adaequate, quemadmodum Logici dicunt; 2) ſic, ut ponatur tertium comparationis, ad hunc locum, in quo verſor, pertinens. Qui non ſic intelligit locum, intelligit eum tantum *utcunque*. Vtrumque illuſtrabimus exemplis.

I. *Interpretatio exhaurire tropum debet.* Homines, non ad ſcholae ſubtilitatem docti, ſi quaerantur, quid ſignificet *eſſe novum hominem;* reſpondebunt, eſſe eum, qui pie vivat. Nil dicunt falſum; ſed non exhauriunt rem. Nam eſt ante omnia etiam pia mente eſſe, pie ſentire; tum pie vivere. Hoc demum erit *adaequate* tropum exprimere: nam notio adaequata eſt, quae partes ſingulas et rurſus partium partes continet. Quaeramus, quid ſit *Chriſtum nos redemiſſe;* dicent illi, ab aeterna miſeria Chriſtum nos liberaſſe. Rurſus non adaequata eſt notio. Nam redemit nos etiam ab ignoratione, ab imperio cupiditatum flagitiorumque, a poenis huius quoque vitae. Quaeratur, quid ſibi velint, ubi ſe *aedificatos* libro legendo dicunt; reſpondebunt, ſe acriter commotos eſſe inter legendum. Nihil falſi dicunt, ſed non adaequate. Nam qui liber aedificat, is prodeſſe debet ad plura, quam ad motus ſubitaneos quosdam excitandos.

II. *Tertium comparationis pertinere ad eum locum debet, in quo verſor.* Igitur non quaerendum, quae expreſſa eſſe poſſit comparatio, ſed quae debeat; neque ex pluribus comparationibus temere arripienda eſt,

eſt, quae forte in oculos incurrit. Dixit Jacobus duobus tantum epiſtolae ſuae locis *hominem* δίψυχον, cap. I, 8. IV, 8. Vi verbi eſt homo, qui duas habet mentes. Sic enſis δίστομος, domus δίθυρος, alia. Verum id ſignificare poteſt hominem ſimulatorem et diſſimulatorem, qui veluti duplicem animum habeat; poteſt ſignificare fallacem, vafrum et callidum, quem poëta dixit duplicis ingenii hominem. Sed apud Jacobum iſta voce notatur homo dubius, anceps, nihil certi habens, quod teneat. Idque dicitur tum de eo, quod hodie aliquis fidit Deo, cras diffidit, tum de dubitatione et inſtabili ratione vivendi, ubi aliquis nunc probitati, nunc improbitati ſtudet. Iam non quaeritur, quid eſſe poſſit tropus, ſed quid ſit hoc loco, et quid eſſe debeat.

[Cfr. HEGELMAIERI *de dictione tropica etiam ſcripturae ſ. libri* III. Tubing. 1779. 8. MASCHO *Unterricht von den bibl. Tropen und Figuren.* E.]

XXI.

Allegoriae notio et variae appellationes.

Allegoria eſt modus exprimendi integram ſententiam ita, ut loco rei, quae ipſa dicenda erat, ponatur res illi ſimilis. *Integra ſententia* indicat id, quod nobis eſt *ein ganzer Gedanke*, ideoque vel propoſitio integra, vel explicatio uberior rei alicuius integrae. Vrgeo hoc, ne tantum intelligatur *unum* vocabulum, ut in quo metaphora eſſe poteſt, allegoria non poteſt. Eam vero ſententiam dixi exprimi ſic, *ut pro re, quae ipſa dicenda erat, ponatur res ei ſimilis.* V. c. non eſt conſentaneum, liberis eripere panem eumque proiicere canibus. Patet, hanc eſſe *integram* propoſitionem. Sed noluit Chriſtus id dicere, quod verba per ſe ſonant; voluit

voluit ſimilem illi rei rem intelligi, nempe hanc: non debent indigenis beneficia detrahi et tradi extraneis. — Notum illud eſt: εἰ ἐν τῷ ξύλῳ ὑγρῷ ταῦτα ποιοῦσιν, ἐν τῷ ξηρῷ τί γένηται; Voluit hoc Chriſtus intelligi de hominibus probis et malis. Si probi tam miſere tractantur, quid fiet tandem improbis? Magna eſt copia talium proverbiorum; v. c. debemus cum Chriſto mori, cum eo ſurgere. Quod rurſus non dicitur proprie aut phyſice, ſed modo allegorico.

Quemadmodum autem hoc de verbis valet et oratione; ita etiam de factis: unde *facta allegorica* naſcuntur. Ezech. XXVII, 15. iubetur Propheta duas parare tabulas; alteri inſcribere nomen Iſraëlis, alteri Judae nomen; has tabulas compingere accurate et unire, ut videantur una, easque ita unitas oſtendere populo. Fecit hoc Propheta, ut per factum hoc exprimeret factum huic ſimile: fore, ut et Judaei et Iſraëlitae redeant ab exilio in patriam fiantque unum regnum coniunctum, quod poſt Salomonem in duas partes ſciſſum erat. Pariter quod Chriſtus lavit interdum Apoſtolorum pedes, fuit et hoc allegoricum factum. Lavit enim, non ut lavaret, ſed ut doceret ſuo exemplo, verſandum eſſe in miniſterio aliorum hominum. Addam aliud exemplum ex hiſtoria. Tarquinii Superbi filius quum legatos ad patrem miſiſſet quaeſituros, quomodo civitatem Gabiorum ſibi ſubiiceret; ille ne verbum quidem reſpondit, ſed in hortum eos deduxit. Ibi inambulans et alia multa confabulans, interdum capita papaverum baculo decuſſit. Reverſis ad Tarquinii filium legatis, quid, ait, pater mihi ſuaſit? Illi, nihil ipſum reſpondiſſe, ſed iſta feciſſe ambulantem in horto. Hic loco rei, quae dicenda erat, fiebat res alia; et filius probe animadvertebat, procerum capita gladio eſſe demetenda.

[De

[De *factis Prophetarum allegoricis* seu *parabolis propheticis*, quarum pleraeque actionem fictam narrant, aliae coniunctae sunt cum actione vera, sed ita, ut narratio eam amplificet, exornet eiusque sensum declaret, pulcre disseruit C. F. STAEUDLIN *über die symbolischen Handlungen der Propheten*, in *Neuen Beyträgen zur Erläuterung der biblischen Propheten*, Götting. 1791. 8. p. 125-240. E.]

Quod fieri vidimus tum verbis et oratione, tum etiam factis, idem fit *per opera artis et ingenii*, v. c. per gemmas, statuas, tabulas pictas &c., in quibus multa sunt allegorica. Sic Apollo imberbis, semper iuvenis, exprimit et adumbrat solem semper iuvenilem, numquam senescentem. Vbi pingitur seges, cuius calami fracti sunt grandine atque haec tabula picta suspenditur in monumento sepulcrali principis iuvenis; ostenditur, spem patriae praemature ereptam et sublatam esse. Subest igitur aliquid figuris, quod spectandum est magis, quam figurae ipsae. Hinc et WINCKELMANNUS integrum opus scripsit de Allegoria in artis operibus, [*Versuch einer Allegorie besonders für die Kunst*, Dresd. 1766. Plures scriptores, de allegoria exponentes, laudavit BLANCKENBURGIUS ad Sulzeri Doctr. Artium Vol. I. p. 57 sq. 71 sq. Inprimis vero hic conferenda est MORI differt. *de caussis allegoriae explicandae*, in Ej. Dissertatt. theol. Vol. I. p. 370-393. E.]

Quodsi eadem est indoles allegoriae, sive in oratione, sive in factis, seu in operibus artis occurrat; videmur sane tenere essentiam illius seu essentialem characterem.

Licet iam intelligere et nomen allegoriae, et alia huic similia. Nimirum in ἀλληγορίᾳ proprie

ἄλλο

ἄλλο ἀγορεῖται, *aliud dicitur*, h. e. ſubeſt aliud quid, ſimile huic, quod verbis auditis mente concipitur. Eſt etiam inde, quod allegoria nominatur ὑπόνοια: debemus enim aliquid ὑπονοεῖν, *ſubintelligere.* Reperitur hoc in *Plutarchi* libello de poëtis aud., ubi varia de allegoria diſſeruntur. Dixerunt etiam τὸ μυστικόν, quoniam in allegoria eſt aliquid *occultatum;* nam ſub involucro formulae, facti, ſtatuae latet aliquid occultum. Hinc qui librorum ſacrorum locis ſenſum tribuerunt *myſticum*, tribuerunt illis allegoricum, ut ſemper intelligeretur aliud quid, quam legeretur. Denique etiam dicuntur talia *ſymbolica;* quoniam ſunt ſigna rei alicuius. Sic habemus facta ſymbolica; habemus in operibus artis numos ſymbolicos, gemmas ſymbolicas &c. Et omnis illa ars hieroglyphica Aegyptiorum vocata eſt lingua mortua ſymbolica. Exſtat liber integer priſci ſcriptoris, qui inſcribitur *Horapollo*, in quo eſt deſcriptio et explicatio hieroglyphicarum figurarum.

[Sunt et alia nomina huic allegorico dicendi generi impoſita. Veluti τὸ αἴνιγμα, quia *tecte* indicatur aliquid, ſimile huic, quod dicitur: τὸ ἠθικὸν, quia res in facto poſitae, ſimilitudine obſervata, mutantur in diſciplinam conformandi animi et ad intelligendum, et ad agendum. E.]

Iam proclive erit iudicare, metaphoram diſcerni ab allegoria. Illa enim in uno verbo ſubſiſtit; haec exprimit integram ſententiam.

XXII.

Nullam allegoriam ex omni parte ſpectandam eſſe.

His praemiſſis, videamus de interpretanda allegoria. Neque vero hic ſermo eſt de praeceptis illis rheto-

rhetoricis, quae traduntur, v. c. manendum esse in allegoria seu metaphoram continuandam, ut v. c. dicendum sit: *flamma civitatis exstinguitur*, non *abrumpitur*, et quae sunt his similia. Nos hic ordiamur ab observatione, quae vim principii habeat: *nulla allegoria est ex omni parte spectanda.* Nam id, quod confertur, et id, quocum confertur, non ut simillima proponuntur. V. c. in illo: non decet liberis eripere panem et proiicere canibus, inepte a multis et absone quaesitum est, cur hic extranei, qui non Judaei sunt, dicantur canes. Quippe homines omnes, in vita communi utentes allegoricis verbis, aut ἀλληγορικῶς fingentes artis opera, una tantum ex parte volunt intelligi, quod comparant. In illa picta tabula, quam commemorabam de segete et grandinibus, varia dici possunt de longitudine et brevitate et apicibus calamorum, de aliis bis terve fractis: sed his omnibus nunc non est locus. Potest etiam medius inter illos flosculus stare, et ipse confractus; possunt alia adventicia addi penicillo pictoris, sed ea non sunt singulatim interpretanda. Manet illud, spem agricolis ereptam transferri ad patriam aut civitatem, cui spes sit erepta praematura morte principis iuvenis. Idem valet de oratione. In qua quod similiter confirmat omnium hominum consensus, idem confirmat addita interdum explicatio. Non raro enim scriptor ipse explicando declarat, velle se allegoriam intelligi de una tantum re. Christus dixerat, non egere valentes medico, sed aegrotos; addit: *sic* ego non veni, ut vocarem ad μετάνοιαν pios, sed impios. Quis hic ordiatur longam de Christo medico disputationem, aut omnia, quae de medico dici possunt, ad Christum transferat?

XXIII.

Allegoriae tractandae praecepta.

Ab hoc principio, quod posuimus, veniamus ad praecepta tractandae allegoriae, quae singulatim illustrabimus.

XXIV.

I. *Consilium allegoriae universae indagandum est.*

Allegoriae universae consilium, quod ante omnia indagandum est, facillime reperitur tum, quum ea inseritur orationi, ex qua consilium intelligi potest (§. 18.). Indagandum igitur est ex *orationis contextu*, sed id aliis in locis aliter fieri potest. Contextus enim primum continetur *antecedentibus* et *consequentibus*. 2. Tim. II, 20. legitur hoc: in ampla domo non sunt tantum vasa aurea et argentea, sed et lignea et testacea; alia pretiosiora, alia minus pretiosa. Iam quia scriptor non hoc dicere vult, quod verba per se indicant; patet, eum esse allegoria usum, cuius consilium detegendum sit iuvante contextu. *Praecesserat* autem v. 15: esto strenuus ac probus religionis Christianae doctor, vites errores. E quo apparet, sermonem esse de doctoribus. Iam domus ampla, in qua sunt varii generis vasa, indicabit coetum Christianum, in quo sunt doctores varii variique pretii. *Additur* hoc: separa te a doctoribus falsis; sis tu supellex pretiosa, utilis possessori; sis ad omne officium promptus paratusque. Ergo rursus non de supellectile agitur, sed de doctoribus. Itaque consilium allegoriae tendit huc, ut doceatur, non omnes, qui doceant, esse eiusdem pretii, et ut hinc admonitio aliqua fluat.

Quemadmodum e tali contextu intelligitur allegoria; ita etiam *ex occasione allegoriae*, quam contextus

tus indicat. Quaeſierat aliquis, interrogaverat, erraverat; traditur allegoria ad reſpondendum, ad errorem corrigendum, et erudiendos homines. Joh. VI. de edendo pane multa proponuntur: fruendum eſſe Chriſti inſtitutione, ut, ſicut pane fruentes, inde fructum capiamus. Occaſio rem ſic potiſſimum exprimendi traditur v. 21. Maiores noſtri ederunt in deſerto manna, panem coelitus datum. Ego, inquit Chriſtus, ſum panis coeleſtis. Sponte intelligitur, in Chriſto edendo cogitandum eſſe idem, quod in pane edendo, adeoque τὸ frui, ſeu fructum capere. Tamen fuere, qui verba illa ad coenam ſacram referrent, quaſi proprie et hiſtorice de edenda carne et ſanguine bibendo ageretur.

Quoniam e contextu intelligitur allegoria, ideo et *addita explicatio* ſaepe indicat ſcopum et interpretationem. Nec mirabitur quisquam, nos referre ad contextum hanc explicationem, utpote quae addatur in ipſo contextu. Luc. V, 21. Chriſtus una comederat cum portitoribus ſceleſtisque hominibus. Additur: aegroti non egent medico, cum hac explicatione: non veni, ut probos cohortarer ad μετάνοιαν, ſed improbos. Cognito ſcopo, cognita occaſione, cognita explicatione, ſponte patet allegoriae ſenſus. Matth. XXI, 43. agitur de lapide illo, qui ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας. Inter mediam illam allegoriam haec ſunt: ἀρθήσεται ἀφ' ὑμῶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ: quia reieciſtis lapidem illum, non eritis amplius populus Dei. Hoc quum addatur, elucet, quo ſenſu reliqua dicantur de frangente aut comminuente lapide. Caeterum ea explicatio interdum *verbo tantum* additur. 1. Theſſ. V, 8. iubemur induere thoracem et galeam; additur explicationis cauſſa: galea ſpei, thorax fidei et amoris. Senſus igitur tropi: fide, amore et ſpe praepara te, ne damnum capias.

Interdum allegoria propofita etiam *per partes* explicatur ab ipfo loquente. Sic allegoria illa de femine, in agro arenofo et in tellure valde fertili fparfo, explicatur deinde per partes. Hic fane facilis prodit fenfus: varium effectum habet doctrina divina in variis hominum animis. Ephef. VI. multa funt de armatura Chriftianorum; nominantur ocreae, gladius, thorax, cingulum, fcutum, enfis. Effe haec allegorica, dubitari nequit. Praeceffit: eftote firmi fortesque, Deo adiuvante. Nunc id per partes eundo fcriptor explicat, fed addit in quovis, quid velit intelligi; v. c. enfem effe doctrinam Dei, cingulum effe integritatem, fcutum effe fidem &c. Et fane explicatio optabilis eft tali in loco, cuius allegoria explicari nequit ex certo quodam principio.

Porro contextus interdum *obiter* addit vocabulum aliquod *proprium*, e quo diiudicari omnis allegoria poffit. Joh. XII, 36. per breve adhuc tempus lumen vobis intereft — unum mox improvifo adfpergitur vocabulum proprium: *credite* in lumen. Hinc apparet, lumen effe doctorem; apparet etiam, in tenebris verfari effe, verfari in ignoratione. Matth. V, 14. vos eftis lumen generis humani; non poteft urbs occulta effe, quae in monte fita eft &c. Additur tandem: ut homines videant veftra recte facta et fic celebrare Deum Patrem difcant. Ex illis ἔϱγοις καλοῖς, quae inftar funt clavis totius loci, concludo, fermonem effe de virtutis ftudiofis, qui praebere aliis exemplum debeant. 1. Petr. V, 8. monentur Chriftiani effe fobrii, vigilare; circumire enim adverfarium inftar mugientis leonis, qui deglutire eos cupiat. Additur: non vobis tantum, fed omnibus veftris per orbem terrarum fratribus evenient eaedem calamitates. Nonne igitur fumma totius loci erit huc referenda,

parari

parari ac ſtrui Chriſtianis multas calamitates, adverſus quas parati eſſe debeant?

Etiam *per ἐπιφώνημα adiectum* indicatur interdum explicatio. Quale illud eſt in parabola: multi ſunt vocati, pauci electi; primi erunt ultimi. Ad hoc veluti caput rei refer omnem allegoriam; ſi qua huc referre nequeas, ea ſunt adventicia, quae acceſſerunt non tam comparandi, quam ornandi delectandive cauſſa.

Denique indicatur et contextus *ſynonymo.* Vt in illo, Joh. VI, 35. qui bibit, non ſitiet; *qui in me credit*, non eſuriet.

His rationibus, quas expoſuimus, ſi conſilium allegoriae reperiri nequeat, dubito, reperiri poſſe: ac tum cogitur unusquisque agnoſcere ambiguitatem allegoriae.

XXV.

II. *E verbo primario, proprie reddito, allegoria diiudicanda et explicanda eſt.*

Hoc altero praecepto id nobis volumus: *videndum eſſe, quod ſit verbum primarium, eiusque vis quo verbo proprio exprimi poſſit: ad eius ſenſum caetera eiusdem verba tropica omnia referenda et ei convenienter explicanda.* (§. 19. coll. §. 14.) Eſt autem *verbum primarium* allegoriae illud, in quo eſt fundamentum et cauſſa, cur omnia hoc loco per hanc maxime imaginem exprimantur. Agnoſcitur illud verbum primarium tum ex *ſcopo*, tum ex *explicatione*, tum ex *ipſa re.* De ſcopo et explicatione antea vidimus. Nunc addamus, quod ultimo loco diximus. 1. Cor. V, 6 ſq.

 de

de fermento dicitur ſic, ut cohortatio ad pietatem contineatur toto illo loco. E contextu enim patet, conſilium eſſe allegoricae admonitionis, ut Corinthii puri ſint ab vitiis et inde natis peccatis. Occaſio allegoriae erat, quod tulerant impune hominem libidinoſum. Iam quum dicit ſcriptor: nonne noſtis, parum fermenti totam maſſam fermentare? et reliqua omnia ad eamdem accommodat imaginem; conſideratio notionis primariae facile ducit ad hunc ſenſum: unus homo perverſus omni ſocietati eſſe et fieri poteſt noxius exemplo. Addit praeterea ſcriptor ipſe breviter explicationem: nam dit *ζύμην κακίας καὶ πονηρίας*, et quae ſunt reliqua. Hinc *ἑορτάζειν* non eſt diem feſtum celebrare; haec enim eſt propria ſignificatio, quum requiratur tropica; ſed Deo ſervire, Deum colere, Chriſtianum eſſe, ita ſcilicet, ut ab omnibus priſtinis vitiis purus ſis Deumque vera ſanctitate colas. Occurrit ibidem et hoc: paſcha noſtrum iam mactatum eſt, addita explicatione: *Chriſtus*. At hic mortuus eſt. Quis dubitet igitur ſenſum totius loci redire huc: *Nach Chriſti Tode müſſen wir fehlerfrey und tugendvoll Gott zu verehren ſuchen.* Pariter in illo loco: deſtruite hoc templum et intra triduum reaedificabo, primarium verbum *templum* eſt mutandum in proprium: *corpus Chriſti*, ſuadente id hiſtoria, et ad illud deinde omnia referenda.

Huic praecepto annectamus aliquod ſcholion: *Non conſentaneum eſt, alias partes proprie, alias tropice in allegoria interpretari.* 1. Cor. III, 13. totus locus eſt allegoricus; etenim occupatio doctorum religionis cum aedificantis occupatione comparatur. Hinc coetus Chriſtianus appellatur aedificium; doctores in coetu architecti; alios ponere fundamentum, alios ſuperſtruere huic fundamento; ſuperſtruere alios

aurum

aurum et argentum, alios lignum, ſtipulam &c. Senſus, qui in his lateat, in promptu eſt: Coetus inſtruitur per doctores, per alios ab initio; per alios ulterius ducitur; alii bonas et utiles res (verum), alii res inutiles (falſum) tradunt. Docebit futurum tempus, quid quisque ſuperſtruxerit, h. e. temporis ſucceſſu apparebit, quid verum, quid falſum fuerit, quid utile, quid inutile. Labor eius, qui laboravit inutile, qui falſum docuit, cremabitur, interibit, deſinet tandem; ipſe vero ſervabitur ὡς διὰ πυρός, h. e. ſic, ut magnae miſeriae ipſi ſint ſubeundae: non ſine magnis miſeriis prudentior evadet. At Pontificii in hoc loco, qui totus eſt allegoricus, unam hanc notionem, quae tamen cohaeret cum allegoria, intelligunt proprie *ignem*, explicantes de purgatorio igne. Qui quantopere faciant contra regulam, quam poſuimus, ſponte intelligitur.

Huius autem neglectus regulae multa alia falſo probantia dicta in conſuetudinem traxit. V. c. Paulus 2. Cor. X, 5. ſibi rem dicit fore cum adverſariis ſuis, qui mentiendo criminari eum ſtudebant. Quod his verbis exprimit: ſe cum iis praelium geſturum, caſtella illorum deſtructurum, ipſorum conſilia ducturum captiva. Omnia ſunt allegorica. Vult Paulus refutare mendacia et criminationes adverſariorum ſuo tempore, conſilia illorum ducere captiva, h. e. irrita facere verbis, factis. At haec conſilia intellexerunt de ratione recta, quaſi illa dicatur refutanda.

XXVI.

III. *In allegorico loco conſulenda hiſtoria eſt.*

Quae ERNESTIO praeeunte illuſtravi duo praecepta, quia non ſufficere videntur ad omnia loca allegorica

gorica explananda, duo alia ſubiungam. Ac primum quidem in allegoriis dico *conſulendam eſſe hiſtoriam, quae ſola interdum explicare allegoricum locum doceat.*

Matth. XIII, 31. Simile eſt regnum coeli grano ſinapi, quod aliquis in agro ſerit: quod eſt omnium ſeminum minimum. Vbi autem progerminavit, fit magnus frutex et arboreſcit, ut etiam aves nidulare in eius ramis poſſint. V, 33. Simile eſt regnum coelorum fermento, quod mulier aliqua in maſſa ſubegit, donec tota maſſa fermentata ſit. Nihil additur explicationis cauſſa. Quis eſt ſcopus? Aſſuefacere vult Chriſtus diſcipulos ſuos ad allegoricos ſermones interpretandos. Ex hoc conſilio ſcriptoris non poſſum aſſequi allegoriae ſenſum. Nec poſſum hic dicere, quid ſit verbum primarium. Nullum igitur aliud interpreti relinquitur adminiculum, niſi *hiſtoria.* Sed quia Chriſtus de eccleſia loquitur, debeo conſulere hiſtoriam eccleſiae, quae a parvis initiis excrevit in permagnum aliquem coetum, qui per totum propagaretur terrarum orbem. Ita facilis eſt allegoriae explicatio. — Joh. ult. 18. ſcriptor ipſe digito monſtrat, hiſtoriam adeundam eſſe. Sermo eſt de Petro: Dico tibi, te iuniorem cinxiſſe temet ipſum, et ambulaviſſe, quocunque velles; ſed ubi ad ſenectutem perveneris, extendes manus, et alius te ducet, et invitum te ducet eo, ubi tu non voles ire. Additur v. 19. Haec dixit Chriſtus ſignificans, quo mortis genere Petrus obiturus eſſet. Hiſtoria vero indicat, Petrum violenta morte ſublatum eſſe.

XXVII.

IV. *Conſulenda etiam natura rei.*

Deinde aio, *conſulendam quoque eſſe rei naturam, ut ex hac appareat, quo tendat omnis comparatio et quid*

quid proprie ſubſit imaginibus. Matth. V, 13. Vos eſtis ſal terrae: ſi ſal perierit, quanam re ſalietur? non prodeſt, ſed abiicitur et occultatur ab hominibus. Chriſtus hoc dicit diſcipulis, monendi conſilio. Sed quid ſibi vult haec admonitio? quod eſt verbum primarium? Verbum primarium eſt *ſal.* Id quo verbo proprio poſſum interpretari? Hic natura rei conſulenda eſt, quae intelligere me iubet ſal corrigens ſaporem, ſapidos cibos reddens. Iam patet, quo ſenſu diſcipuli dicantur ſapidum reddere, corrigere: fuerunt enim doctores, a quibus alii correcti ſunt et meliores redditi. Prodibit ex his tandem haec paraphraſis: vos eſtis illi, per quos alii meliores reddi debeant et tamquam ſapor humani generis iniucundus corrigendus ſit. — Luc. V, 36. Veſtimento novo nemo aſſuit pannum veterem, ne novus pannus una cum vetere rumpatur. Nihil additur explicationis. Praeceſſerat id: cur tui diſcipuli non ſolent multum ieiunare, ſed vivere laxius et liberius? His reſpondet ad iſtum modum. Nihil hic in viam ducere poteſt, niſi natura rei. Iam cur agimus ſic in communi vita? quoniam nemo facile et libenter *inepte* agere ſolet, ut id, quod agat, alienum cenſeatur a loco, tempore, re, perſonis. Igitur quoniam, ait Chriſtus, nemo in vita communi ſolet libenter agere inepte, ego nec diſcipulos meos ſic agere volo. Neque enim opus iis eſt iſta duritie. Veniet tempus (v. 34.), quo ſatis duriter iis vivendum ſit: tum ſatis habebunt moleſtiarum; nunc res, tempus, locus id non poſtulant. — Haec ita accepta procul dubio melius cohaerent cum propoſita quaeſtione, quam ſi in illis allegoriis quaeritur hoc: Teſtamentum Vetus non debere cum Novo confundi, neque viciſſim. Cui enim bono id hic diceretur?

XXVIII.

Parabolae notio.

Necesse non erit, ut multa de *parabolis* praecipiamus, quum eadem fere de his valeant, quae sunt de allegoriis dicta. Itaque res omnis redibit ad haec duo: primum, ut de notione parabolarum moneamus, deinde, ut explicationem earum cautiorem commendemus. Ad notionem quod attinet, linguae quidem graecae consuetudine quaevis comparatio in oratione obvia parabola dicitur: quales novimus esse in poëtis praesertim et oratoribus. Pariter in graeca V. T. versione παραβολὴ dicitur, quicquid habet aliquid in dicendo obscuritatis, ut indigeat explicatione; ut sunt sententiae, proverbia, aenigmata et alia his similia. Ponamus itaque, *parabolam* interdum nihil esse, nisi quod nos exemplum appellamus, interdum vero totam narrationem.

I. *Parabola est exemplum.* Luc. XV, 3. Christus dixisse fertur παραβολήν: si quis centum ovium possessor amiserit unam, nonne quaeret et de inventa laetabitur? Exemplum est e vita communi petitum. Additur etiam applicatio: Similiter coelum laetabitur de converso aliquo homine. Sunt vero aliae parabolae eiusmodi, exemplorum vim habentes, quibus nihil addatur explicationis. Matth. XIII, 3. legitur, Jesum proposuisse parabolas plures, inter caeteras et hanc: Simile est regnum coelorum thesauro &c., simile etiam est mercatori ementi gemmas; is nactus aliquam valde pretiosam, relictis reliquis, unam hanc emit. Haec nonne sunt exempla ex communi vita petita? Ad explicationem vero sensus communis ducit. Ipsa enim natura rei duce exemplum applicamus ad aliud, cuius illustrandi caussa allatum est.

II.

II. *Parabola est narratio instituta certo modo ob consilium certam rem docendi.* Narrationem dicimus institutam *certo modo* (*bestimmte Anlage der Erzählung*); nempe *hoc* potissimum narratur; *sic* potissimum, et *hoc ordine* narratur. Ponimus porro consilium docendi *certam rem;* hanc rem, non aliam; hanc rem ex hac parte, non ex alia. Quod si ita est, ut est; id quod narratur, potuit fieri, potuit et esse mera fictio. *Potuit fieri* — quidni enim fuerit Lazarus aut prodigus filius? *Potuit fingi* — narratur ut res gesta, quum gesta non sit.

XXIX.

Interpretandae parabolae adminicula et praeceptiones.

Iam vero *interpretari talem parabolam* est ostendere doctrinam, cuius caussa omnia illa narrata erant. Haec doctrina ut possit sine erroris periculo ostendi, tria sunt adminicula adhibenda:

I. *Additur interdum istiusmodi narrationibus epiphonema.* Sic in illo: multi sunt vocati, pauci electi, scriptor ipse indicat doctrinam, ut errari non possit. Est vero huius epiphonematis sensus grammatice constituendus. Quare illud, quod posui, sic licebit interpretari: multis offeruntur bona; pauci vero offerenti cari sunt et dilecti; pauci se gerunt dignos bonis, quae offeruntur.

II. *Additur etiam explicatio ab ipso loquente.* Vt in narratione de creditore, qui fratri remittere noluerat debitum minutulum, quum remissum ei esset sat magnum, additur explicatio haec: sic et pater meus aget vobiscum.

III. *Adminiculum quoque interdum petitur ab occasione parabolae.* In narratione de filio prodigo nil praemittitur, nil additur. Sed proponitur narratio

post

poſt quaedam exempla, quibus declarabatur, Deum laetari de peccatore ad frugem redeunte.

Hactenus facilia ſunt omnia. Sed ea reſtat gravior praeceptio: *poſtquam certam doctrinam invenimus, videamus, quaenam partes parabolae neceſſario nexae ſint cum illa doctrina.* Quippe partes nonnullae ita ſunt coniugatae cum doctrina illa latente, ut ſine illis doctrina non ſit plena et perfecta. Matth. XXI, 33. plantavit quidam vineam et inſtruxit, deinde elocavit vinitoribus: miſit ſervos, qui reditus ab iis exigerent; hos ſervos interfecerunt. Miſit alios; et hos interfecerunt. Miſit filium; et hunc interfecerunt. Doctrina ſubeſt haec: vos, Judaei, miſſum ad vos filium Dei ſpreviſtis. Id traditur v. 42. Quos dixit ſcriptor ſervos, et ipſos interemtos, intellexit prophetas. Miſit enim Deus varios legatos, quos repudiaverunt Judaei et revera maximam partem ſupplicio affecerunt. His narratis adiicit Chriſtus: quid faciet dominus vineae illis vinitoribus? Reſpondent: malos male perdet et vineam aliis vinitoribus elocabit. Tum ſequitur applicatio. Ineſt autem huic parabolae ea doctrina: pariter Deus puniet Iſraëlitas ob neglectum prophetarum neglectumque filii, et bona illorum transferet ad Paganos. Si quaeritur, quaenam ſint huius narrationis partes ita nexae cum doctrina, ut haec plena eſſe ſine illis nequeat; agnoſcemus partes has: ſervos miſit; alios miſit; filium miſit. His absque partibus doctrina deſtitueretur veritate. — Pariter in illa parabola: aliud ſemen in aliam tellurem cecidit, ſi omittamus hoc: quoddam cecidit in fertile ſolum; deerit aliquid ad veritatem doctrinae. Haec enim eſt: ὁ λόγος Θεοῦ apud alios alio eſt effectu. Numne vero prorſus perit? Profecto non: igitur neceſſe eſt ad veritatem, ut addatur et hoc: multum autem ſemen etiam prodeſt. Iam ab his partibus,

tibus, quas neceſſarias eſſe demonſtravimus, diſcernamus eas, *quae tantum ponuntur ad efficiendum totum veriſimiliter.* Etenim dum aliquam fingimus narrationem, ſequitur etiam, fieri illam debere ad conſuetudinem vitae humanae, ideoque veriſimiliorem, nec tantum vitae hominum accommodatam, ſed et moribus illius temporis. In tali autem narratione quis ſuſtineat omnia cum pulvisculo excutere? Sic v. c. in narratione de creditore quod memorantur decem millia talentorum, non id eſt neceſſarium ad doctrinam, ſub parabola latentem. Non mutatur illa, ſi vel alius ſubſtituatur numerus. Sed aliquis numerus ponendus erat ad efficiendum totum, idque veriſimilitudinis cauſſa. Similiter in altero illo exemplo quod *bis* dicuntur miſſi ſervi, in eo male quaerunt duplicem aliquam legationem, unam ante, alteram poſt exilium. Id non ingreditur naturam ipſius rei, ac poterat etiam dicere: quater, ſexies miſit.

Ex his obſervationibus ſponte fluunt hae regulae: 1) *Neceſſarias* partes parabolae omnes explica proprie. 2) Partes *non neceſſarias* puta veriſimilitudinis cauſſa additas eſſe; agnoſce, potuiſſe et aliter poni, poni etiam potuiſſe alias. Eas ne explica proprie.

[Ad rationem et uſum parabolarum, a Chriſto in N. T. adhibitarum, ſi attendamus, ille duplex potiſſimum eſſe deprehenditur. Alter enim ineſt in quadam de rebus divinis et ad religionem pertinentibus exercitatione, et quaſi diſciplina; alter vero verſatur in inſidiis, quae Chriſto eiusque doctrinae a Judaeis et Phariſaeis crebro ſtruebantur, ſapienter et ſine illius doctrinae detrimento evitandis eludendisque. Et primum quidem genus parabolarum, quas *didacticas* appelles, et in quibus nihil

hil interdum, praeter locum aliquem communem, ad docendum populum aptum ineſt, maiorem requirebat animi curam, audiendi impenſius ſtudium, propterea quod praecepta morum aut placita religionis, imaginibus variis involuta, proponuntur. In altero autem genere, quod *parabolas ingenioſiores* complectitur, ſemper fere animadvertere licet Jeſum inimicis cedere, ac magis ambigue, quam directe, magis tecte et occulte, quam ſimpliciter et aperte reſpondere. Indulgebat enim ſapientiſſimus Servator Judaeorum ingenio et imbecillitati, et paſſim ταῖς παροιμίαις diſerte opponebat ipſe *παῤῥησίαν*. Joh. XVI, 25. Vtroque autem in parabolarum genere diligenter ab interprete reſpiciendum eſt non modo ad tempus, quo quaeque parabola proferebatur, ſed etiam ad locum et regionem, unde intelligentia illius ſaepe ducitur. Itaque a multis iam hanc in rem tum hiſtoria vitae Chriſti, tum itineraria Palaeſtinae cum fructu conſulta ſunt, praeeunte etiam in hoc genere viam diligentiſſimo WETSTENIO. Plura v. in JOH. CHR. GOTTL. ERNESTI diſſ. de *uſu vitae communis ad interpretat. N. T.* p. 28 ſeqq. LOWTHII libr. *de ſacra poëſi Hebraeorum* p. 62. (quo in libro p. 205. etiam *de allegoria* diſputatur), STORRII commentat. hermeneut. *de parabolis Chriſti*, Tubing. 1788. *Ueber die Localität der Parabeln Jeſu* in d. *Beyträgen zur Beförderung des vern. Denkens in der Religion*, XI. Heft, n. III. p. 138-150. E.]

XXX.

Apologorum et parabolarum ſimilitudo.

Quod obſervavimus de parabolarum partibus aut neceſſariis, aut non neceſſariis, idem etiam conſuetudo fert in *apologis* (§. 20.), h. e. narrationibus docendi

docendi cauſſa fictis, in quibus partes agentium demandantur animalibus et rebus vita carentibus. Sic in Aeſopicis fabulis maxime ſpectatur doctrina, quae latet: ipſa narratio continet multa, quae neceſſaria non ſunt et ideo tantum adduntur, ut integra evadat narratio. Eadem eſt in ſumma methodus intelligendi parabolicos N. T. ſermones. Et habemus nos etiam in libris ſacris tales narrationes, quibus agere et loqui dicuntur animalia. Talis apologus eſt Judic. IX, 7. ubi ſermo eſt de rebellione civium. Declaratur id: civis bonae frugis quum excitatur, ut velit rebellem ſe gerere, declinat; civis autem inutilis facile ſuſcipit eſtque is tanto etiam imperioſior. Alterum exemplum eſt 2. Chron. XXV, 18. — Cfr. GELLII N. A. II, 29. et ERNESTI *Clavem Ciceron.* ſ. v. *Apologus*.

XXXI.

Parabolae et allegoriae nexus.

Ex his, quae diximus, nexus intelligitur, qui parabolam inter atque allegoriam intercedit. Allegoriam enim illico licet mutare in parabolam, modo ſtilum hiſtoricum addas. Veluti illud, quod eſt allegoricum: lapis, quem aedificantes reiecerunt, factus eſt lapis angularis, ita ſtatim efferes per parabolam: fuit, qui aedificari domum iuberet; aedificantes lapidem aliquem reiecerunt, quem dominus aedificii deinde eſſe vellet lapidem angularem. Elucet hinc tanto clarius, quum eadem ſit allegoriae ac parabolae natura, easdem quoque utriusque interpretandae leges ubique obtinere.

XXXII.

Vulgares troporum iudicandorum regulae attinguntur.

Per ſaturam hic quaedam ſubiungamus de iis tropicae dictionis iudicandae regulis, quae vulgo commemo-

memorari ſolent, ſed ita, ut non ſufficiant. Praecipiunt itaque haud raro, *non facile diſcedendum eſſe a proprietate ſignificationis* (§. 2.). Atqui plena omnia ſunt troporum, et non paucae allegoriae occurrunt. Quis igitur in iſta praeceptione reperiat notam aut perſpicuum characterem, per quem agnoſci tropus ac diſtingui a proprietate poſſit, aut iudicetur, quando diſcedendum ſit?

Praeceperunt alii, *non ſine evidenti cauſſa aut neceſſitate admittendum eſſe tropum* (§. 4.). Cur non? Vſus loquendi oſtendit, mille eſſe tropos. Cur igitur evidens ſemper et neceſſaria cauſſa ſectanda ſit? Tum quaeritur rurſus, quando ſit neceſſaria, quando ſit evidens cauſſa. Ac DANHAUERUS quidem ſic deſcripſit hanc neceſſitatem: *ubi eſt manifeſta repugnantia vel rerum vel factorum, ſi capiamus proprie.* Hoc per ſe veriſſimum eſt. Poteſtne enim id proprie intelligi, quod Chriſtus dixit: deſtruite hoc templum &c.? Et ſcriptor ipſe ex hiſtoria deinde explicat ſenſum allegoricum. Verum idem illud non cadit in omnes cauſſas.

Sed qui haec et alia huius generis praeceperunt, videntur illi cavere hoc pacto voluiſſe, ne omnia mutentur in allegorias. Erat autem talis cautio non abs re, quoniam veteres, in his Judaei, non niſi allegorias ſectabantur, nusquam agnoſcentes ſenſum litteralem. Contra iſtos moneri haec poterant; etſi non ſatis erat *negando* monuiſſe; demonſtrare rem et leges ſcribere *affirmando* conveniebat.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

DE EMPHASIBVS IVDICANDIS.

I.

Introitus.

Volumus et in hoc capite verſari ſic, ut praemittamus theoriam (*ap. Erneſt.* P.I. Sect.I. cap.II. §.15.), eique praxin ſuperſtruamus.

II.

Emphaſeos notio.

Interdum ad ordinariam verbi ſignificationem accedit aliquod, ut ita dicam, auctarium (§.15.), ſeu idea, quam verbum non habet per ſe uſu loquendi. Id auctarium eſt duplex. Alterum pertinet ad verbi dignitatem, alterum ad ſignificationis amplitudinem et gravitatem. In illo genere verbum accipit quamdam vel honeſtatem vel turpitudinem uſu et opinione hominum. Veluti quum dicitur *plebs*, accedit ad verbum, quoad uſu loquendi conſtat, aliqua idea honeſta: indicat enim in ſcriptoribus exteris tertium ordinem civium Romanorum, qui erat poſt ordinem ſenatorium et equeſtrem. Hoc eſt honeſtiſſimum. Sed plebs dicitur etiam de rudi, inculta et fere barbara hominum turba in civitate. Accedit igitur idea, ſed quae iniucunda eſt habetque aliquid non ſatis laudabile. *Vrbs* interdum dicitur de urbe primaria, v.c. Roma. Ita accedit ad ideam verbi ordinariam idea honeſtior ac nobilior. Vnde εὔφημα alia, alia δύσφημα ſunt verba. Illa in bonam dicuntur partem, haec in deteriorem, cum aliqua vilitatis ſignificatione. Sed hoc de genere nihil attinet in hermeneutica inſtitutione dicere. Quia enim tota res pendet ab uſu loquendi,

quendi, nihil hic valent praecepta: attendendum eſt ad tyrannidem et imperium, quod uſus habet. Igitur hic dicimus de altero genere, ubi aliquid accedit ad idearum amplitudinem et gravitatem. Atque hac in re docemus *Emphaſin* eſſe, quae eſt *aliqua ad ſolitam verbi ſignificationem acceſſio, augendi vim habens in utramque partem.* Sic quando Judaei de Moſe loquuntur, appellant eum ſimpliciter Prophetam. Vbi veteres de Demoſthene agunt, nominant eum Oratorem; Platonem Philoſophum; Homerum Poëtam. Haec nomina quum illi accipiant κατ᾽ ἐξοχὴν, accedit aliquid ad ideas vulgares. Ac Prophetae titulus, Moſi tributus, ſignificat primum e Judaeis prophetis, principem adeo dignitate, quocum Deus ſit loquutus, ut cum alio nullo propheta. Haec non ſunt in ſolita notione prophetae. Idem evenit in nomine *Jehovah*, quod eſt יִהְיֶה *erit qui eſt.* Admonitum eſt centies et ex Exodo intelligitur, ſignificari hoc nomine Deum, qui certiſſime ſe praebebit talem, qualem ſe praeſtiturum promiſit, qui erit immotus, immutabilis et veraciſſimus. Atque hinc intelligetur, quae ſit illa in definitione *acceſſio augendi vim habens.* Augetur autem verbum *in utramque partem*, vel in bonam, vel in malam; vel cum laude, vel cum vituperio. Exempla acceſſionis ad ideam in bonam partem attulimus. In malam v. c. Titus Imperator in libris Judaeorum appellatur κατ᾽ ἐξοχὴν *Sceleratus*, ut qui templum et urbem deſtruxerit penitus incendio.

III.

Verba per ſe non habent emphaſin.

Ex definitione, quam propoſuimus, ſponte fluit hoc conſectarium: *nullum verbum habere emphaſin per ſe* (§. 16.), h. e. ſi ſpectem eius ſignificatum ex uſu loquendi. Emphaſis enim eſt idea acceſſoria verbi, quod ſuam per ſe habet et certam vim indicatque certam

tam quamdam ideam rei, per ſe vel parvae vel magnae. Sic v. c. *Deus*, *ſol*, &c. exprimunt ideam rei ſatis magnae, ſed exprimunt per ſe, non accedente alia idea. Dicitur aliquis *fractus* dolore; exprimitur magnus dolor, ſed nulla eſt emphaſis. Aut ubi eſt de Maria: gladius *perfodiet* mentem tuam, rurſus intelligitur magnus dolor. Sed haec idea eſt in verbo per ſe; nulla idea extrinſecus arceſſenda.

[Cfr. MOSHEMII cogitat. de interpret. et emend. ſ. litt. §. V. Vindic. p. 203. Syntagm. diſſertation. E.]

IV.

Temporariae emphaſes.

Sunt autem emphaſes vel *temporariae*, vel *conſtantes* (§. 17.). *Temporarias* dicimus, quae certo loco ac tempore verbis accedunt (Sect. II. cap. V. §. 13.). Eae ſolent naſci vel ex affectu dicentis, vel e gravitate rei, quam verbum ſupra uſum ordinarium exprimit.

I. *Ex affectu dicentis.* V. c. cui narratur res triſtiſſima, is perculſus dolore, ac ſuſpirans, reſpondet: *audivi.* Dicere voluit, rem proh! dolor iam dudum in ſuam veniſſe notitiam. Accedit ergo ad vim, quam verbum habet per ſe, aliquid; ſed accedit certo tempore et loco: in hoc dolore, in hac re triſti: accedit etiam ex affectu dicentis, quo cognito iudicatur, multis modis eum excruciari, quum dicat: *audivi.* Talis igitur acceſſio ad verbum dici *temporaria* poteſt. Pariter in re laetiore. Vt ſi quis in mediis gaudiis vivens dicat: *hoc eſt vivere;* in iſto *vivere* plus eſſe ſentitur, quam ſpirare et moveri: vult enim exprimere feliciſſimam vitam.

II. *Ex gravitate rei* interdum quoque ad verbum aliquid accedit. Huc pertinet narratio de Caeſare,

qui ad gubernatorem navis, tempeſtate maris oborta, dixit: noli timere; *Caeſarem* vehis. Pariter in illo αὐτὸς ἔφα, h. e. ille ſummus vir, Pythagoras, tamquam errare neſcius, dixit. Catilina in ſummis dixit flagitiis: Quid mirum? *Catilina* fuit, h. e. longe flagitioſiſſimus homo. Parens dicit filio in vita communi: *filium* hortor; volens hoc: vide noſtram neceſſitudinem; hic tu mihi es, hic ego tibi: vide meum amorem!

V.

Vnde agnoſcantur temporariae emphaſes.

Temporarias has emphaſes contextus orationis indicat et rei natura (§. 18.). *Contextus* — is enim indicat, commoto aliquem animo loqui et in hac commotione multo plus ſignificare, quam verbum exprimat per ſe. *Natura rei* — dum emphaſis patet ex gravitate rei. Nam ſi v. c. tantum intelligerentur nomina illa propria: Caeſar, Catilina, ſine omni emphaſi; frigida foret oratio neque rem ipſam exaequaret.

Caeteras autem emphaſes temporarias, quae non oriuntur ab animi effectu, qui cogit, neque a gravitate rei, quae ducit eo, quasque ſcriptor *libere* verbo tribuere ſolet, agnoſcimus ex eo, quod verbi aut phraſeos uſitata vis ſenſum frigidum aut ineptum efficit, quum aptus contra fiat rei, ſi qua adiunctio alicuius qualitatis in utramque partem aut magnitudinis intelligatur. Nam in tali loco quaedam neceſſitas emphaſeos intelligitur, in qua eſt ſignum veritatis certiſſimum (Sect. II. cap. V. §. 14.). 1. Joh. III, 9. nemo regenitus peccat. At omnes concedimus et fatemur, etiam regenitos, etiam optimos homines, peccare ſolere. Igitur ſi nihil accedit ad ſignificationem verbi *peccare*, ſenſus falſus eſt, ſaltem frigidus neque aptus. Ergo ἁμαρτίαν ποιεῖν erit volvi ſceleribus,

plane

plane deditum flagitiositati esse. At hoc est multo plus quam peccare. Nunc sententia prodit verissima: nemo regenitus volvitur quotidie sceleribus. Joh. VIII, 34. is qui peccat, servus est atque mancipium peccati. Hoc ita nude positum non potest concedi. Erit et hic: deditus plane sceleribus, totus quantus est facinorosus homo, servus est peccati. Poterat tamen in his videri emphasis esse a gravitate rei 1. Cor. IV, 3. 4. ter positum est verbum ἀνακρίνειν, semper cum emphasi. Nam primum ἀνακρίνεσθαι est approbatione ornari laudarique; deinde ἀνακρίνειν sibi arrogare iudicium; tertio ius iudicandi habere, recte iudicare posse. In his sane Paulus *libere* sic scripsit; poterat enim et aliter scribere et verbo aliquid addere.

Verum in his emphasibus iudicandis non negligendus est usus loquendi, sed hactenus saltem consulendus, ut nihil in illis sit, quod ei repugnet (cap. V. §. 15.). Sic illud, quod diximus de verbo ἀνακρίνειν, plane non repugnat usui loquendi, quum notiones illas omnes boni scriptores agnoscant.

VI.

Constantes emphases.

Venimus ad *constantes emphases* (Sect. I. cap. II. §. 17.). Eae sunt, quum verbum accipit a consuetudine significationem maiorem, quam per se habebat, eamque in certis modis loquendi semper obtinet. Sic Adamus et Christus dicuntur *homo primus* et *secundus:* quae appellatio semper et constanter habet accedentem ideam eminentiae et praestantiae. Pariter *filius hominis* per se quidem indicat hominem ex hominibus natum, sed quoties ita dictum reperitur de Jesu Christo, satis constat, appellationem illam accepisse vim tituli insignioris, ut indicaret hominum omnium unum illum, qui Messiae munus et dignitatem habuit. Est et haec accessio aliqua ad vim verbi. Sunt vero

etiam in multo ufitatioribus loquendi formis emphafes conftantes, non femper in rarioribus. V. c. in illo: *eft aliquid*, fc. excellens et eximium, quod facit ad magnam laudem. Eft aliquid vincere hoftes armis; eft aliquid, vincere iniuriam; fed longe maius eft vincere cupiditates. *Homo frugi* indicare videtur utilem, fed eft multo plus. Docet enim Cicero Tufcul. III, 8. fi quis dicatur *homo frugi*, fignificari eum, qui abftineat omnibus omnino cupiditatibus, noceat nemini, fit longe iuftiffimus, reliquas habeat virtutes omnes. Ita conftanter ifto vocabulo comprehenditur magna laus.

VII.

Vnde agnofcantur conftantes emphafes.

Has emphafes conftantes indicat *ufus loquendi* (§. 18.). Quaeritur iam, quomodo attendendus fit ufus loquendi in hanc partem. (Sect. II. cap. V. §. 12.). Ac primum quidem vocis aut phrafeos emphafis *diferto teftimonio* conftat. Demofthenem dici Oratorem, Homerum Poëtam, Melanchthonem praeceptorem Germaniae, id novimus diferto teftimonio fcriptorum, qui hoc de iis praedicant. Primus et ultimus homo qui fit, pariter fcimus ex difertis teftimoniis fcriptorum Judaicorum. Deinde vero ubi id nullo conftat diferto teftimonio, ufus confulendus eft fic, ut videamus, partim, *an omnibus in locis ei emphafis conveniat*, partim, *an ei fubftituatur in eodem aut fimili contextu alia, quae adiunctam habeat fignificationem aliquam praecipuae magnitudinis.* V. c. *Filius Dei* ubicunque legitur de Chrifto, ei emphafis fane convenit; nam eft ubique titulus Meffiae. Accedit, quod interdum pro hoc fynonymum ponitur ὁ Χριστός; unde intelligitur, illam appellationem habere adiunctam magnitudinem. Sic Joh. XII, 34. Nos audivimus, *Meffiam* in perpetuum effe vitam habiturum. Quomodo

modo igitur tu dicis, *filium hominis* mori debere? Matth. XXVI, 63. Summus Judaeorum ſacerdos Chriſto dicit: obteſtor te per Deum, an ſis *Meſſias*. Reſpondet Jeſus: recte dixiſti. Et non ita multo poſt: videbis venturum eſſe — quemnam? *Meſſiam*. Sed legitur hic: *filium hominis*. Ita in contextu ſubſtituitur nomen magnam indicans dignitatem. Ad vim verbi יִהְיֶה accedit notio, eaque conſtanter, qua indicatur is, qui immutabilis in opere inter Iſraëlitas perficiundo erit. Subſtituitur etiam Exod. III. et VI. huic verbo aliud quid, quod rem magnam indicat. Legitur enim ibi: *ero*, *qui ero*, et hoc ut explicatio nominis יְהוָֹה ponitur resque ipſa additur: nam exhibet Judaeis, quae Abrahamo promiſſa et deſtinata fuerunt.

Quodſi neutrum illorum eſt, quae conſtantis emphaſeos poſuimus indicia, ſed verbum aut phraſis permutatur cum aliis, quae manifeſte ſine emphaſi ſunt, aut aliis in locis magnitudinis ſignificatio verbo diſerte addita eſt, emphaſis agnoſci non poteſt. Velut ἀποκαραδοκίας verbum, Rom. VIII, 19. vertit Lutherus: *das ängſtliche Harren*. Quaeritur, an ſit verbum emphaticum. Hic provocatur ad etymologiam: quum enim ſit proprie caput verſare huc illuc, exprimi verbo anxiam et valde ſollicitam exſpectationem. Sed hoc recte negatur. Nam Phil. I, 20. dicit Apoſtolus, ſe exſpectare auxilium divinum; neque loquitur hic animo commoto et perturbato, cuius ſit anxia exſpectatio, ſed valde tranquillo et placido. Sperat enim fore, ut Philippenſes in dies pergant ulterius. Deinde coniungitur etiam (v. 22.) ut ſynonymum cum ἐλπίδι: liberabit me Deus iuxta ſpem exſpectationemque meam. Vbi in graecis non magis eſt emphaſis quam in latinis. [Adde, Euripidem quoque Med. v. 1117. verbum καραδοκῶ ſine omni emphaſi uſurpare. E.]. Nec porro emphaſis talis agnoſci poteſt in phraſibus coniugatis, quales ſunt χαρὰν

χαίρειν, certamen certare, bellum bellare. Quod enim dixere multi, eſſe illa emphatica, id vel eo refellitur, quod ſaepe coniunguntur cum commemoratione magnitudinis. Sic Matth II, 20. σφόδρα μεγάλην χαρὰν χαίρειν. Quod erat ſupervacuum, ſi eae per ſe emphaſin magnitudinis alicuius haberent.

VIII.

Emphaſes verbales et reales.

Eſt etiam alia emphaſium apud magiſtros artis partitio in *verbales* et *reales* (§. 10.). *Reales* eſſe aiunt in rerum magnitudine et ſublimitate, quae exprimantur verbis ſimpliciſſimis. Res *magnae* iudicantur eo, quod admirationem movent; res *ſublimes* autem, quod legentes ſeu audientes obſtupefaciunt. Proponuntur autem talia interdum ſimpliciſſimis verbis. Veluti: dixit Deus: *fiat lux et facta eſt lux.* Pertinent huc et alia multa, quae dicuntur de Deo, praeſertim in Pſalmis, quaeque audita, repente obſtupefaciunt magnitudinis notione, ut tranquilliores redditi fateamur, dici hic, quibus maiora comprehendi a nobis nequeant. Interdum etiam eſt affectus admodum vehemens, qui ſublimitatem prodat. Vt in Horatiano illo: *Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae.* Quo quanta exprimitur admiratio viri fortis et impavidi! Et effecit haec admiratio, ut magnitudo rei ſenſibilis redderetur ſimpliciſſima forma loquendi. Haec igitur duo genera exprimendi verbis mentem ſuam (*erſtaunend groſs*, *erſtaunend erhaben*) dicit uſus loquendi *emphaſes reales*, quia vis et gravitas in rebus eſt, non in vocabulis.

Verbales contra *emphaſes* ponunt in verbis ad exprimendam rei magnitudinem aptis. Quum v. c. Jobus de ſua imbecillitate ſumma, comparata cum Dei magnitudine, loquitur, his utitur verbis: *Ich bin wie ein Tropfen Waſſer* &c. Aut ubi Chriſtus ſummam

expri-

exprimit indignitatem illorum, qui aliis praebent occasionem peccandi, sic dicit: *συμφέρει αὐτοῖς, ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς ἐπὶ τὸν τράχηλον* &c. Pariter in verbis singulis: *liquefieri* cupiditate, *tabefieri* invidia, *exardescere* ira, *tumultus* affectuum. Omnia haec verba, tum iuncta, tum singula, exaequant plane rei magnitudinem, et ante oculos quasi pingunt.

Sed hanc distributionem iudicat ERNESTIUS *inanem* et *vitiosam* (§. 19. coll. Sect. II. cap. V. §. 6.). Quoad rem profecto non: adest enim res ipsa, quae hoc modo exprimitur. Vitiositas igitur esse debet in modo eloquendi. Nam emphasis, quae erat auctarium significationis s. ideae ad solitam verbi notionem, non esse in accessione verbi potest; seu (ut ERNESTIUS posteriore loco dicit,), nullum verbum, neque proprium, neque tropicum, per se habet emphasin, sed in ea est accessio ad ordinariam significationem extrinsecus adiuncta. Quare quum res non commode expressa sit his verbis, utamur aliis substituamusque pro emphasi reali *sublime dictum* (*erhabene Gedanken erhaben ausgedrückt*), et pro emphasi verbali *significanter dictum* (*starke Gedanken stark ausgedrückt*).

IX.

Admonitio contra fictas emphases.

Accessimus nunc ad illum locum, in quo contra fictas emphases dicendum est. Errant autem et imperitiam artis produnt, qui quodlibet verbum tropicum, inprimis metaphoricum, etiam emphaticum faciunt (§. 20. coll. Sect. II. cap. V. §. 4.). Per se enim clarum est, non esse emphasin ullam 1) in tropis *necessariis*, qui ponuntur ac poni debent, quoniam non adsunt vocabula propria (v. p. 262 sq.); neque esse emphasin 2) in tropis *variandae orationis caussa* adhibitis (v. p. 272.), v. c. si quis descendere in mortuorum locum, habitare in sepulcro, dicat pro sepeliri, sepultum esse; nec denique 3) in tropis, qui *suavitatis*

caussa ponuntur, ut quum Echo dicitur iocosa vocis imago. *In iis* vero *metaphoris*, *quae significanter dicuntur*, *est aliqua vis ad percellendum animum.* Veluti in illo: ferreo sceptro regere. In quo non est tropus necessarius; poterat enim et dici, durissime imperare: neque dictum est variandae orationis caussa aut suavitatis gratia, sed ut percellatur animus. Aut ubi helluo exsugere aliorum opes dicitur, charybdis civium, et quae sunt huius generis alia.

X.

Tractandarum emphasium praecepta.

Sed sunt alia de emphasibus praecepta, quae utilitate etiam superent vulgares illos canones, qui contra fictas emphases sanciuntur: qui etsi veri sunt, tamen non sunt proprie canones, nec ullo modo dirigere mentem in iudicando possunt. Nemo enim est, qui se fingere emphases putet. Igitur reliqua praecepta ordine tractabimus.

XI.

1. *Emphases vix quaerendae in rerum subtili explicatione.*

Per se arbitror clarum esse, *in rebus subtiliter explicandis*, in tradendis perspicue praeceptis doctrinae, in legibus, in narrationibus rerum gestarum simpliciter institutis, *emphases vix habere locum* (Sect. II. cap. V. §. 4. 5.), ideoque quaeri non debere. Consulto autem addidi voculam *vix*, ne quis latius, quam par est, praeceptum accipiat. Nam interdum etiam in narrationibus simplicissimis et locis dogmaticis occurrunt quaedam emphases, sed tales, quae sint in vulgus notae, ideoque nihil ornent. Attuli supra nomina: filius hominis, homo primus et ultimus. Si tamen notio emphasium semper complecti debet illa duo: *sublimiter* dicta et *significanter* dicta; haec profecto *non facile* locum habebunt, quum simpliciter narro, simpliciter doceo, simpliciter leges scribo. Foret enim in his inepta sublimitatis affectatio.

XII.

II. *Emphases non quaerendae ex etymologia.*

Deinde nec quaerenda eſt et eruenda emphaſis ex *etymologia verbi*, quae ne proprium quidem ſenſum facile docet, ſeu, quod eodem redit, in tropicis, e propria verbi ſignificatione (§. 7.). Joh. V. fin. legitur: ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς. Dicunt, ſi verbi etymologia aut propria ſignificatio ſpectetur, uſurpari ἐρευνᾷν de his, qui metalla eruunt ex terra et ſic ſcrutantur, aut qui res latentes indagant. Hinc admodum ſignificanter dictum volunt. Non eſt. Vſus enim indicat, non dici ſignificanter talia: indagare, inquirere verum, et alia. Dicitur etiam Spiritus Sanctus 1. Cor. II, 10. ἐρευνᾷν τὰ βάθη τῆς θεότητος. Qui profecto dici non poteſt multo cum ſtudio indagare et in lucem protrahere res abſconditas.

XIII.

III. *Emphases non temere quaerendae in praepoſitionibus et particulis.*

In graecis porro verbis videndum, ne acceſſionem aliquam ſignificationis ad vim verbi ſimplicis neceſſario fieri putemus a *praepoſitionibus*, praeſertim ἀνὰ, ἀπὸ, πρὸ, σὺν, ἐκ, περὶ, in iisque argutemur (§. 8.). Sic qui ſuſcepta religione Chriſtiana rurſus deficiunt ad Judaismum et Paganismum, hi dicuntur ἀνασταυροῦν τὸν Χριστόν. Quod plerumque explicatur ſic: *de novo*, *iterum* Chriſtum σταυροῦν. Et habet ſane praepoſitio ἀνὰ ſaepe hanc vim. Sed h. l. nihil aliud eſt niſi ſimpliciter σταυροῦν, cruci affigere, h. e. facere idem, ac ſi cruci affigas, planius: cum ignominia repudiare et contemnere. Cfr. LAMB. BOS *Obſervatt. ad h. l.* Pariter Rom. VIII, 16. πνεῦμα illud, quod accepimus per religionem, dicitur συμμαρτυρεῖν noſtro animo, nos eſſe Deo caros. Hic quoque συμμαρτυρεῖν accipiunt ſic: *una* teſtimonium dicere, cogitantque de duplici teſtimonio, uno ſpiritus ſancti ipſius,

altero

altero autem doctrinae, quae idem nobis confirmet. Equidem rem non repudio: tantum dico hoc, non posse id ex illa compositione concludi, quum usu loquendi constet, συμμαρτυρεῖν idem esse quod μαρτυρεῖν, sicut latina lingua verbis *firmare* et *confirmare* promiscue utitur. Sensus igitur loci: *Der erhaltene Sinn des Christenthums bezeiget unserer Seele, daß wir Geliebte Gottes sind.* Omnino in talibus consulenda est loquendi consuetudo, quae indicat, simplex et compositum saepe nihil differre.

[Praepositionibus adde *particulas;* quarum usus quoniam in orientalibus linguis exquisitior est, quam ferre nostra lingua possit, ideo non defuerunt, qui singulas certae δυνάμεως caussa positas existimarent. Quid? ipse RAMBACHIUS in *Institut. hermen. sacr.* lib. II. cap. VIII. particulas demonstrandi הִנֵּה, ἰδοὺ, non dubitavit, *plerumque notabiles asterismos Spiritus sancti* appellare. Contra quem scripsit ZEMISCH *de analogia linguarum* p. 50. E.]

XIV.

IV. *Emphases non temere quaerendae in numeris.*

A *numeris* temere ducit emphasin, qui existimat, pluralem pro singulari positum talem aliquam vim singulari maiorem habere (§. 9.). Quae opinio rursus nullum fundamentum habet in consuetudine loquendi hebraica aut graeca. Sic *Origenes* inepte cum Judaeis distinxit οὐρανὸν et οὐρανοὺς, quaesivitque in hoc tres aut septem adeo coelos.

XV.

V. *Emphases non temere quaerendae in abstractis vocabulis.*

Neque emphases sunt quaerendae in *abstractis vocabulis*, quasi his pro concretis ponendis plus dicatur (§. 10. coll. Sect. I. cap. II. §. 23.). E logicis vero ubi haec nomina transferuntur ad grammaticam et exegesin, *abstracta* dicuntur substantiva, *concreta* adiectiva

adiectiva et participia. Consentiunt autem in eo linguae omnes, habentque praesertim veteres hoc commune, ut abstractis utantur pro concretis, omninoque libenter frequentent abstracta. Sic v. c. Christus factus esse dicitur pro nobis *maledictio*, ubi proprie dici debebat: *maledictus*. Licet et phrases eiusmodi integras observare, v. c. factas et compositas cum voc. בן aut υἱός; ut filius irae, perniciei, peccati, pro homine scelesto, poena digno &c. Caeterum caussae, cur ea sit linguarum consuetudo, reperiuntur variae:

I. *Necessitas* (§. 24.). Quoniam enim hebraeus sermo non habet adiectiva talia: virilis, senilis, corporeus, spiritualis, necessario abstracta coguntur vicem subire concretorum. Proinde studium carnale Hebraei dicunt studium carnis; indolem carnis pro indole carnali. Quam nos appellamus indolem et sensum spiritualem, illi dicunt indolem et sensum spiritus. Iam vero quum non potuerint aliter loqui, nonne sequitur hinc, non esse in abstractis emphasin quaerendam?

II. *Rei consuetudo e necessitate orta.* Potest dici hebraice rex iustus: tamen quia linguae illi usitatissimum est, ponere abstracta pro concretis, dicit potius regem iustitiae. Poterat Paulus dicere ὁδὸν ἀληθινὴν, δικαίαν; sed consuetudini obsequutus, maluit ὁδὸν τῆς ἀληθείας, ὁδὸν τῆς δικαιοσύνης. Poterat dicere Paulus: vos quondam fuistis caliginosi, inscii; dixit potius: fuistis caligo. Dicere potuit: Christus factus est κατάρατος; dixit: factus est κατάρα. Nec abhorret ab eo loquendi modo lingua latina, quae animum dicit contemptorem rerum humanarum, victorem cupiditatum &c. Iam si, quod necessitatis antea fuit, abiit deinde in consuetudinem; rursus non est plus in eo quaerendum: neque enim plus potest cogitari.

III. *Perspicuitas* (§. 25.). Si quis dicere vult: *tu* me regis, *tu* me exhilaras, Deus; poterit etiam sic: *tua sapientia* me regit, *tua benignitas* me exhilarat.

rat. In his vero eſt brevitas loquendi. Debebat dici: tu, Deus, me exhilaras, quia es benignus; tu me regis, quia es ſapiens. Sic igitur concreta perſpicuitati ſerviunt, quum pro ſubiecto cum pronomine aut ſubiecto ipſo ponuntur: dirigunt enim mentem ad attendendum id, quod cogitandum eſt.

IV. *Ornatus et ſuavitas.* Reddit ſane hoc interdum cultiorem ſtilum et gratam brevitatem, ſi non omnia ſimpliciter et multis verbis dicantur. Sed talis cultus, qui habet et ſectatur aliquid exquiſitum in loquendo, non eſt in hebraico, neque in Novo Teſt. reperitur. Oritur etiam inde ſonus grandior (*volltönender Ausdruck*), ſi v. c. pro vulgari illo: abominor ſcelus hoc, dicam potius: abominor huius ſceleris foeditatem; aut illud: admiror merita tua, ſic exprimam: admiror magnitudinem meritorum tuorum. Verum hoc ad numerum pertinet, nec facit multum ad ſacram N. T. exegeſin, quoniam granditas ſtili non quaeri poteſt in ſcriptoribus, qui alieni erant a ſcribendi elegantia. Ex Veteri Teſt. referri huc poſſunt talia, quae ſunt elatiore modo dicta: Thronus tuus eſt aeternus: ſceptrum imperii tui eſt iuſtum. Poterat enim ſcriptor ſimplicius: tu imperas in aeternum et iuſtiſſime.

An vero in abſtractis ponendis pro concretis numquam eſt aliqua vis et efficacia? Interdum ſane. Si dicimus v. c. *er iſt die Liebe ſelbſt; er iſt der Neid ſelbſt*, volumus nobis aliquanto plus quam hoc: benevolus eſt; invidere ſolet. Immo praeter modum magna qualitas, inſita animo, deſcribitur. In illis: *ſein Leben iſt ein wahrer Jammer, ein Kampf mit Armuth*, an nihil aliud ineſt, niſi hoc: vivit miſere; pauper eſt? Eodem modo erunt ea tractanda, quae in libris ſacris occurrunt: *Gott iſt die Liebe*, h. e. immenſus eſt Dei amor, totus Deus, quantus quantus eſt, amor eſt.

Ex hac igitur doctrina derivabimus illud veluti conſectarium, *cavendum eſſe, ne abſtracti pro concreto*

poſiti

positi semper *esse aliquam vim putemus* (Sect. II. cap. V. §. 10.). In quo etiam doctissimi viri haud raro lapsi sunt. Origo autem erroris est ex insolentia rei in lingua latina et vernacula, in qua si abstracta ponuntur pro concretis, cum aliqua vi id fere fieri solet. Ex hoc nostrae linguae more diiudicarunt hebraicam, obliti dissimilitudinis, quae inter utramque linguam intercedit. Caeterum clara res est vel ex eo, quod in iisdem formis abstracta et concreta permutantur. Sic Jesus dicitur υἱὸς ἀγάπης, alibi υἱὸς ἀγαπητός, quo illud non est ἐμφατικώτερον. Ephes. V, 8. eratis quondam *caligo.* In parallelo loco IV, 18. id exprimitur sic: eratis quondam ἐσκοτισμένοι.

XVI.

VI. *Emphases non quaerendae e dissimilitudine modorum loquendi ab nostra lingua.*

Denique in sacris in primis libris et hebraismis cavendum, ne *dissimilitudine modorum loquendi ab nostra lingua* ad emphasin quaerendam aut comminiscendam impellamur (§. 11.); quo nimis inclinant plerorumque animi, etiam hebraice doctorum. In hebraica enim lingua sensus saepe videtur multo efficacior, quam qui est, ubi vertitur germanice et nostrae linguae accommodate. In illis: *Mache dich auf, werde Licht; denn dein Licht kommt*, oratio est commota, neque tamen emphatica. Vertamus sic: *Wohlan, erheitere dich; dein Wohlstand nahet sich dir.* Coloss. III, 3. ἡ ζωὴ ἡμῶν κέκρυπται ἐν τῷ Θεῷ. Videtur res admodum magna dici; sed vertamus latine: *felicitas nostra soli Deo nota est, nobis occulta;* et habemus sententiam longe simplicissimam. Tamen quid non est dictum super hoc loco in libris mysticis atque asceticis? Condita sunt capita singularia de vita fidelium in Deo occulta. Quorum auctores si hebraice scissent, illud *occultum in Deo* cepissent potius sic: Deo soli notum est, in eius animo latet notitia; *vitam* autem

tem interpretati fuiſſent de felicitate noſtra poſt mortem; quo etiam ducit orationis ſeries. Itaque haec ne tantillum quidem diſtant ab illo Johanneo, 1. Ep. III, 2. οὔπω ἐφανερώθη, τί ἐσόμεθα. In quo ſi non eſt emphaſis aliqua aut ſignificantius verbum, nec erit in illo Paulino loco. Luc. IX, 51. quum accederet tempus, quo Chriſtus diſceſſurus erat ex his terris, τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε τοῦ πορεύεσθαι εἰς Ἱερουσαλήμ, *firmavit, fixit faciem ſuam* verſus Hieroſolyma. Id explicant ſic, conſilium cepiſſe *firmiſſimum* et *irreſiſtibile* eundi in urbem, eoque conſilio declaraviſſe ſummam adverſus Deum obedientiam. Rem concedo; ſed nego id eſſe in phraſi, quae ex hebraico loquendi more ſimpliciter indicat: faciem dirigere ſeu convertere verſus aliquem locum. Pariter Luc. XVI, 26. μεταξὺ ἡμῶν καὶ ὑμῶν χάσμα μέγα ἐστήρικται, h. e. *conſtitutum eſt.* Sed quoniam ea dicendi ratio abhorret a noſtra lingua, exiſtimant plus dici, quam in ſimplici illa propoſitione: magnum ſane conſtitutum eſt diſcrimen.

[Pertinent etiam huc *formulae loquendi, ubi parti hominis tribuitur*, quod *toti* convenit, vel totus homo ab aliqua praecipue parte appellatur, v. c. ἐν χειρὶ μεσίτου, Galat. III, 19. Pertinent huc *pleonasmi orientales*, v. c. ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ εἶδεν· ἀνοίξας τὸ στόμα εἶπε· ὡμολόγησεν καὶ οὐκ ἠρνήσατο, et alii *idiotismi* ex analogia linguarum et uſu loquendi iudicandi. v. ZEMISCH diſſ. *de analogia linguarum* p. 47 ſeqq. — Caeterum de omni hoc loco conſulenda eſt JOH. CHRISTOPH. GOTTLEBERI diſſert. (praeſ. Nagelio) *de Emphaſium iudicandarum difficultate*, Altorfii 1761. 4. E.]

CORRIGENDA.

Pag. 15. lin. 10. et ult. pro XXXII. pone XLI.
— 16. l. 15. leg. JOACH.
— 31. l. 30. leg. *ultimas.*
— 32. l. antepenult. leg. *Reserare.*
— 35. l. 25. leg. *ἀμφιβολία.*
— 36. l. 18. leg. *allegorias.*
— 38. l. 4. leg. *sententiae.*
— 40. l. antepenult. leg. *propius.*
— 43. l. 16. post *agnoscetur* ponendum colon.
— 44. l. 16. leg. *πολυσημία.* (Idem puncti neglectus saepius recurrit.)
— 50. l. 33. pro *coniunxerint* leg. *distinxerint.*
— 55. l. 25. leg. *dicatur.*
— 57. l. 31. leg. *satis sit.*
— 58. l. ult. leg. *plene.*
— 60. l. 25. leg. *exprimendum.*
— 61. l. 4. leg. *quo.*
— — l. 16. leg. *loco.*
— 70. l. 29. leg. *ingenia.*
— 82. l. 18. leg. *maleficium.*
— 128. l. 3. leg. *perobscure.*
— 136. l. 10. leg. פְּרַקְלִיט.
— 249. l. 16. insere *p.* 237.
— 236. l. 11. leg. *γάζα.*
— 254. l. penult. leg. *Cap.* 14. Locum Tertulliani, qui classicus est, optime illustravit CHR. GODOFR. SCHÜTZ in Programmate *de regula fidei apud Tertullianum*, Jen. 1781. 4.


TUFTS UNIVERSITY LIBRARIES
3 9090 012 514 408

